IVLII

CÆSARIS

VANINI NEAPOLITANI

Theologi, Philoſophi, & Iuris vtriuſque Doctoris.

DE

Admirandis Naturæ Reginæ Deæque Mortalium Arcanis.

LIBRI QVATVOR.



LVTETIÆ,

Apud ADRIANVM PERIER, viâ Iacobæâ,

M. DC. XVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Approbatio.

NOs subsignati Doctores in alma Facultate Theologica Parisiensi fidem facimus ivdisse & legisse Dialogos Iulij Cæsaris Vanini Philosophi præstantissimi, in quibus nihil Religioni Catholicæ Apostolicæ & Romanæ repugnans aut contrarium reperimus, imò vt Subtilissimos, Dignissimos qui typis demandentur. Die 20. Mensis Maij 1616.

F. Edmundus Corradin Guard.
Conuentus F. Min. Paris.

F. Claudius le Petit
Doctor Regens.

ILLVSTRISSIMO
VIRO, D. DOMINO
BASSOMPETRÆO, LIBERO
Sacri Romani Imperij Baroni, Christianissimi Regis Consistorij Consiliario, & vniuersæ Germanicæ eius militiæ Magistro.

PLANTAE in saxoso & ieiuno solo consitæ, si radices vndiq; diffundere nequeunt, sed obice impeditæ retorquentur, atque incuruescunt, repulsaque resiliunt, ilicò gracilescunt, exangues flosculos, pallidulas frondes, insuaues, eosque perpaucos, ac perpusillos

fructus proferunt. Eadem(VIR IL-LVSTRISSIME) *agro aperto, ac irriguo commissæ, prοceriores excrescunt, longè, latéq; ramos propagant, & rutilanti diuersicolorum florum ambitu viridique foliorum orbiculata congerie, spectantium oculos oblectant, aures odore demulcent, ambrosioque fructuum succo palatum titillant, spiritusque reficiunt: ita ingenij mei arbuscula in angusta, & siticulosa quorundã Præceptorũ tellure enutrita elanguit, squalida, adspectu tristi, atque inameno, infrugifera olim extitit. Modò protuberante, turgenteq; semine, veterum Philosophorum metas transiliens, & recentiorum obstacula superans, tanquam in amplissimo, mollissimoque terræ gremio constituta, herbescentem quotidie elicit viriditatem, & in progignendis stirpibus, propagandisq; plantarijs lasci-*

uiens, ameniori vultu, magisque adblandiente forma variegata, ac versicolor frondium, florumque politie & elegantia speciosius, nitidiusque adolescit: & iam in fructus extumescebat, sed immaturos auidæ scholarium manus (me inscio) intempestiuè decerpserunt: quare ne elanguescant, aut computrescant, atque ità ab insita vi ac generositate desciscant, Excellentiæ *tuæ tanquam Solis radijs expono, vt ab eius almo calore maturitatem iuxta & dulcedinem nanciscantur. Enimuero cùm admirabiles corporis, animique dotes, quibus à Deo affatim excultus es, accumulatè exornatus, ac magnificè insignitus, altiori repeto cogitatione, in terris cui te comparem, neminem adinuenio: sed fulgidissimum duntaxat Cæli speculum tuarum virtutum simulachrum agnosco. Histo-*

ricorum monumenta dum perlego, in Illustrissima tui generis Prosapia, peruetusta Heroum altrice, tanquam in Cælesti corpore innumera maiorum tuorum omnibus Regiis dotibus micantia sydera inspicio, nec solã Galliam, sed Uniuersum orbem spectatorem, atque veneratorem habent. At inter illa Syderea lumina Excellentia Vestra veluti Sol refulget, nec vllis temporis, fortunæque sordibus obsolescit. Tam elegantem formosi corporis speciem quid memorem? Quando non modò mille Helenis venustiores Heroïnas ad sui amorem pertrahit, sed Atheorum contumaciam perstringit, petulantiam comprimit, nefariosque conatus reprimit: nam speciosissimæ faciei tuæ splendorem, maiestatemque intuentes, diuinitatis vestigium homini inesse fateri non exhorrescunt. Fortunati

nimis sæculi nostri Pictores, qui pulchritudinis ideam omnibus numeris absolutam posteris relinquere exoptantes, non (vt veteres) è mille formosis eximias, decorasque portiunculas effingere coguntur, sed solam tui corporis vmbram (si fas est mortali diuina metiri) delineare satis, superque erit. Alexandri Macedonum Regis carnes à genuino caloris natiui effluuio, eo erant odore perfusæ, vt adstantes quodammodo recrearent: At tua species imperio dignissima, non modò proximos consolatur, sed absentes etiam in admirationem, & beneuolentiam rapit. Ego sane qui tot oberrans regiones, infinitas propemodum pulchritudinis viuas depictasque imagines conspexi, cùm in quibusdam Pictorum ædibus tuam aspexi effigiem (meam fatebor infidelitatem) Pictoris, dixi, hoc opus

est, non Naturæ. Quum verò Illustrissimus Arturus Espinæus Sanlucius Rhedonum Abbas, omni laude sublimior, ac Dominus meus multis nominibus colendissimus, in Excellentiæ tuæ præsentiam me introduxit, tam spectabili opificio obstupefactus, hausto tacito quodam diuinitatis afflatu, immutatus videbar ita, vt alia ex causa mendaciȷ̈ pictores redarguerim, vt pote quia nec minimas tuæ pulcritudinis partes adumbrarunt. Nobilissimum hoc formosissimumque corporis templum, diuinum Animæ Numen inhabitat, omnibus virtutibus, genere præstantissimis, specie pulcherrimis, magnitudine præclarissimis, excellentia ipsa admirandis circumseptum, & communitum. Si Platonis essem alumnus tanquam mundi Animam te colerem, atque deoscularer: Quia tamen Ari-

ſtotelis ſum ſoboles, Microcoſmum te nuncupabo: omnes etenim in omnibus omnium Nationum, omniumque ſeculorum Principibus conſperſæ dotes, in te vno accumulatæ reſident. De Pietate, & Religione quid dicam? Sæpenumero aduerſus hæreticos te diſſerentem excipiens, ſuſpicabar an ab ipſo Deo conſultò donatum fuerit cognomentum, Baſſompetræus, Petri S. Eccleſiæ baſis. *De ingenij acumine quid eloquar? ea polles in dicendo facundia, vt ipſas æquoreas Deas ad tui amorem pellicere valeas: in Mathematicis ſcientiis tantos feciſti progreſſus, vt Præceptores tui inter primarios principem locum obtinentes, liberè faterentur, quotidianis tuis inuentis, & iudicijs permagnam illorum ſtudiis factam eſſe acceſſionem. Bellipotentem agnouit te inuictiſſimum Martis*

fulmen Henricus Magnus, qui Pedemontani Equitatus Tribunum te adhuc adoleſcentulum delegit, & Sereniſſima Regina æterni nominis Maria Medicæa ad regni gubernacula ſedente ſapientiſſima moderatrice, in omnes Gallicorum exercituum Germanos milites Præfecturam admirabili cum laude es conſecutus: in his verò poſtremis bellicis tumultibus ſtrenuè, & fideliter pro glorioſiſſimo Rege Ludouico XIII. *ita te geſſiſti, vt omnium Procerum iudicio ad ſummos honores prouehendus meritò cenſearis. Piaculum exiſtimarem tuam ſubticere munificentiam, quam ipſemet Henricus Rex munificentiſſimus cognoſcens, publicè acclamauit*, Baſſompetræus in largiendo Regias vices gerit, imò longis ſuperat paraſangiis. *Quot Philoſophi, quot Aulici paupertatis tenebris antea nu-*

bili, nunc beneficentiæ tuæ radiis illustrati, coruſcant, atque ſplendeſcunt: Non mirum igitur ſi aureo Soli omnes te comparent, ego præferam: Auriferos ille radios ſemper vbique vibrans, me nunquam auro locupletauit: at ſi Eccellentia tua ſemel benignis me aſpiciet oculis, ſtatim aureſcam. Quod ſupereſt (Heros inuictiſsime) humillimè deprecor, vt ſi quando Reipublicæ regendæ occupationibus per aliquot horas defungi Excellentiam tuam contigerit, atque aliquid ei laxamenti imperare viſum ſit, his meis philoſophicis colloquijs, quæ tui Nominis æternitati conſecraui, animum grauioribus rebus defeſſum recrees, atque reficias.

Excellentiæ veſtræ
obſequentiſſimus
IVL. CÆS. VANINVS.

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM Dominum, necnon ad Operis authorem eminentissimum ac toto orbe clarissimum.

CARMEN CONGRATVLATORIVM

Haud puduit Docti diuino carmine magnum
Virgilij Augustum celebrari, grataque quondam
Mecœnas habuit moderata poëmata Flacci.
Tu genus heroum forti de stirpe potentum
Queis dedit illustres ortus Lotaringia clare
Bassompetre satus, quem tam præstantia forma
Quam gratiæ decorant gallæque facundia linguæ,
Munificus Iouis instar ades cum munere cunctos
Palladios Generose viros humaniter æquas,
Sic honos Armorum, Nam gens exercita bello
Heluetia præfectum copijs quas Gallia nutrit
Agnoscit probatque Ducem gaudetque valere,
Interea iam sume lubens & fronte serena
Suscipias librum, tibi quem nunc Iullius offert
Vaninus vir Mente potens Sophiæque Magister
Maximus, Italicæ decus & noua gloria gentis.
Quam longè lateque suæ prorumpit acumen
Mentis & ingenium? preclara arcana nepotes
Ne lateant seros ventura in secula rerum
Omnia victuris mandat miracula chartis:
Hic etenim mundi quæ sit natura requirens,
Illius in gremio quecunque fuere sepulta
Atque Heracliti nigro latuere sub antro
Parturit in mediam lucem. Sed qualis in astris
Ipse laboranti defecta luce sorori
Succurrit Titan, & stellas lumine pascit
Largus opes proprias diffundens solus in omnes,
Sic hoc scriptorum veterum monimenta volumen
Illustrat splendore suo noctemque recentum

Arte noua, pulsa penitus caligine nudat,
Magnus Aristotelis, Socratis veterumque sophorum
Iullius interpres, nebula tenebrisque remotis,
Illorum splendere facit decreta, librosque
Explicat, atque suo data gloria tota labori.
Iure igitur viuax omnique perennius ære
Bassompetre tuum nomenque decusque manebit
Inscriptum libris Vanini, quos neque tempus
Auferet, ac omnis populi memoraberis ore

Gregorius Certain Parisiensis
Doctor Medicus.

AD CLARISSIMVM ET Doctissimum Virum D. Iulium Cæsarem Vaninum Theologiæ Iurisprudentiæ & Philosophiæ Doctorem Celeberrimum.

EPIGRAMMA.

Οὐκέτ' Ἀριστοτέλη μέγαν, οὐδὲ Πλατῶνα γεραίρει
Ἑλλάς; ἄρ' ἄλλον ἔχει τὸν σοφὸν Ἰταλία.
Ἠνίδε γὰρ φύσεως θησαυρὸν κλειτὸς ὀπάζει
Καῖσαρ Οὐανῖνις; πάντα κομιζόμενος
Αἴτια, κινήσεις, γενέσεις, καὶ μύρια τἄλλα
Τῶν ὄντων, Κόσμός τ' ἀγλαόμορφος ἔχει.
Τοὔνεκ' ἂν ἐστὶ κάλη γε τόσου θησαυρου ὀνήσις,
Ὡς ἐνθένδε μάθῃ πᾶς φύσιν ἀρχέγονον.

Pontius Priuatus Tharasconensis
Medicinæ Doctor.

tem fecimus, vt quod maxime quærebamus ad exhibendum in nos ille agere posset. Spes enim indubia erat artem non improbandam, qua vsi sumus, visum iri, & autorem ipsum cogi debere, vt quæ reuocare non poterat, comprobaret. Comprobauit itaque nostram in bene agendo præposteram fiduciam, & lumen sibi inscio datum admisit, atque lubens Soli maximo dedicauit. Tuum est, beneuole Lector, laudare admirandam sapientissimi Philosophi in componendo hoc opere scientiam, & nostram in publicando solertiam. Vale & donis à me tanquam à Prometheo furtiuis, bonisque vtere cœlestibus.

TYPOGRAPHVS Lectori.

NVlla re magis itur consultum generi humano, quam cognitione rerũ, quas Deus fecit occultas, vt tanquam lapilli in obscuro, secretius emicare possent. Pauci vero sunt quos ardentis virtutis afflatus in hoc studium excitauit: & sentimus vix fieri, vt singulæ ætates singulos ferant. Vnicus ætate nostra verus Philosophorum Princeps, & Aristotelis rediuiuus ab omnibus doctis noscitur. I.C. Vaninus, qui omnes scientiarum Deos intulit Latio, & æternitati iam ante litauit. Vnde nos publicæ vtilitatis solliciti, alia eius monumenta, quæ auarius retinebat, per idoneos exscriptores nanciscі curauimus. Itaque eius Dialogi LX. totius Philosophiæ arcana continentes ad manus nostras peruenere, quos duobus integerrimis, doctissimisque Viris tradidimus, vt ad maiorem tuam (candide Lector) facilitatem quatuor in libros diuiderent, & cuique libro apponerent titulum: quod libenter illi præstarunt, & libentius nos in lucem damus, sine expresso illius consensu, non tamen sine cõcessu. Nam cum hic labor noster ad finem accederet, illum furti istius nec manifesti certio-

Extraict du Priuilege du Roy.

LE Roy a permis & permet à Adrian Perier Marchãd Libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer vn liure intitulé, *Iulij Cæsaris Vanini Neapolitani, Theologi, Philosophi & Iuris vtriusq; Doctoris. De admirãdis Naturæ Reginæ, Deæq; Mortaliũ Arcanis*: Auec deffenses à toutes persõnes de quelque qualité & condition qu'ils soient, de n'imprimer ny faire imprimer, vendre ne debiter ledict liure durant le temps & terme de six ans, sans le consentement dudit Perier, a compter du iour que le liure aura esté acheué d'imprimer, sur peine de confiscation desdits liures, & de tous despens dommages & interests. Et voulons qu'a chacun desdits liures estant mis vn Extraict de nosdictes Lettres, elles soient tenuës pour suffisamment signifiees, comme plus amplement est declaré esdites Lettres de priuilege: Acheué d'Imprimer le premier iour de Septembre, Mil six cens seize. Et de nostre regne le septiesme.

Par le Roy en son Conseil,

Signé, DE VERNAISON.

IVLII CÆSARIS VANINI DOCTORIS ACVTISSIMI

Liber Primus

De Cœlo & Aere.

DIALOGVS I.

INTERLOCVTORES.

ALEXANDER. IVLIVS CÆSAR.

ALEX.

SAluus ſis Iuli Cæſar. I. C. Tu quoque ſalue, quid iſtuc mi Alexander dilectiſſime? Quid quæſo rei huc te tam matutinum egit? an eſt aliquid, in quo mea opera opus ſit tibi? ALEX. Maxime. I. C. Age, fare, ſiquid habes, ad omnia tibi prȩſto ſum. ALEX. Non dubito id quidem. I. C. Imo dic vno verbo, dic quid eſt quod me velis. ALEX. Ita faciam, quandoquidem ita me beneuolè ad id inuitas. Hoc igitur ipſum eſt, quòd

etiamsi multos annos in Sorbonicis Scholis sim philosophatus, ita tamen arduis & abstrusis quibusdam difficultatibus, tanquam Chrysippeis retijs irretitus detineor, vt si me ab ijs explicueris, non recuso quin Philosophorum Deus in posterum vociteris. I. C. Arduum est quod petis, & perexiguis ingenioli mei viribus sanè impar. Alex. Hem quid audio? etiam Philosophi hyppocriticis maculis animi cādorem confœdare audent? I. C. Absit vt à sapientissimo, optimoque Posteritatis Senatu tanti criminis reus Iulius Cæsar expostuletur : nec enim futuræ laudis voces auidis captat auribus, nec auræ popularis fauori temerario inhiat, sibique ipse conscius est, ea quæ scimus esse minimam partem eorum quæ ignoramus. Alex. Eia, Vir absque controuersia de quacumque scientia optimè merite, solitudinis molestiam iucundissimis litterarijs colloquijs deleamus I. C. Excusatum me habeas quæso. Alex. Cur ita? I. C. Quia non in promptu mihi est, qualem tu desideras, rotūda, neruosa, & circunspecta satis oratio. Alex. Imo tibi est omnium assensione lepidissima & elegantissima. I. C. Si me non irrides, habeo gratias. Alex. Nec te irrideo, absit, nec te mihi agere gratias æquum est, sed nunquam mihi gratius feceris, quàm vt hic disputationi dictus sit dies. I. C. Id quidem tua causa maxime lubens facerem, sed inuitus ne faciam istud me mouet exemplum. Alex. Quale illud est? I. C. fit læsio repentina illata luce ijs, qui diù in tenebris commorati sunt. Alex. Cur id acci-

dit?I. C. quia inaſſuetis nouæ ſunt ſpecies, omne autem nouũ valde immutat ſenſum. Alex. Scitè quidem, ſed quid iſtud ad tuam excuſationem? I.C. Plurimum ni fallor, meliorem enim ætatem in peregrinationibus, & in aulis Principum cum temerè, fruſtra & miſere prodegerim, parum idoneum me agnoſco huiuſmodi perplexiſſimis philoſophicis diſputationibus explicãdis: at quæ maximè præclara ſunt, diligentiſſima indigent enucleatione. Alex. Id quidem verum eſt, ſed tibi lectiſſimæ non deſunt obſeruationes infinitæ penè lectionis quas adhuc adoleſcentulus ſelegiſti, adeſt ingenij vigor inſignis, acerrimumq; iudicium, quod ſapientiæ animam vocare ſoleo. I.C. Non hos amabò indebitæ mihi laudis ſtimulos addas, ad acuendum animum noſtrum longo marcidum otio. Alex. Illi igitur nihil prætermittendum eſt quod ad pleniorem ſeſe offerat contemplationem. I.C. Non aſpernabor tam bellam addiſcendi occaſionem. Tua igitur fretus humanitate, acuratiſſima ſucculentiſſimaque oratione tuæ ſtudioſæ voluntati morem gerere enitar, dummodo, ſi quid errauero, foras te non elaturum, per ſacros Ariſtotelis manes iureiurando mihi pollicearis. Alex. Itane Seculi noſtri Iuuentuti inuides, vt ne guttam quidem ex tuis opulẽtiſſimis ſecretioris philoſophiæ fontibus deguſtandam concedas? I.C. Non es neſcius me in diſputando à popularibus opinionibus abhorrere, itaque quæ à me dicentur, quò à vulgo erunt remotiora, eò propinquiora

calumniæ. Alex. Obtrectatorum fastidia tuis virtutibus multò minora esse iam eruditi viri intelligunt:quid quæris,quid exoptas amplius? Plus es apud Sapientum iudicia consecutus laudis,quàm vt ne tantillum quidem bonæ famæ per Aristarchorum detractionem, & semidoctorum Censorum maleuolam inuidentiam amittere tibi sit periculum:habes quod perpaucis bonis viris contigit, clarum nomen apud Galliæ Proceres:passus es,quod sæpe sapientissimi viri,obtrectationem: à te id remotum est quod ignauissimi complures obtinuere,argenti nẽpe copia,verum Philosophantium animorum præcipitium. I. C. Noli (te deprecor) vanæ gloriolæ fuco deceptum in ea me loca inducere,vnde pedem referre non liceat: Sapientiæ quidem studium me impellit,at rei magnitudo me reuocat. Alex. Est aliquid amicorum & philosophiæ gratia audendum. I. C. Si te mihi igitur Ducem præbueris, Sacrosancta Sophię penetralia adire non amplius tergiuersabor. Alex. Ego quidem præibo libens abditissimas proponendo quæstiones & difficultates, Tu respondendo me sequere. I. C. Lubenter quoad potero faciam. Alex. Sic opto: I. C. Rem igitur ipsam auspicare. Alex. Non excidit tibi memoria mellitus ille Vatis Itali versiculus.

Non si comincia ben, se non dal Cielo.

A Cælo igitur occipiamus. I. C. Perplacet mehercule,sic enim & ipsi Cælicolæ nostris aspirabunt cæptis.

DIALOGVS II.

De Cœli Materia.

ALEXANDER. IVLIVS CÆSAR.

ALEX.

QVandoquidem Lycei Doctor celeberrimus Stagyrita, tria dixit esse omnia, Deũ scilicet, Hyle, & Cœlum, inuestigemus quæso, quamnam Deus ipse Materiam Cœlo attribuerit, imò priùs disquiramus, sit ne omnino in Cœlo materia? I.C. Auerrois quidem Sectatores pro Cœli sempiternitate dimicantes, materiam è Cœlo amouerũt. ALEX. Bone Deus, quænam illos ad hanc opinionem adduxit ratio? I.C. Audies. Materia (inquit Auerroes) est subiectum contrariorum, igitur & corruptionis: at in cœlo corruptio nulla, nec materia igitur. ALEX. Perdoctè ædepol. I.C. Mihi vero maior argumenti propositio non probatur. Materia enim non est subiectum omnium contrariorum necessario, sed contrarietatis tantum, quæ est secundum vbi. A Natura enim data fuit materia non ob transmutationem ad generationem primò & per se, vt vbicunque sit, ibi etiam sit generatio, & corruptio, quæ ex contrarijs infertur: sed ad subsistẽdum formæ corporeita- *Auerr in lib. de subst. orb.*

tis in ſubſtantia,& recipiendum quantitatem & figuram: quantitatem, propter loci mutationem; figuram, propterea quod omne corpus finitum eſt: at quantitati, & figuræ nihil eſt contrarium. Vel vt facilius id explicem, non eſt materia ſubiectum corruptionis, niſi cum eſt ſub corruptibilibus formis naturalibus à quibus fluunt accidentia, quæ habent contrarium vel contraria poſita ſub differentijs item contraria. Materia vero cœleſtis non habet accidētia, quæ ſint ad contrarietates: eius ſanè qualitates, ait Auerr. ſunt diuerſi generis ab alijs: cōtraria autem ſub eodem ſunt genere: Cœli vero figura circularis eſt, cui nihil eſſe contrarium prodidit Ariſtoteles: & ſi quid eſt in Cœlo contrarium, illud non eſt contrarium ad corruptionem, ſed ad perfectionem quippe motum, vnde, quo. ALEX. Tam abſtruſa eſt hæc ratiocinatio, vt eius conceptum aſſequi me poſſe diffiderem, ni eam luculentiſſimè in tuo Amphitheatro explicatam perlegiſſem. I.C. Atque idcirco tam difficilis ſententiæ demonſtrationem breuiter ego perſtrinxi, quia eam, vt meminiſti, extraordinaria opera in exercitatione quinta explanaui. ALEX. Sed quænam fuerit ſuper hac re Platonicorum ſententia, ſcire percuperem. I. C. illi, imbecillia ingenia ambagibus eludentes, ita inquiunt: Quemadmodum eſt forma quædam materialis, quæ in prima materia eſt, atque iccirco vix forma dici poteſt (formam intelligunt corporeitatis) ita eſt materia quædam quæ vix materia nominari poteſt: ea

eſt Cœli materia: quapropter materiam hāc formalem vocāt; ſic Iamblicus inquit in Cœlo materiam aut nullam, aut ſi ex hac noſtrate conſtat, adeo illam immutatam, vt effecta ſit forma: Cœlum enim quod videmus materiam formalem eſſe, ſicut è cōtra formam quæ in rebus ſit inferioribus, factam materialem. ALEX. Non arridet mihi hæc opinio. I.C. Haud miror. Quandoquidem in ſapientiæ ſcholis enutriti percipere nequeunt, quomodo materia vna ab alia diuerſa ſit, niſi per aduenientem formam, qua fit hoc aliquid: at forma corporeitatis ſe ipſa aliud eſt à quauis alia forma. ALEX. Sed Ariſtoteles ſupremus ille humanæ ſapientiæ Dictator quid ſuper hoc cenſuit? I. C. In Cœlo eſſe materiam, quia Cœlum habet potentiam, vnde, quo. Addamus & nos, ibi neceſſariò materiam ſubiectam eſſe, vbi quantitas eſt & figura, (non loquor tamen de ſupercœleſti ſynaxi) At in Cælo quantitas eſt & figura, & materia igitur. ALEX. Perpulchre quidem. I. C. Præterea in ipſorum Auerroiſtarū ſcholis trita eſt hæc regula, nihil mouetur præter corpus, at Cœlum mouetur, igitur corpus eſt, & per conſequens materiæ non expers. Profectò corpus conſtituere ſine materia, idem eſt, ac ſi conſtitueres ſomnium ſine ſomno, quemadmodum ipſi dum has proferunt ineptias, ſimul vigilant & ſomniant. Sanè Auerroes ſuam pinxit ſententiam nominibus, quibus res ipſæ nulla ratione reſpondere poſſent, ait enim, Cœlum non eſſe materiam, ſed corpus: quaſi dicat, vt ioco rem

Ard l 9 metaph. t 17. & l. 12. t. 10.

ante oculos ponam, panis est sine farina. Alex. Quandoquidem in Cœlo materia est, perquiramus quæso, qualis nam ea sit. I.C. Ex aqua & igne cõstat Cœlum secũdum Caldæorum, Hæbreorumque deliria, & deliria quidem, namque si vera esset eorum sententia, continua foret in Cœlestibus corporibus pugna, quinimò ipsum rueret Cœlũ. Aqua enim corpus graue cum sit, in altis diu consistere non potest, sed ima petit statim. Alex. Quæ rudes hos Asinos dementia cœpit? I.C. Decepti sunt illi miseri ex praua Mosaici eloquij interpretatione: Loquitur enim diuinus ille Philosophus sæpenumero de aquis quæ supra Cœlos sunt, & de igne qui de Cœlo descendit: Locatum igitur à loco non discernentes, eò ineptiæ reciderunt, vt nonnulli ex ipsorum Magistris, quos Rabbinos vocant, ex fumo Cœlum compositum asseuerarint. Alex. Verba sanè spongia & carbone potiùs digna quàm cordati viri confutatione. Sed quęso dum matutinus auicularum concentus suauissimis susurris recreat animos, diuini Platonis, qui Musicæ nostrum assimilabat intellectum, sententiam in medium proferas. I. C. Is in cœlesti illo Timæo docuit, Cœlum ex terra & igne factum esse. Alex. Igitur apud Platonem terra prior est Cœlo. I.C. Ita. Alex. Sed quo rationis stabilimento eas præfulcire ineptias ausus est? I.C. Non conspiceretur, inquit, Cœlum, nisi constaret ex ijs. Alex. Quid tu ei obijceres? I. C. Aqua igitur, cum conspiciatur (suscipite Platonici manes diuinissimi hoc à me laudis

ſacrificium) ex terra & igne conſtaret, ſcilicet ex duobus ſicciſſimis,& vno calidiſſimo, vnum frigidiſſimum & humidiſſimo proximũ. Alex. Sed ego,ni fallor, diuerſam apud non ignobiles Platonicos perlegi ſententiam,cuius,ſi meminiſti,mẽtionem facias rogo. I.C.Illi quidem in tres trientes mundum quaſi aſſem diuiſere, vt Primus triens quatuor capiat Elementa :Secundus quatuor priores Orbes,quorum primus cùm ſit Luna, eam terram æthercam auſi ſunt nominare: In tertio triente ſtatuunt pro aqua Saturnum,&primum mobile,ſcilicet octauum pro terra,in quo Eliſia plantant vireta. Alex. Eæ ſunt Platonicorum picturæ quæ tamen inuenerunt amaſios ſuos. I.C. Veluti pupæ puerulos. Alex. At ſapientum Pontifex maximus Ariſtoteles quam ea de re ſententiam protulit? I.C.Cœlum nũcupauit Quintum Elementum, Alex.Platonici vocẽ hanc rigido deſpicãtur ſupercilio.I.C.At immeritò:ſi enim ipſi perplebei ſanè ingenioli homũculi veriti non ſunt nec verecundati infinitos propemodum Deunculos Græcæ fidei ſymbolo addere,cur Philoſophorum Deo vnicam voculam in Naturæ cenſum inuehere non licebit? Alex. Hæc ex aliorum ſententijs pronunciata ſufficiant. Tuam modò ſi placet ex opulentiſſimis Apothecis opinionẽ promas. I.C.Ego vero,ſi id per te liceat, aſſerere non verebor,materiam Cœli eãdem eſſe cum hac noſtrate:indiuidua nãq;materia prima eſt, & rerum principium:ex ea igitur conſtant Cœli, quemadmodum & noſtratia:ſunt Cœli partes

materię primę veluti hæc inferiora: at pars à parte non differt essentia. ALEX. Verùenimuerò, Vir ingeniosissime, vide quid inferas, nam si eadem esset Cœlorum, ac pulicis, seu scarabei materia, vt asseris, Cœli vilescerent. I.C. Nequaquam, humanum siquidem corpus, subiectum cum sit diuinæ substantiæ, quæ dicitur intellectus, non est minus nobile quàm cœleste: hoc non informatur ab intelligentia, illud autem informatur ab intellectu. Hominis tamen materia alia non est à materia stercoris Asinini: id quod in compositi dissolutione per formæ absentiam conspicitur. Quis enim in sanctorum Innocentum, vel Diui Sulpitij cimiterio à murina & vermiculari materia humanam discernere vere valeat? Nemo prorsus. ALEX. At meritò, ni fallor, obijciam, Cœli materiam nulli esse corruptioni obnoxiam, nostri verò quàm plurimis. I.C. Istud vero pernego, ipsa enim nunquam corrumpitur, sed id quod ex ipsa fit. ALEX. At Cœlestis materies ab ignis qualitatibus non destruitur, cùm nihilominus tam propinqua ei sit, nostri vero materia maxime, hæc ergo ab illa diuersa cēsenda est, nam in nono diuinæ Philosophiæ scriptum est, materiã esse passionis principium, & causam propter quam patitur patiēs. Quæ igitur cõmunem habent materiam, communem quoque habere naturam ad mutuam actionem ac passionem, in duodecimo eiusdem, & in primo de Generatione decretum est, ac propterea Cœlum, si eandem cum igne cõtiguo materiam possidet, ab eo consumetur. I.C.

Hîc ego non dicam, Cœlum ab igne non destrui, quia nullum credo esse prope Cœlum, nec alibi Ignis Elementum, vt alias fortasse probabo, sed mitioribus vtens verbis, cõcedo, ignem esse Cœlo contiguum, in illud tamen non agere: Nec enim verum est quod ais, quæcunque cõmunem materiã habent, ea inter se agere, aut pati mutuo: sed id euenit ibi tantũ, vbi cõtrariæ sunt qualitates: quare in Cœlo cum non sit affectio ijs, quæ in igne sunt, affectionibus cõtraria (sunt enim secundum Peripateticos diuersi generis, nam differunt per corruptibile & incorruptibile, contraria autem sub eodem genere sunt) Cœli qualitates ab ignis qualitatibus non destruẽtur. ALEX. Erudita sane respõsio. Iã vero per Aristotelis Geniũ te deprecor, id mihi explices. Materia Cœli est ne eadẽ in omnibus Cœli partibus. I C. Hieronymus Cardanus Subtilitatũ Professor & de nobis optimè meritus pernegat. ALEX. qua vero ratione fretus? I. C. Quia non eundem ad modum cuncta lucẽt astra. ALE. At quomodo diuinum illud animal ex diuersis cõpositum est materijs? sanè duæ si essent materiæ, duæ etiam formæ. Tu vero dic quid sentis? I. C. Non plures esse in Cœlo materias, sed plus materiæ in vna Cœli parte quàm in alia: quare dẽsitate, & raritate, non materiei diuersitate Cœli partes differre mihi credẽdum duco. Aristotelis namque sum alumnus, nec pœnitet. Is me docuit eandẽ esse Cœli & Stellarum substantiam, & Auerroes negat in Cœlo heterogeneitatẽ: hinc veterũ Philosophorũ, qui stellã in

Card. l. 3. de subt. cap. de cœlo in initio.

Arist in. 2. de Cœlo. t. 41.

Auerr. in 3. disput.

Cœlo velut in tabula nodũ arbitrabantur, error deprehenditur: Sydus enim est Cœlũ ſuũ dẽſum & Cœlum est ſydus ſuum rarum: quippe ex partium ſitu propinquiore tollitur pelluciditas, id quod in tela denſiore aut rariore, familiari exẽplo obſeruari facile poteſt. ALEX. Bone Deus quantum iacturæ fit ab ijs qui te non audiunt. I.C. Imo vero ab ijs qui me audiunt.

DIALOG. III.

De Figura & Colore Cœli.

ALEXAND. IVL. CÆS.

ALEX.

AGe nunc, Doctor Subtiliſſime, inquiramus quæſo, qua de cauſa rotundam Cœlum retineat figuram? I.C. In promptu ratio eſt, nempe quia Cœleſtis illius animalis æternitati, atque diuinitati conuenientiſſima erat æterna, diuinaque figura, qualis eſt ſola Circularis. ALEX. Cur illam æternam nominas? I.C. Multis quidem de cauſis. Quia diſſolui non poteſt, eſt enim continua, & vnilinea, neque punctum habet cognitum aut ita deſignatum vt ſit principium diſſolutionis, quemadmodum habent aliæ figuræ; qua enim committuntur lineæ angulares, ibi deſinit quodammodo trianguli conſtitutio: Et profecto deſinit, quia ad aliam ſeſe transfert lineam, vt quod in ea linearum cõmiſſura non poteſt eſſe, ſit in alia linea.

Compositæ igitur figuræ in suas sunt resolubiles portiones, quæ habent commissuras manifestas, id quod in circulo non est, vbique enim est principium & finis, vtroque tamen ille carens. A L. Perbellè quidem. Verumenimuero quæ te mouit ratio, vt eam diuinitatis titulo adornares? I. C. Quia ad infinitum accedit. Finitum enim spatium est quod concluditur, infinitum quod non terminatur, quare finitur illud quauis figura. Hoc autē extra figuram per lineā quoquo versum rectam: Nam circularis in se recurret, aut se secabit, aut intra se desinet: recta autem non; quamobrem ea quoque figura, cuius termini omnes accedent propius ad rectam lineam, participabunt aliquo modo naturam illius infiniti. Huiusmodi autem est circuli extremitas, quia vna est, sicut linea recta vna. Angulares verò, non vna. A L E X. O me felicem, qui Philosophorum Principem subtilissimè disputantē excipio. Sed perge Vir omni laude sublimior, meq; docere ne graueris, An Cœlum habeat dextrum & sinistrum? I. C. Pithagorei affirmabant. ALEX. Quam ob causam? I. C. Quia alioquin esset animal imperfectum. ALE. Imò si careret vtroq; , lōgè perfectius mihi videretur. I. C. & ita est proculdubio, sinistrum enim quid imperfectum est in animalibus, dextro namque est imbecillius, & ad opus faciendum ineptius, ideo volebat Plato suos Ciues esse ambidextros: Itaque Cœlum, si Animal est, vt illi asserebant, perfectissimum, sinistro caret, & dextro igitur, sunt enim relatiua.

ALEX. At occurrunt ne tibi rationes aliæ, quibus Pytagoricam hanc possis euertere disciplinam? I.C. Nunquam deficit ratio pro veritatis tutela. Audi. Nulla cùm sit Cœli pars in cuius locùm altera non succedat, isque motus sit perpetuus, atque partes ipsæ vniformes, non potest alia cœli pars dextera, alia sinistra verè censeri. Per motum enim quæ dextra modo erat, statim fiet sinistra secundum situm & locum. Præterea, si Cœlum haberet dextrum & sinistrum, non verteretur super Polis æqualiter, tanquam rota super axe, sed alteri innixum atque insistēs Polo, ita circumageretur, quemadmodum molæ quædam pistrinariæ, axe ad perpendiculum posito, atque ea esset sphera recta, non illa quã statuunt Astrologi: id quod est perridiculum, ne dicam absurdum. Non enim huic potius quam illi inniteretur, æquiformes enim sunt. Memini legisse me apud Philosophum, fieri motum super stabili: sinistrũ igitur in primordijs naturalibus motus animalium habet rationem stabilis; Quapropter sinistrum esset in Cœlo axis, non Occidens. ALEX. Putas ne Platonicos Pytagoreæ sententiæ refragari? I. C. Ita equidem. Cum enim ipsorum Princeps in Timeo docuerit, Cœlum esse corpus perfectissimum, atque simplicissimum, quod neque superiorem habet partem, neque inferiorem, nec anteriorem, nec posteriorem, fateri coguntur, Cœlum non esse dextræ vel sinistræ partis ratione à seipso diuersum. ALEX. Quin potiùs nostri si habeatur ratio, erit ea pars sinistra nobis, quæ à Pytagoricis

Aris. in lib. de motu anim.

dextra censetur, vt manifestissimè, dum Solem intuemur, agnoscimus. I. C. Subtiliter quidem, verum ne sic quidem rectè erit: Etenim ijs, qui trans æquinoctialem habitant lineam, contraria erit dispositio. A L. Rectè & doctè ædepol. Sed nescio quomodo sum oblitus quod te volebam. Ah memini. I. C. Quid istud est? A L E X. Sit ne Cœlũ coloratum? I. C. Aristoteles scripsit, Cœlum esse per se sensile, eiusque magnitudinem percipi, coloratum igitur esse censuit, nam sensibilia non nisi coloris ratione videntur. A L E X. Magnitudo & figura sub coloris ratione non sunt, an igitur si non sunt colorata videri poterunt? I. C. Minimè, extẽsio namque quantitatis, & eius terminatio, qua figura conformatur, nullam sui speciem visui præbẽt, id quod patet in translucidis, cuiusmodi Aer est. Cœlum igitur cum videatur, necesse est vt insit in eo color aliquis. A L E X. Ego quidem existimaui aliquando, Cœlum coloratum videri potiùs quàm esse. I. C. Probabilis sane sententia, nam & Aer, qui prope nos est, nullum habet colorem, procul tamen à nobis habere videtur. A L E X. Quam reddis huius rei rationem? I. C. Quia densatur non per compositionem partium, sed per dispositionem: distantia namque multas visui representat partes per longitudinem in linea visuali dispositas, vt sit eadem ratio visionis in corpore raro productæ in longitudinem, & eiusdem in corpore condẽsato, atque in breuitatem coarctato. A L E X. Gaudeo mediusfidiùs me tam sapientem cau-

Arist. li. de cœlo text. 4.

ſæ meæ Patronum adinueniſſe. I.C. Quinimo nec Cœlũ ipſum videri alibi aſſeruimus. ALEX. Cui rationi hæc tua innitur aſſertio? I.C. Ipſum tranſlucidum Cœli corpus trãſmittit radios, qui propter diſtantiam præbent ſpeciem corporis condenſati ob denſitatem in recta linea: eadem enim eſt ratio ſiue partes aeris condenſentur ad decem millia in corpore ſemipedalis longitudinis, ſiue eædem anguſtatæ in ſextulæ craſſitudinẽ, protendãtur in linea viſuali ad tricenos ſenos pedes. Sic etiam Summus omniũ rerum Opifex aerem ordinauit, qui tamẽ viſibilis non eſt. Eſt enim medium ad videndum, nequit igitur eſſe extremum. ALEX. Mane pauliſper in depromendis ſubtilitatum Theſauris, vt tam occulta contemplatio menti meæ tenacius inhæreat. I.C. Ego te morabor.

DIAL. IIII.

De Cœli Forma & Motore.

ALEX.

NVnc vero, mellitiſſime Iuli Cæſar, in dubio ſum, probes ne eorum ſentẽtiam, qui duplicem agnoſcunt in Cœlo formam, vnã qua Cœlum eſt, alteram qua mouetur, id eſt Intelligẽtiam. I.C. Minimè verò, hac enim ratione Cœli forma nihil aliud eſſet quàm corporis forma, quæ illud

lud mouere nequeat, per hanc enim hypothesin ab Intelligentia mouetur, quare Cœleste corpus esset culice & cimice lōgè deterius & ignobilius, mouētur enim hæc, illud minimè: Entis autem nobilitas à motu potissimum proficiscitur, vt pote quia vitæ est exordium. ALEX. Quid igitur statuēdum est? I.C. Vnicam in Cœlo esse formā, quia vnica in eo motrix facultas. ALEX. Vnde id assumis & præsumis? I.C. in Cœlo materiā esse iam supra probauimus, quæ sola cū non subsistat, necesse est (parcite barbaris vocibus viri elegātissimi) informari ab aliquo, sed nō ab Intelligētiâ, ea enim in materia nullo modo est, verùm ab anima, quæ Cœlo dat esse vitam & Motum, alioquin si in illa materia esset forma non mouens, nullam supra vermiculos, imo nec supra Crocodilli stercus formulæ dignatione sibi arrogaret cōmendationem: multo minus materiæ nobilitate primas sibi vindicaret, est enim eadem materia in omnibus, vt omittam materiæ essentiam esse (liceat, precor, mihi barbare loqui & bene sentire) receptiuitatem, quæ passio est, in passione vero nulla cōsistit excellentia. ALEX. Quàm maximè mihi arridet hæc contēplatio, sed à te siscitari in votis mihi est, A Quo moueatur Primus Cœli Orbis? I.C. Eū à Deo moueri videtur innuere Philosophus. ALEX. Id quidem perlegi, si bene memini, in duodecimo primæ Philosophiæ, verum tamen illi non assentior. I.C. Nec ego profecto. Deus enim est simplex, & in actu habet omnia, in potentia nihil, Dominus est tem- *Arist. 12 Metaphys. tex. 37.*

poris, & infinitæ virtutis; at in primi mobilis motore est aliquid simile potentiæ, actio namque crastinæ reuolutionis nondum in actu est, in potentia igitur ad illam est: Eius insuper actio est cum tempore, & finita secundum partes. ALEX. Alexander Aphrodisæus arbitratus est Deum non motoris sed finis habere rationem. I.C. Ita est, memini. ALEX. Nectarea igitur diuini viri verba in medium adducas quæso. I.C. Lubenter: Motus Cœli (inquit ille) propterea infinitus est, quia Deus infinitus, mouetur enim Cœlum vt ei sit simile, quod quia nequit infinitum esse, assequitur id quo potest modo, motus scilicet perpetuitate. ALEX. Sed dic mihi quid censes de Periparetici Senatus sententia, inquiunt enim illi, primum Cœlum ab Intelligentia rotari. I.C. Fabella hæc est etsi magnos habeat authores. AL. Cur ita tibi videtur? I.C. Hac de causa videlicet, quia ad hũc modum esset profecto Intelligentia sicuti iumentũ ad iugũ molæ trusatilis alligatum. Prætereà primum corpus impellens necesse est aliquo modo niti; At Intelligentiam, quis vnquam dicet niti? nec mouere igitur orbem. Ad hæc istud addi potest argumentum, si Intelligentia moueret Cœlũ, & ipsa moueretur, Nam ex Aristotele necesse est omne quod mouet moueri: At intelligentia non mouetur, quia corporea non est (nihil autem mouetur præter corpus inquiunt Auerrois sectatores) ergo nec mouebit. ALEX. Verum enimuerò si obijcerem, quemadmodum anima seipsam mouet mo-

uendo corpus, ita & Intelligentia seipsam mouet mouendo Cœlum; quid responderes? I.C. Parum aptam mihi videri istam comparationem, Nam anima non mouet se, sed corpus, ipsa vero mouetur per accidens, quia à corpore mouetur, motu tamen æquiuoco. Id quod de Intelligentia dici non potest, quia cum non sit in materia, neque per se neque accidens mouetur, sicuti neque lux in aëre moto. Concludam itaque vnico verbo aduersus Intelligentiarum Cœlorum motricium inuentores, & fautores, si Deus Opt. Max. omnium rerum causa est immediata, & vbique est, nec otiosus. quid, quæso, opus est Intelligentijs? dicite mihi perbelli Intelligentiarum cupitores, & amasij: Si infinita Dei potentia est ad omnia non modò sufficiens, sed etiam superabundans, si absque Intelligentiarum ministerio Cœlos creauit, & omnem eorum ornatum inenarrabili complexus est artificio, cur eos sine Intelligentiarum adminiculo mouere nequibit? Alex. Dij boni: Adstipulari mihi videntur hæc argumenta ratiocinationi cuidam, quam per somnium nocte præterita constituebam. I.C. Age sodes, enarra nobis somnium istud. Alex. Existimabam profecto ei me subscribere opinioni, vnicam scilicet esse duntaxat rerũ omnium formam, quanquam nihilominus res ipsæ sint diuersæ, sicuti vnica est corporis nostri forma; cuius alioquin partes admodum sunt differentes, quarumdam verò etiam principia contraria, vt pituitæ & bilis flauæ, carnis

& oſſis, cordis, & cerebri: eundem ad modum formam il[illegible]n, quam dixi omnium rerum vnicam, ſibi talem materiam, qualem collibuerit, fabricare, ambire omnia, eſſe in omnibus, & cũcta operari. I. C. Somniũ ædepol acutiſſime cõprobaſti, ſed abs te ſcire velim, ſi vna forma mũdus informatur, ſunt ne aliæ formæ ab illa informatæ? ALEX. Minimè, nec enim formas informari quis dixerit vnquam I. C. Erunt igitur formæ omnes illius formæ partes? ALEX. Maximè. I. C. At quomodo id fieri poteſt ſi formæ nõ ſunt inter ſe vniuocæ? Quædã enim ſunt materiales atque ſecũdũ materiã diuiſibiles, veluti elementorũ formæ: aliæ non diuibiſiles, ſed cõmunicabiles, vt ſpecies, nõ enim Equus in plures Equos ſecari poteſt; nonnullæ ſunt ſubſtantia quidẽ immateriales, cõiunctione verò materiales, vt intellectus humanus: aliæ credũtur penitus expertes materiæ cuiuſmodi dicũtur à vobis mentes orbium motrices; quapropter plus quam genere differunt, atque idcirco nequeũt totius cuiuſpiã vnius eſſe partes. ALEX. Quaſi Lucifer à meo intellectu caliginẽ excutis. Sed quid de Cœli Motore tibi videatur, patefacias obteſtor te per Pomponatij preceptoris tui Genium. I. C. Si in Chriſtianorum ſcholis enutritus non eſſem, aſſeuerarem, Cœlum eſſe animal quod à propria forma quæ anima eſt, mouetur. Profecto Ariſtoteles Cœli motum animalis motũ appellauit, aſſerens eſſe animal quod ſemper mouetur à ſempiterno mouente. Nec deſunt, qui ex Ariſtotelis inſtitutis ratio-

Ar. in l. d. motu animal

Ar. in. 2. de anima.

palem animam in hoc Cœlesti animali agnoscant, sic enim illam Aristoteles definiuit, actus corporis organici potentia vitam habẽtis. Hæc autẽ definitio Cœlesti animali cõpetit, igitur & definitum. Al. tu quid sentis. I.C. In Cœlo materia est. Alex. Placet. I. C. Et forma igitur. Alex. Concedo id quidem. I.C. At forma hæc brutalis non est , cuiusmodi Elementis inest. Alex. Haud inficior. I. C. Neque forma hæc est Intelligentia , illa enim in materia nullo modo est, igitur anima est, ergo mouẽs est, non igitur Cœlos mouet Intelligẽtia, nisi eos absurdè dicamus duos habere motores. Alex. Hæccine mihi tendebas retia ? Sed quia nunc pia religio quosdam incessit quominus apponentibus cœlo animam assentirentur, quid liberè profiteri possumus? I.C. Istud, ni falsus animi sum, Cœli molem à propria forma gyro agitari quemadmodum Elementa. Alex. At quomodo Cœli certis statisque legibus mouentur, si diuinæ mentes illæ motrices, primæ participes sapiẽtiæ non adsistunt? I.C. Quid mirum? nonne in vilissimis horologiorum machinulis, ab ebrio Germano elaboratis, certa stataque motus lex viget? vt silentio præteream tertianæ & quartanæ febris motum, qui certis aduenit & recedit spatijs, vt ne momento quidem lineam transiliat. Mare quoque certis statisque temporibus à sua forma, grauitate nimirũ, vt vos Peripatetici asseritis, agitur progressionibus & regressionibus. Quinimò cum Cœlum semper eodẽ feratur motu, à sua pura forma non ab Intel-

ligẽtiæ voluntate moueri dixerim. ALEX. Non inficior.

DIALOGVS V.

De Cælorum motu, Centro, & Polis.

ALEX.

COElorum motus sunt ne inter se cõtrarij? I.C. Id Philosophantium plebecula affirmat. ALEX. Imò & Philosophorũ proceres huic adstipulãtur plebeculæ, nec sine rationis fulcro. I.C. Eam audire percuperem. ALEX. Accipies. Contraria sunt quæ maxime distant, idcirco duo, vbi, vnum in centro, alterum in Cõcauo ambiente, cum maxime distent, pro contrarijs agnoscuntur: at Cœli partes inter se distant, contrariæ igitur sunt, I.C. Major est falsa, aliquod enim contrarium esset aliquo alio contrario magis cõtrarium, idque sine mediorum mixtione, duæ namque metæ, inter quas ducentorum passuum intercapedo est, si contrariæ sunt, illæ quarũ interstitium fuerit quingentorum passuum erunt magis contrariæ, magis enim distant. Addam amplius, si ponitur in maiori distãtia ratio contrarietatis in motu, esset in capite relationis cõtrarietas, sicuti mul-

tum & parum. ALEX. Quæso exemplo reddas mihi rem clariorē. I.C. Lubentiſſimè. Audi igitur: Cum manus ambas ex aduerſum cōplodo, illa vbi, in quibus ambæ erant, nemo ſapiens dixerit contraria: non enim pars aëris, vnde initium eſt motus dextræ, contraria eſt ſecundum ſitum, aëris parti, vnde ſiniſtræ motus initium eſt. Adde quod ſi ita eſſet vt partes maximè diſtātes in extrema circunferentia ſemicirciculi eſſent contrariæ, eadem profectò Cœli pars ſibi ipſi contrarium peteret locum, id eſt, inquam, ſibi ipſi ſecundū ſitum contraria eſſet, id quod eſt ridiculum: ALEX. Quonam pacto id eueniret? I.C. Exemplo te docebo, ſi ea loci pars, quæ ſub Arietis eſt capite, ei parti contraria eſt quę ſub Librę capite eſt, quomodo Librę caput locum illum habere poteſt, & hunc alterum petere? ALEX. Ego verò non intelligo hæc Aſtronomica Sophiſmata. Sed, doce me paucis verbis iiſque lucidiſſimis, An in Cœlorum motibus adſit contrarietas. I. C. Ariſtoteles negat. ALEX. Quā ob cauſam? I C. Quia motui circulari nihil eſt contrarium, quāobrem multò minus ſibi ipſi erit contrarius. ALEX. Cum exirem ex Ephæbis iam tum iſtiuſmodi percallebam rationem, ſed à te ſubtiliorem expoſtulo. I. C. Attende igitur animum. Duo corpora quæ motu contrario mouentur, in eodem termino ſuorum, vbi, eſſent naturaliter, quod eſt perridiculum, id quod manifeſtum erit, ſi quis intelligat, Saturni corpus eſſe ſub Arietis capite primi mobilis, ibi eſt enim communis ter-

Ariſt. lib. 4. de cœl. c. 4.

minus qui designari potest intellectu duobus vbi, tam Saturni, quàm capitis Arietis, ALEX. Ingenuè fateor subtiliora hæc esse dogmata, quàm vt à me percipi queãt. Missa igitur hæc faciamus, & disquiramus parumper, si tibi ita sedet in animo, an Cœlum opus habeat centro immobili circa quod voluatur? I. C. Philosophorũ vulgus asfirmat. Alex. Scio equidem, nãque terrã inquiũt iccirco factã immobilem vt circũ eam Cœlũ verteretur. I. C. At enimuero posset ipsa nihilo seciùs in puncto moueri, non enim eo motu exiret è proprio loco, nihilque propterea flagitij in Cœli rotationem cõmitteretur: Ad hoc, si Cœlũ egeret corpore super quo rotari deberet, idẽ ei ab igne præstaretur, quod illi à terra præstari scribunt, nunquam enim de suo loco decederet ignis. præterea Cœlorum rotationes non magis egent terræ stabilitatis vt moueantur, quàm terra ipsa indiga puncti illius medij quod centrum vocãt, vt non moueatur, nam etiam tellure amotâ nihilo secius giris illis sempiternis Cœlum agitaretur cuius motionis (vt subtilius loquar) causa non est puncti immobilitas, sed huiusmodi in loco motionis, si enim esset alibi pũctum, aliubi quoque moueretur: quin ne hic quidem ingenij nostri vigor obtorpet, Punctum illud nihil est, quomodo ergo erit causa existentis rei? quippe motus res est, Addam subtiliora, non esse punctum id principiũ vllo modo Cœlestis circinationis, quemadmodum nostrorum circulorũ, sed è contrario effectam puncti speciem in no-

ſtro intellectu, ex illa circuitione ALEX. Ego vero dicerem, Cœlũ circumagi non ſuper centro, ſed ſuper polis. Nam quod ad centrum attinet, temere Cœlum vagari poſſet, at non vagatur, non enim horſum potiùs quàm aliorſum circumuolueretur: Quinimo affirmare audeo, etiamſi eſſet totum in medio vacuum, futurum vt hoc eodem, quo nunc modo vertitur, verteretur, quippe ſuper ſuis punctis, quos à verſatione Græci polos, Latini vertices appellarunt: ſed quæ tibi ſuadet ratio nihil eſſe polos niſi per imaginationem? I.C. Polus aut eſt aliquid Cœli, aut extra Cœlũ: ſi extra Cœlum, erit aliquod corpus in ſe fixum, atque immobile extra punctum, quod centrum terræ vocant. Si eſt aliquid Cœli, aut eſt partibile, aut non partibile, ſi diuidi poteſt, ergo continui pars mouebitur parte aliâ immobili, id quod eſt contra continui definitionem traditam à diuino Præceptore. Si eſt indiuiſibile igitur quodcũque ei proximũ eſt, eſt item indiuiſibile, & huic aliud, & alij aliud, quare Cœlum non mouebitur, aut partibilia multa terminabunt vnum impartibile. ALEX. Auerroes quoque ſcripſit, Cœlum Geometricè quieſcere, non verè, quia nulla ſubſtantia in orbe eſt in actu quæ non moueatur. I. C. At ego illi ſic obijcerem, per te, ô Auerroes, nullus eſt polus niſi per imaginationem, quies igitur non reuera ſed imaginatione duntaxat, quonam igitur modo verus fiet motus ſuper

Ariſt. 4. Metha. t. 8.

Auerr. in 2. l. Cæli t. 14.

quiete non vera? & motus naturalis super quiete mathematica? Sane motus sine quiete fieri non potest. ALEX. Idem Auerroes alibi tradidit polorum quietem esse transumptiuam. I.C. Nugæ, nam inter partes illas mobiles esse medium neque mobile neque quantum intelligere necesse est, ad quod, & à quo partes illæ terminẽtur; adolescẽtulus cum essem, credidi, ibi nihil esse immobile, sed moueri circa punctum eo modo, quo motus incipit à puncto. Sed quid blatero cum meis istis argutiolis, quando Philosophorum Magister scitissimè id pertractauit. ALEX. O vtinam Magistrum Aristotelem non excepisses, quia non dubito quin fortiorem sapientiæ arcem exædificasses. I.C. ha ha ha.

Auerr in 4. Phys. t. 118.

Arist. in lib de mot anim. c. 4. 5. 6. 7.

DIALOGVS VI.

De Cœli æternitate.

ALEX.

AT Vir optime, & sapientissime, hoccine verum est quod de te mihi relatum fuit nudiustertius, tibi nempe, solâ religione persuaderi Cœlum aliquando finem habiturum, quia corruptio fit à contrario: Cœlo autem nihil est contrarium, sanè non ignis, neque enim nunc ille comburit Cœlum: atque eã-

dem ob causam vniuersam mundi materiam à corruptione, vt audio, vindicas, quia materiæ nihil est contrarium. I. C. Quid hoc ad te? huius rei veritas sit penes præscripta religionis. Philosophemur si placet. ALEX. Nihil mihi optabilius. Sed vis vt verum fatear, nec mihi philosopho arridet sententia tua de Cœli æternitate. I.C. Age dic sodes quam ob causam? ALEX. Si Cœlum esset æternum, aliquod infinitum esset alio infinito maius, consequens est falsum, ergo & antecedens. I. C. Nego tibi seu potius Algazeli, à quo desumpsisti, maioris sequelam. ALEX. At ego probo. Solis enim plures sunt quam Saturni reuolutiones, & vtræque sunt infinitæ ex hypothesi, qua constituis Cœlum esse æternum. I. C. At istud non est sic intelligendum, neque enim tibi concedo Solis reuolutionem esse trigesimam reuolutionis Saturni partem, sed est vna intellectione perceptibilis pars suæ infinitatis, quę tametsi est pars tamen est in infinito, propterea quod est continuata supra omnem numerum, neque infinitum aliud alio infinito maius minusue est, sed motus ipsi plures, aut pauciores in partibus ipsis tãtùm comparati: perpetuitas autem eadem & vna est in omnibus continuata, neque propterea per suas partes communicata. ALEX. Dij immortales homini homo quid prodest. Algazelis argumentationi vt satisfacerem, quot peruolui libros, quot deuoraui molestias, quot exantlaui labores, quot mihi fuerunt noctes insomnes. Tu vero nunc tribus verbis scitissime

absoluisti. Sed adhuc Philoponi duæ aduersus Cœli æternitatem rationes me malè premunt. I.C. Quæcunque sint, illas hilari proponas animo, nam statim resolutas videbis. ALEX. O vtinam. I.C. Fac cito si quid facis. ALEX. Si æterno mundo nulla vnquam fuerunt temporis principia, ergo sunt actu indiuidua infinita. I.C. Consecutio negatur, non enim benè nec verè sequitur, indiuidua sunt infinita, ergo actu sunt infinita: sunt enim infinita successione, non numeratione præsenti. Finita nunc, infinita verò propter alia subeuntia. Hoc vero est beneficio temporis, tempus autem est infinitum beneficio motus nunquam desituri. ALEX. Nec Apollinis Oraculum veriùs potuisset dare responsum. Sed quæso alteram Herculeam Philoponi columnam euerte si potes. I.C. Quò præclariora sunt facinora, eò libentius excelsi animi attendere solent. ALEX. Omne finitum est corruptibile, Cœlum est finitum, ergo corrumpetur. Maior ita probari potest, id quod est finitum, non est à se, habet igitur principium & per consequens finem habebit. Nam omnia orta occidunt inquit Hæbreorum Sapiens. Item, id quod est finitum, non habet potestatem nisi finitam, ergo & corruptibile est.

Quòd autē Cœlū sit finitū, ideo patet, quia corpus est, omne autē corpus finitū est: Corporis enim superficies, superficiei linea, lineæ pūctum terminus est. I.C. Auerroes ita respondet. Quāquam corpus est finitū, tamen in eo potest esse priuatio infinita, quia priuatio non pendet à po-

testate, sed actio: sic terra infinitam quietem habet, quia caret forma, quæ inde eam amoueat. Cum igitur absentia motricis in ea formæ sit infinita, priuatio motus in ea erit infinita, hæc autẽ est quies, ergo terræ quies est infinita; ita quoque Cœlum est Æuo infinitum, propterea quod in eo est priuatio infinita. ALEX. Nugæ sunt hæc omnia. I. C. Imò nugacissimæ nugæ, hac enim ratione Cœlum esset infinitum per priuationem & cum infinitas (iam-iam præfatus veniam vocibus vtor inusitatis) sit affectus essentiam sequens, Cœli essentia esset priuatio, non autem forma: qui error est maximus, nam tametsi in generatione priuatio antecedit formam, quæ introducitur, in re tamen generata posterior est natura, quàm forma ipsa per quam res est. Exempli gratia, Iulius Cæsar non est Aquila, quia est homo, in mea igitur materia humanitas anteuertit Aquileitatem: quam ob causam apud Philosophiæ decreta scriptum est, affirmationem priorem esse negatione. Cœlum ergo si habet infinitam priuationem corruptionis, necesse est vt habeat infinitum habitum, quo fit semper hoc quod est, cui propterea nulla corruptio euenire possit. ALEX. Quemadmodum Auerrois responsionem subtilissime confutas, ita Philoponi argumento vt satisfaceres exoptarem. I.C. Iam satis tibi & argumento fiet, ilico voti compos eris. ALEX. O me beatum. I.C. Vt igitur istud argumentum diluam, maiorem propositionem, quæ affirmat omne

finitum esse corruptibile, falsam esse assero. Quippe intellectus noster est finitus, non corruptibilis tamen: Itaque neque Cœlum quamuis sit finitũ: ratio est, quia vterque habet causam infinitam, quæ quidem causa cum facere non posset infinitum potestate æquale sibi, fecit Æuo infinitum sibi simile. Cœlum igitur finitum magnitudine ac potestate dicendum est, duratione vero infinitum, propterea quod alium Deum Deus facere nequiuit, fecisset autem, si fecisset infinitum potestate, idcirco infinitum Æuo fecit, quia sola hæc creatæ rei perfectio euenire poterat. Sed subtilius rem expẽdam: Primũ principiũ non potuit quicquã efficere, quod sui esset aut simile penitus, aut dissimile: Non simile, quia quod fit patitur, quod patitur à potiore, non à simili patitur. Dissimile non potuit, quia actio & agens in ipso non differunt. quamobrem cum Deus sit vnus, mundus fuit vnus & non vnus, cum sit omnia, mundus fuit omnia & non omnia, cum sit æternus, mundus fuit æternus, & non æternus. Quia vnus est, æternus, non enim habet comparem aut cõtrarium: quia non vnus, non æternus, ex contrarijs enim, ac mutua corruptione grassantibus partibus constitutus, eius igitur æternitas in successione, vnitas in continuatione. ALEX. Plus homine sapis.

DIALOGVS VII.

De Sole, Luna & Astris.

ALEX.

PErlegi quidem his Paschalibus ferijs tuos Astronomicos libros Argentorati elegantissimis typis excussos, in quibus admiranda & diuina sanè de Syderibus enarras: honestissimo tamen addiscendi desiderio excitatus, quasdam difficultates, quæ non nisi tua opera mihi extricari & planæ fieri possunt, nunc coram te, qui maximo omnium consensu bonarum litterarum Dictator es iure merito, elucidãdas, dijiudicãdasq; profero. I. C. Perlõgè sum ab his laudib⁹, sed quãtò lõgiùs & remotiùs, tanto propiùs & ocyùs properabo vt tibi inseruiã. ALEX. Meritò te amo mi dulcissime Iuli, nam totus quãtus es, benignitas & sapiẽtia es. I. C. Si quas dicis possiderem dotes, tuis potiùs quàm meis ornatus incederem virtutibus conspiciendus. Sed age quæso relictis his laudum ambagibus, descendamus in arenam disputationis, propone istas, quas cupis enodari quæstiones, vt saltem nostra ingenia exercere valeamus. ALEX. Sic faciam profectò. I. C. Quandocumque libuerit. ALEX. imò verò nunc sic incipio, & quęro, An Sol per se calefaciat, an per accidens, per

Auerr lib de subst. orb & in 4. de Cœlo.

motus, in quam velocitatem. I.C. Hoc affirmat Auerroes. ALEX. At & ego etiam. I.C. Ego verò minimè; Quinimo, Solem ipsum, si non moueretur, maiorem æstum allaturum, imò incendia concitaturum putauerim. ALEX. Quâ ratione id coniectas? I. C. Ex radiorum videlicet fixa mansione in rem stabilē, in eam enim vehementius agit, quam in rem mobilem, vt luce ipsa clarius videri potest in concauo speculo, quod quidem si moueatur non concipit ignem. Imò & ipse Aristoteles inuestigat cur stantes in Sole plus calefiant quàm si mouerentur: nihil autem ad id probandum differt, Solne, an id quod calefit non moueatur. ALEX. Tuæ non possum acquiescere sententiæ, quamdiu hæc stabilis erit propositio, motus est causa caloris. I.C. Falleris opinione, mi Alexand. Nam nec omninò nec semper est vera hæc tua propositio. ALEX. Quâ de re? I.C. In te ipse iudicabis. Multa enim non mota, calida sunt nihilominus, vt sulphureæ venæ, & minerales quædā, quæ Operariorum soleas comminuunt, & pedes sæpissimè exurunt. Multa mota è contrario, non calida vt Fluuij. ALEX. Verum id quidem est. Sed in Meteor. legi, ignem in suo loco à Cœli attritione calidum effici. I. C. Non placet istud. Qualitas enim illa caloris à propria forma ignis non aliunde proficiscitur. Adde quod si esset in igne calor non aliunde quàm à motu Cœli, à Cœli quiete esset in terra frigus. ALEX. Non dubito nec inficior quin essentialis in igne calor à forma sit, accidentalem

Ar in 36 q. sect 5.

lem tamen addi à Cœli motu haud eſt inconueniens. I. C. Imo verò eſt, Nam calor ignis eſſentialis ſummus calor eſt, quippe affectus proprius primi corporis cuius eſt, per nullum igitur motum calor vllus accedere poteſt ad illum calorem, qui per ſe talis eſt & primò. ALEX. Doctiſſime. I. C. Perge igitur, quæ reste ſollicitat amplius? ALEX. hæc ſcilicet. Quam nam ob cauſam Sol calefaciat aërem, & non Cœlū Lunę quod propius eſt, quodq; vtpote inter Solē & aërem poſitū, priùs recipit Solis radios quàm aër ipſe. I. C. Quilibet affectus, inquiūt Peripatetici, receptus in quodlibet corpus, ipſum nō afficit, ſed illud dūtaxat, quod aptū natū eſt affici ALEX. De ſecūdis atque etiā tertijs qualitatibus, mihi id quidē compertum eſt, de primis nō ita. I. C. Imo & de primis verū eſt. ALEX. Exemplum proferas quæſo. I. C. Pyrimachus lapis nihil ab igne patitur, & (ſi ſcriptores vera referunt) ne calefit quidem. Salamandra, vt ſcribit Olimpiodorus, prunis iniecta extinguit eas, non (vt puto) frigiditate, ſed lentore ſuo, id quod ab alijs quoque fit carnibus ALEX. Quid propterea concludis? I. C. Cum Aphrodiſæo, Lunā acceptis à Sole radijs cōcalfacere, nam & vbi plena eſt excalfactorias habet vires (vt ſcripſit Philoſophus & experimēto didicimus in plenilunijs noctes ſub Canicula eſſe æſtuoſiores) ſed ipsā nihilo magis calefieri. AL. At quomodo excalefacit Luna, ſi ipſa priùs non incaleſcit? I. C. Quid mirum? Nonne legiſti,

Olim. in comment in Ariſt lib de. aſſ. iniſt.

Alex. in pri. Meteoror.

obstupefieri piscatoris manũper arundinẽ à Torpedine, ipsam autẽ arundinẽ Torpedo nõ stupèfaci: quia non est apta pati, recipit tamẽ stuporis vim: sic Luna Solares excipit radios, quib⁹ tamẽ nõ afficitur. ALEX. Negas igitur pati Lunã? I. C. Vt Aristoteli obtẽperẽ, cui⁹ Manes si mihi ignoscerẽt, Lunam in eclipsi maximè pati dicerẽ, cõstat enim in Luna fieri aliam præterquam in loco mutationem: non est autem, fateor, mutatio per qualitatẽ prædicamẽtalẽ, quia lux in prædicamento non est; mutatur quotidie Luna lucis patiens diminutionem: cum autem diminutio sit in eodem genere cum ablatione & priuatione, sicut pars cum toto, necessariò dicendum est, quemadmodum tollitur à parte Lunare lumen, ita eadem ratione à toto auferri posse. Calorem à Sole exceptum reflectit Luna terris, patitur igitur, quis enim nõ dicat pati id quod recipit illud quo carebat? de obscuratione quis dubitat? luminis igitur detrimẽtum patitur, nisi quis negare audeat haud pati id à quo tollitur illud quod habebat. ALEX. At cur diuinum Cœli animal pati asserere non erubescis? I. C. Quinimo & cœlestes quoque animi patiuntur, hi namque cum Deum intelligunt, perficiuntur, & tametsi non mutantur quia perpetuãt æqualiter intellectionem, propterea tamen quia aliunde accipiunt vnde dependent, dicuntur ab eo sic affici. Sed quæso dic sodes, cur vos Peripateticos non pudet asserere, rotatrices mentes illas sola sui intellectione gyro agitare orbes suos. ALEX. Quid

inde flagitij cõmittitur? I. C. Plus patiuntur igitur Cœlestes orbes quam gleba cum descendit. ALEX. Cur ita concludis? I. C. Per vos nullam habent illi in seipsis potestatem, at hæc habet in se suiipsius imperium, quippe si mouetur, etiam mouet hoc quod mouetur. ALEX. Hæc quidem non displicet ratiocinatio. Sed cur habet Luna maculas? I. C. Peruulgata est hæc quæstio, in quâ nulla iucunda subtilitas. ALEX. At nihilominus quæso quid alij in hac disceptatione censuerint, referas. I. C. Quidam præcisè negarunt in ea esse partium deformitatem vllam, sed in nostra visione concipere varietatẽ: Solis enim splendor (inquiunt) in vmbonem illatus, nequaquam potest æqualiter recipi. ALEX. At non eadem vtrobique causa est: Nam ex luminis situ, atque distantiæ ratione luminis constantia variatur in vmbone, in Luna non mutatur I. C. Alij (vt refert Auerroes) putarunt inter Solem & Lunam, interesse aliquot corpora, quorum obiectu lumen intercipiatur. ALEX. Plausibilis sanè sententia. I. C. Facillimè tamen abolebitur & euanescet. Non enim idem semper esset Lunæ aspectus, at est. ALEX. Perge. I. C. Alij diuersissimas agnouerunt in Lunâ partes, quarũ propterea quædam minus lucerẽt, quia sunt dẽsiores: alij è contra, illas laxiores arbitrantur, atque idcirco minus lumen reflectere, sed potiùs transmittere. ALEX. At, non ita se res habet, namque in nouilunio Solis radij transmissi aliqua specie pone viderentur, est enim auersa

Aue 2. de Cel 49.

lunæ pars in propria vmbra sua. I. C. Illud ego demiror, quî fieri potest vt Cœleste corpus, quod dedita operâ Solaribus radijs excipiẽdis, reddendisque comparatum est à naturâ, sit ab eâ ad hanc ipsam functionem minus sincerum, atque aptum institutum? ALEX. Mirum ædepol, sed prosequere aliorũ opiniones. I. C. Dixerũt nõnulli, terrestre aliquid Lunæ commixtum esse, quod terræ globo capi nequiuerit Tellus enim maior extitisset quàm pro rata parte iuris sui, ac propterea cessit in Lunæ partem. ALEX. Istud quidem fabella est, & impia sanè, non enim materiam Cõditor inuenit, quam ex eius natura distribueret, sed eam creauit, & talem, cui naturam, & iura quantitatis, loci, ordinis, societatis attribuit. I. C. Alij asserũt, in Lunę globo, tanquam in speculo species montium receptas repræsentari. ALEX. Arridebat opinio hæc Serenissimo Rodulpho Cæsari qui Italiæ cũ duab⁹ adiacẽtib⁹ (vt Vlpiani sermone vtar) Insulis effigiẽ in Lunari disco conspici à se gloriabatur. I. C. Ita illius Mathematicus Ioannes Keplerus refert. ALEX. Pace saluâ tanti Principis opinio hæc iniucunda & falsa mihi videtur, varius enim esset semper Lunæ aspectus; At non est. I. C. Recte quidem, vt supersedeam à Cardani confutationibus. ALEX. Legi in libro 3. ni fallor, de Subtilitate. I. C. Ita est in cap de Cœlo. ALEX. Progrediamur ad cætera. I. C. Paratus sum. ALEX. Dic mihi igitur cur Astra non lucẽt? I. C. Quia Solis radijs extinguuntur dixere & existimauêre veteres, inscitissimè tamen, extinguerentur enim etiam no-

Vlpia in l. si finita para. iã quid ff de dam. inf.

In differt cũ nunc Sydereo fol. 14.

ctu, quandoquidem ſemper in eius ſunt radijs. Ratio eſt, quia illuſtratum medium recipit ſpeciem valentiorem, id eſt, Solis lumen, quod ſit efficacius oculorũ obiectum : quocirca minor atque debilior ſpecies, quæ eſt ſiderũ lux, non extincta ſibi, ſed delata per medium non ſentitur. Alex. Perdoctè, ſed cur dum oriuntur aſtra & occidunt, maiora vidẽtur quàm in Cœli medio? I. C. Quia elati vapores ſpeciẽ diffundunt. Alex. Quidnam hoc efficit? I. C. Aeris denſitas tum propinqua, tum remota, nã vbicũque medium ſit inter aſtra & viſum. Species ipſa craſſior videtur. Alex. At cur, in medio craſſiore dilatatur ſpecies atque grãdeſcit? I. C. Sicuti diffunditur aqua ſolidi corporis obiectione, ita ſpecies exiens, atque in actum educta per lucem, vbi in aere tenui nihil occurrit, æqualis ſibi prodit; vbi quid ſeſe opponit, craſſior quaſi retũditur, atque propterea dilatatur, veluti fit in aqua, à cuius deinde ſuperficie pingitur aër eadem quâ ſe in eam intulit quantitate. Alex. Nihil doctius excipi poteſt, ſed dic, vir eruditiſſime, cur ſcintillare videntur aſtra, non autem Sol neque Luna? I. C. Quia contrarij aeris motus ſtellarum lumen vti debile quatiunt atque diſpergunt, id quod etiam in Ventilationibus manifeſtè conſpicitur : Quinimo Lapides in imo fontis tremere videntur, ob aquæ motum. Sol autem & Luna ideo ſcintillas non emittunt, quia robuſtioribus viribus radios, eiaculãtur quam vt aeris motu diſtrahi poſſint: quapropter cum ſtellæ magis ſcintillantes

apparent, ventorum sunt nuntiæ, medius namque aër qui in sublimi est, dum vehementius agitatur, siderum lumẽ dispergit, ac proinde scintillare videntur magis. Alex. Sed Aristot. scripsit, ideo videri sydera tremere, quia visus in Cœlum fertur. I. C. Repugnat hoc suæ ipsius Philosophiæ decretis, in quibus omnino negat visionem fieri per emissionem radiorũ ex oculis. Alex. Ita esto. Sed quæso, perdocte Iuli Cæsar, fac per te erudiar, fac vt concipiam id quod animum meum iamdudum sollicitat & angit. I. C. Quid istuc est?

DIALOG. VIII.

De Igne.

IN susurrasti mihi, si bene memini, Ignẽ non esse Elementum, enarres, humillime te deprecor, rationes quibus dogma hoc iam per tot sæcula à sapientissimis viris stabilitum impugnas? si hoc præstas, vt præstare potes, eris mihi semper magnus Apollo. I. C. Non committam vt plus potuisse preces videantur, quàm ius & amicitiæ, quæ habet omnia cõmunia & literarum necessitudo, quæ viris sapientibus eâ de causa videntur à Deo impertite, vt quod ab eo gratis acceperimus, optimo cuique reponamus non inui-

ti. Alex. Quemadmodum es omnium bonarũ artiũ fœlicissimus alumnus, ita es earum facillimus, & liberalissimus administrator. I.C. missa faciamus ista. Audesne hunc nostrum ignem Elementi nomenclatura donare? Alex. Minimè, Est enim pauperrimus, pabulique indigus, pro quo comparando euagatur, quoque deficiente & ipse quoque deficit & premoritur: Elementũ autẽ est opulentissimũ rerum principiũ. Præterea ad generationis comitia Elementa accedunt, à quibus noster ignis quàm longissimè abest, exterius enim euocat, exsiccat, diuidit, ac qualitates ad summum deducit, in generatione autem intus omnia reuocantur, humido opus est, vt partes in vnum conglobentur, miscentur qualitates mutuoq; se frãgunt. I.C. Quem igitur statuis ignẽ Elementum? Alex. Qui inter Aerem & Lunæ Cœlum residet. I.C. At cur oculis non se obijcit nostris, si desuper est, & corpus lucidũ? Alex. ob sui raritatem, quã ob causam nec aër ipse videtur. I.C. Nuge, nã sydera rara sunt, alioquin solares radios non exiperẽt, & ad terram transmitterẽt, prospiciũtur tamen licet sint in maiori distãtia. Aër non videtur non ob sui raritatem, sed quia medium est ad videndum, quare extremum esse nequit: insuper luce caret & colore, quare nullam visui sui potest prebere speciem: ignis autem & propter lucẽ deberet conspici in nocte, & propter colorem in die. Alex. si rarus non esset. I. C. At enimuero translucidus cùm sit ignis deberet emittere ra-

dios, qui propter distantiam ob densitatem in recta linea prębent speciem corporis condensati, sic aër qui rarus est & minus quam ignis pellucidus, etsi propè nos nullum habeat colorem, procul habere videtur tamen: Ratio est quia densatur nō per compositionem partium, sed per dispositionem, distantia namque multas repræsentat visui partes per longitudinem in linea visuali dispositas vt sit eadem ratio visionis in corpore raro productæ in longum, & eiusdem in eodem corpore condensato, atque in breuitatem coarctato A L. Perge. I. C. si sursum immoratur ignis, cur quo altiùs ascendit aliquis, cuncta adinuenit frigidiora? Væ nobis si desuper aërem igneum adesset Elementum, toto namque Orbi incendium minitaretur. Namque si facibus, & Cometis ea regio, per quam discurrūt, maximè calefit, quantò magis si vastissimo illo igneo orbe ambiremur? Ad hæc, cur Aërem non accendit? huius sanè humiditas violentissimo, acerrimoque Elemento resistere non posset. Insuper quibus alitur cibis tam vasta moles? forsitan deuorat aëris humidū, vt innuere videtur Hippocrates. Sed nullo sanè pacto id fieri potest, moueret enim se extra locum suum, quinimo vix totus Aër vnicū esset ignis ientaculum. Addam, Naturam nihil frustra operari, vesana autē diceretur, si Elemētum aliquod nulli vsui aptum cōdidisset. ALEX. Mane paulisper, istud vix de ignis elemento enūtiare potes, cōfert enim ad generandū. I. C. Repugnant à teipso adductæ rationes. Addam

Hip in lib. de flatibus in init.

insuper ipsum Aristotelem aduersus quem nūc disputo, non ab igne sed à cœlesti Solis calore generationē deducere, Sol, enim inquit, & homo generant hominem. ALEX. At saltem necessarium fuit ad ignis nostri productionem. I.C. Nequaquam, differunt enim, vt inquiunt ipsi Deambulatores, vt corruptibile & incorruptibile, non potest igitur hæc soboles verè illius dici patris. ALEX. Ast, quomodo noster cōparatus est ignis? I. C. Quiete, vel motu. ALEX. Quando quiete? I. C. Si concauum speculum non moueatur, atque ita Solares radios excipiat, cuius rei demonstrationem clarissimam habemus apud Euclidem. ALEX Memini. Sed quomodo per motum ignis producitur? I.C. Aëre moto eliso atque attenuato fit calor, qui si vlterius procedat, ad ignem trāsit, idque propter partium attritionem. Scorpionum arcus frequenti tensione calorem concipiunt: Campanæ exagitatione atque pulsatione calefiunt adeo, vt siquid frigidi applicetur, disrumpantur: in nubibus etiam ignis producitur, cùm ipsarum motu aëris fit elisio, vnde fulgura, quibus nostri ignis originem Diodorus Siculus adscripsit. Fit autem celeriùs, ac frequentiùs ignis in corporibus solidis, quàm in fluidis, cuiusmodi nubes sunt, Nam qui inter illa intercedit aër, atque is etiam fortasse, qui est in eorum superficie, primo momento ignescit, distētus enim attenuatur: id quod euenit etiam in sagittæ traiectione, cuius cuspis plumbea si fuerit, dum aërem diuidit, liquefit, idem namque efficitur rectâ

Ar. 2. Phi. t. 24.

productione vnâ longâ, quod breui frequentique iterata confricatione. Ex duorum etiam lapidum collisione scintillas erumpere, & emicare non modo Pliniano testimonio, sed quotidiano, imò & horario omnibus innotescit experimento, nec mirum, aër enim elisus & attenuatus facillimè ignitur. Est enim, inquit Auerroes, calor à cœlesti calore in aëre diffusus, qui motu ad ignis formam deducitur. Ideo lapides sonantes seu tinnientes, quia multũ continent aëris, aptissimi sunt ad ignis productionem dummodo non sint fragiles, ita enim essent ad id operis inhabiles, frusto nãque abeũte, abit obex & obstaculum quo attenuandus est aër ad ignescendum. ALEX. Credo equidem, sed quomodo igitur fluuiatiles silices, cũ aëris non multum in se contineant, id quod cũ franguntnr apparet ex situ partium minimè pustulato, præ cæteris tamen lapidibus copiosiorem concipiunt & emittunt ignem. I. C. Non defuerunt qui dicerent in silicibus seruari ignem, qui motu deinde extruditur hinc, atque exploditur. Atque ita sensisse videtur lux Poetarum Virgilius cum cecinit, *Abstrusum in venis silicis excuderet ignẽ &c.* alibi *At primum silicis scintillam excudit Achates quærit pars semina flammæ Abstrusa in venis silicis.* Hinc apud Iapones mos inoleuit vt matrimonij fœdera igne ac silice auspicarentur, quia ignẽ authorem vitæ credunt, silicem verò eius æternum thesaurum vbi nunquam marcescat, nunquam deficiat. ALEX. Arridet ne tibi hæc sententia? I. C. Minimè, quomodo enim in silice ignis absque alimento

Plin lib. 36.

Virg. Georg. 1.
Æneid 1 & 6.

viuit,cur lapidem non adurit?si igne, inquam, refertus est silex,cur manus tangentis non excalefacit?Cur in prunas iniectus non accenditur? Alex. Quid igitur concludendum? I.C. à tuo id petas Aphrodisæo, ipse scripsit non è lapidibus ignem excuti, sed generari per elisionem. Nam aër, qui ibi continetur,attritione in ignem conuertitur,non enim aliud est ignis nisi aer accensus, vt in flamma videre est. Alex. Alexandri opinioni assentiri mihi videtur Auerroes, cum scribit, ignis exitum è lapide non esse in capitulo trãslationis,sed alterationis, ac transmutationis. Sed cur præcipuè silex ex omnibus lapidibus plures emittit scintillas? I.C. Quia nonnullos habet angulos,in quibus minimũ est aëris,quare percussus minimè resistit,itaque facillime fit tenuis&per cõsequẽs facillime ignsecit.

Auerr in 3. Cæli. t. 56.

Alex. Decreueram profectò, mi Iuli,nobilissimas de igne quæstiones tibi proponere, à quibus,arbitror,nunc mihi esse abstinendum, quandoquidem illum ab Elementorum familia abdicas, nam prouerbiali sermone, & trito vulgarique Adagio dicitur, contra negantes principia non esse disputandum; Causam tamen eorum quæ hesterna die mihi prope focum acciderunt, à te sciscitari & scire percupio. I.C. Tuus explorare labor quid optes, mihi iussa capessere fas est. Alex. Meus puerulus cum salpetræ in ignem proiecisset, illico ignitum crepitauit. I.C. Aliqui censent huius rei causam esse quia terreum salpetræ est : at non

arridet, nā ſi propter terrā perſtrepit, terra magis obſtreperet, nā propter vnūquodque tale, & illud magis, at non inſtrepit terra, ergo multo minus ſalpetræ propter terram. Quidam raritati eius hoc adſcribunt, ſed ijs non aſſentior. Non enim conſtrepit fungus, qui rarus eſt. Nonnulli attribuunt raritati iuncta partium duritiâ: ſed huic opinioni aduerſatur pumicis exemplum qui rarus eſt, nec tamen ſtrepitans. Ariſtoteles verò dicit, ſalem in igne ideo adſtrepere, quia humoris plurimū in ſe continet, qui ab igne attenuatus ſpirituoſam induit naturam. ALEX. Tuam nunc ſi placet expecto opinionem. I.C. Audi, & accipias eam. Sal multū continet aëris, quâ de re ignitus aër paruo momento inflatur, & ex minori quantitate maior factus, ijſdem anguſtijs capi non poteſt, quare ex aëris comploſione fit ſtrepitus vt in tonitru. Id quod etiam in caſtaneis, laurinis frondibus, atque Iuniperinis euenit, multum enim continent aëris, quare intumeſcens circunſtantem cognatum ſuum aërem reſilitione atq; impulſione cōfringit. ALEX. Ego vero exiſtimaui ſemper Iuniperum propter vehementē cōcrepare ſiccitatem. I.C. Errabas toto (vt dicitur) Cœlo, nā quæ ſicciſſima ſunt non percrepant, quare puerulus ego multoties animaduerti, exſiccatas Laurinas frondes in igne non crepitare. ALEX. Quam reddis huius rei rationem? I.C. Quia aridorum partes minùs firmiter cohærent, quare nulla vi opus eſt ad partium diſiunctionem, propter ſpatiorum laxita-

tem:permagna verò poteſtas requiritur ad virides infringẽdas quia abundãt humore,cuius proprium eſt vnire & cohibere:ſtrepitus verò fit in fractione.Sed perge, quidquid tibi ampliùs occurerit diſſicultatis, patefacias. ALEX. Quandoquidem non grauaris me tuæ doctrinæ cupidiſſimum inſtruere, ignoſce ſi minuta etiam iſta,curioſior fortaſſis quàm æquum eſt, abs te inquiram.I.C.Minutula quidem & parui momenti tibi videntur, ſed iſta ſæpiſſimè doctiores angunt & torquent, & quamuis perexigua,animum nihilominus ad altiorem contem plationem euehunt. dic igitur. ALEX. Lebetis, in quo feruebat aqua, fundum frigidum ſæpius adinueni, vide quò me curioſitas abducat? I.C. Quid mirum? Naturâ ſuâ frigidum æs,eam quantum poteſt retinet frigiditatem.ALEX.At quomodo detinet? I.C. Aquæ frigore adiutus fundus,quæ in ipſos poros ſeſe inducit. ALEX.Cur ita? I. C. Propterea quod aquæ pars ea quæ caleſit ſummum petit, frigidior autem flammæ ſuppoſitæ vt magis reſiſtat,ſemper in imo eſt.Sed perge.ALEX.Auiculam veruculo quodam transfixam ſponte ad ignem conuerti vidimus, atque ita aſſatam eſitauimus. I.C. Proſit, ſed huius rei cauſa fuit paruitas & deſiccatio, illa motum, hæc motus facilitatem induxit : quæ auerſa fuit ab igne pars,adhuc ſuo ſucco plena, aut ſaltem non exſucta admodum propter grauitatem decumberet neceſſe erat ; igni vero expoſita exuſtione facta leuior, in abeuntis ſubi-

ret locum. ALEX. Oscitum dictum. I.C. Sed quæso ne me inuitum diutiùs in igneis istis difficultatibus detineas, ne si propius ad ignem accedam, velut alter Phaëton, alarum ingenioli mei nisu caloris violentiâ effracto cogar in præcipitium corruere ridendus. ALEX. Hoc vnum igitur ioci causa proponam & acquiescam. I.C. Quid istud est? ALEX. Galenistam quendam cum nudius tertius inuitassem ad prandium, porcinam carnem toties à suo Principe admirabili decantatam commendatione apposui. I.C. Nihil palato meo iniucundius. ALEX. Forsitan vt Mosaicis viris in suilli cibi vituperatione placeas. I.C. *Pensate voi.* Vetusti Philosophi Hebræorum ceremoniolas irridebant. Atheorum verò responsionem, qui ad politicum regimen id referunt, (noxia etenim erat hæbreis, qui Lepra laborabant) detestans, nego Præsijs, Iouem Cretensis in Idæ vallibus pro nutrice suem habuisse. ALEX. An Turcarũ laudas superstitionem, qui à porcinæ carnis esu abstinent, quòd in Arca Noe ex Elephãtis stercore genitã fuisse suẽ blaterant. I. C. Nugæ sunt ista, nihil enim est Elephanto infestius quam sus, eius enim grunitu solo (id quod tela facere nequeunt) in fugam vertitur. ALEX. Sed quam assignas huius rei causam? I.C. Naturalis est quædã antipathia. Sed quo digredimur, quo me protrahis? Quæstionem si vis proponas. ALEX. Ita faciam. Porcelli rostrum dum assabatur calidum erat, posteaquam perassatum fuit, minus calidum euasit, cætero

corpore magis calido. I.C. Ratio non ignota mihi, quia roſtrum ex raia admodum cartilagine cum ſit, ſuapte natura non diu ſeruat calorem, quamobrem, quandiu ex ventre per os exit calor ad oris & capitis extrema, roſtellum calet: exit autem calor ille dum aſſatur, excoquendo humidum, vbi aſſatione peracta ceſſauit vaporis ille comeatus, non amplius calefit roſtrum, ſed porrò facilè ratione ipſa ventilatur. Alex. Perdocte quidem. I.C. Sed quæſo de Foco ad Aerē progrediamur. Imò potius de aëre eliſo & attenuato ex quo fit ignis, qui aër accenſus eſt, quia parum diſputando incaluimus, ad aërem frigidum refrigerationis ergo accedamus. Alex. Quinimo recreandi animi cauſa loquamur de Comete, & Iride. I.C. Vt placet.

DIALOGVS IX.

De Comete & Iride.

Alex.

QVandoquidem, ita tibi videtur, naturam & cauſas caudati iſtius crinitique ſpectaculi diſquiramus. Et primò quidnam ſit Cometes. I.C. Hieronimus Cardanus affirmat eſſe fixum in Cœlo Sydus. Alex. Non hanc laudo ſententiā. I.C. Nec ego. Ratio

Card. l. 4. de ſubtil. c. de luc. & lum

est,quia,vt inquit ille,mouetur Cometes motu primi mobilis. Item motu planetarum, tùm etiam Septentrionem versus : at hæc syderi fixo conuenire nequeunt : Non est igitur sydus fixum Cometes. Quare alibi ita palinodiam canens , obratiocinatur. *Quod si dicas* (eius sunt verba) *Cometes stella non est ex inerrantibus, haud dubium est non enim tot varijs motibus moueretur.* ALEX. Forsitam vna ex erraticis stellis Cometes est? I·C. Minimè Apparent enim illæ sæpenumero , hic autem perraró. ALEX. Alibi etiam scripsit Cardanus syderibus plenum esse Cœlum, & si non densis admodū, siccescēte autem aëre Cometē oculis fieri obuiū. I.C. Plebei quidem Philosophi est arbitrari, in Planetarū orbibus alias inesse stellas præter corpus planetarum, quæ diuersis locis (vt fit in ludis vel mimicis vel puerilibus) modo appareāt modo abscondantur. Deinde quî fieri potuit, vt aeris siccitate Cometes sub Euclæi principatu apparuerit, sanè ad Septentriones & brumæ tempore, sicuti recitat Aristoles. ALEX. Quid igitur de Comete sentis? I. C. Cometem esse corpus tam densum, vt illustrari , tam rarum vt transmittere queat radios, id quod etiam videmus in globo vitreo. Compactum est autem corpus illud è vaporibus vi alicuius astri in summam aëris regionem attractis, quorum quidem vaporum natura non sit ardens, sed mixtæ materiæ tanquam fumus, aut fuligo, recipiens Solis radios, atque idcirco visibilis, & transmittens eos, at-

lib. 1 de rer. var cap 1.

l. 4 de subt. c. de luc. & lum.

que

que ideò caudata. ALEX. Sed à quo vapor ille per tam longum temporis ſpatium (veluti ſæpenumero ſexaginta dierum) in aere ſuſtinetur? I. C. Ab eodem ſanè ſydere, à quo attractus eſt, quemadmodum & à Sole nubes ſuſpenduntur, eadem profectò attrahendi & retinendi poteſtas eſt; attractionis namque finis & perfectio ipſa retentio videtur. Nam, vt ſcriptum reliquit Philoſophus, eiuſdem facultatis eſt habitum efficere & intendere. Quid immoror? ſi informem materiam ab ima noſtrâ regione Sidus attraxit, quare ab ſe compactam, formatam, libratam, & ſibi iam propiorem ſecum non auehet? ALEX. At ſi vapor eſt in aëris ſupremam regionem attractus, quare terrarum orbi incendia non minitatur? I. C. Quia globus ille igneus non eſt, ſed à Sole tantum illuſtratus. ALEX. Iam ſatis diu torſit animos, & oculos afflixit portentoſum iſtud corpus: Videamus & contemplemur, ſi placet, varios Iridis colores, quibus variæ oculis noſtris inducantur recreationes. Et primò. Cur Iridis arcus pars interior punicea eſt, ſuperior cœrulea, & ſubobſcurior? I. C. Quia, vt Ariſtoteles ſcribit, oculi vis maximè valet in aſpectu ſupremi arcus Iridis interioris, & ideo puniceus videtur. Subobſcurior autem color in ſummo ſuperioris Iridis circulo apparet, quia ibi ob maius interuallum oculi vis defeſſa eſt. ALEX. Digna tanto viro ſententia. Sed quid nares complicas? I. C. Imò falſa quidem, & non ſolum falſa, ſed & ipſius philoſophi placitis è dia-

Ar. in 2 Nicomach. c. 3.

Ar. 3 Meteor.

metro pugnans sententia. ALEX. Cur eam falsam arbitraris? I.C. Hæc est mea ratio: si subobscurior color idcirco in summo superioris Iridis circulo conspicitur, quia vis oculi maiori interuallo defatigatur, quomodo in minima distantia quæ est imi circuli, Iride inferiore color idem ? minùs enim lassatur ad eam delata potestas oculi, quàm ad eiusdem Iridis supremã, atque etiã minùs quã ad imum superioris. ALEX. Recte ædepol. Sed quomodo repugnat Aristotelicæ doctrinæ? I.C. Quia ipsemet nos alibi docuit per emissionem radiorum ab oculo non fieri visionem, non igitur ab oculo firmantur in Iride colores. ALEX. At quid de Iride sensit Cardanus? I.C. Pro lucis scilicet multitudine immutari colorem: idcirco suprema Iridis pars lucida est, quia luci propior, inferior autem pars obscurior, quia remotior. ALEX. Recte vt mihi videtur. I.C. Vtrumque tamen falsum libēter dixerim. Nec enim propter lucis magnitudinē colores mutãtur, cum idem sit in rebus color ad Solem & ad lucernam, varia tamen est luminis magnitudo, nec supremus Iridis orbis luci, imus obscuritati est proximior: Nam tametsi Cœlum Solis altius est, quàm locus Iridis, cum tamen Sol est sub finitore atque ex aduerso creat Iridem, eius radij ab eius centro ad Iridis centrum delati, æque infimum circulum afficient lumine ac supremum, sub eo enim æque sunt. ALEX. Acutissime. Sed quæ tua est sententia? I.C. Non ab oculo, neque à luce sola, sed à luce pro

materiæ varietate varios in Iride colores fieri, quare inferior pars cœrulea,& nigrior eſt,quia terræ non parum habet ima nubis pars: media cõſtat ex leuiore materia,quippe aquea, atque ideo viridis:ſumma pars vero aeris lucidi eſt,ac propterea fulgida. ALEX. Nihil doctiùs audiri poteſt. Sed,amabò,effare mihi, Cur Iris rotundi arcus retineat figuram? I. C. An quia ſolares radij cum ſint perpendiculares,ex parte rotunda reflectuntur,quare Solis imaginem , quæ rotunda eſt,in caua nebula referunt? An quia nubes ipſa rotunda eſt,quippe vapor eſt, partium igitur naturam priſtinam retinebit , aër autem & aqua, & terra ad centri rationem diriguntur,itaque terra & aqua accedendo, aër recedendo,ſemper ſuas curuabunt ſuperficies: quod ſi nubes à ſuprema ſuperficie ad axem vſque totum illum ſemicirculum compleret humore,Solis integram ſemiſſem repreſentaret,ſed quia nubes caua eſt , ea in parte deſit & lucis & coloris reflectio,in qua deeſt materia ſubiecta. ALEX. Subtiliſſima ratiocinatio. Sed cur Iris matutina portendit pluuias , veſpertina innubile Cœlum? I. C. An quia matutinus arcus nocturni humoris plenior eſt , atque ideo vas futuræ pluuiæ propter vapores craſſiores: veſpertinus autem ob diurnam ſiccitatem,ſerenitatis indicium erit? ALEX. At cur frequentiùs poſt imbres ſuccedit Iris? I. C. An quia nubes aquarum craſſitudine exoneratæ plus habent lucis ad Solis lucem concipiendam.

DIALOGVS X.

De Fulgure, Niue, & Pluuia.

ALEX.

POstquam varijs Iridis coloribus animos & oculos saltem intellectûs recreauimus, nunc addiscendi causâ fulgurum, niuium, & pluuiarum, coruscationes, glacies, & inundationes subibimus, securi tamen ab eorum omnium incommoditatibus. Et primò, inquiram, Cur in Fulgure prius videatur lux, quàm Sonus audiatur? I.C. Propter obiecti celeritatem, Pingit enim aërem continuò lux, quæ confestim videtur. ALEX. Cur ita accidit? I.C. Quia lux educens visiles species ipsa sese effundit, easque simul per aerem transuectas, in eius extremam superficiem, à qua palpebra contingitur, statuit; aperta palpebra pupillæ species offertur, eique minimo temporis momento coniungitur. At non ita est de sono qui non nisi motu defertur, motus autem omnis in tempore. ALEX. Tam doctè explicas, vt nihil supra. Sed quæso cur fulmen loculo illæso atque dolio, aurum colliquat, atque vinum exugit? I.C. Quia in loculo & dolio propter foraminum laxitatem, ei facilior patet transitus, quapropter illis non inhærescens, non lædit; in aurum vero & vina

penetrat, & in eis,ob maiorem densi corporis resistentiam, immoratur, eaque propter caliditatis acrimoniam eliquat,aut exugit. ALEX. Sed cur fulmine vapescit vinum coloremque rufum asciscit,ac genuinus illi sapor aboletur? I.C.Ab igneo calore ac vi penetrabili vrentique fulminis id accidit:quapropter & æstiuis caloribus vina acescũt,per magna nãq; caloris potestas cognatas igneas particulas attrahit. ALEX.At quomodo possemus dolia premunire vt ea à fulminis vi intacta seruẽtur, & violento motu & cõcussione acore ne vitientur? I.C. Vt pœnora sint concamerata ac testudini cõstructa:sic enim vagatur ibi fulmen,nec alicui parti adhærescit: Apponatur etiam vasis ferri lamina cũ sale&silicibus. ALEX.Cur ita? I.C. Quia fulmen cum durissimis confli ctatur, in eaque potissimũ vim suam exerit,rara & tenera,intacta relinquit,quòd per ea trãsitus pateat,nec illis inhærescat. Hinc marini vituli tegmen in victum à fulmine Phocam seruasse dicitur, quia contextu raro est minusque solido. ALEX. Sed Daphnem illam Apollinis amasiã, laurum intelligo, quâ secretioris amoris potestate Deicolæ curant,ne fulminum impetu consternetur? quemadmodum neque columnæ? I.C. Non vires id operantur amoris, istud enim fabella est, sed quia laurus ob sui raritatem illi cedit,nec renititur,quare incidens vapor non inhæret: multò minus in columnis quæ ro tundæ tersæque cum sint,ictus labatur innoxius necesse est. ALEX. Sed quâ de causâ,

nunc dicas fulmini nauales antennæ sunt obnoxiæ, Carinæ vero & spondæ innoxiæ conspiciuntur? I.C. Quia altæ illæ sunt, fulmen autem alta petit, nam vapor est fortis mixtionis, qui in altis gignitur, & extrusus è nube, in latus acquirit impetum: at cum iuxta aquas descendit, à suo cõtrario frangitur atque repellitur: Aer enim aquæ proximus, frigidos vapores ex aqua eleuatos in se continet, quapropter aer iste aquæ contiguus merito fulmen, quod igneæ facultatis est, tanquam suum contrarium reiiciet, ideoque & carinas à fulminis transcursu custodiet illæsas. ALEX. Sed à calore ad frigus transitum faciamus, quâ de causa nix sine fulgure & tonitru descẽdit? I.C. Quia nix congelatio est vaporis non coacti ob sui tenuitatem, aerisque crassitiem, nec enim nimis in altum vapor ille attrahitur, ob imbecilles solares vires; hinc est quod nebulæ, quibus nix continetur, densæ non sunt, deest igitur accensus vapor, qui magno impetu eas dilaceret. ALEX. Quare niues, cum sint frigidæ, fæcundant agros? sanè calor author est fœcunditatis. I.C. Ob calorem sub terram hyeme repercussum, niuium enim tegmine operto agro, non exalat calor genitalis; & ob pingue humidum, niuibus enim solutis lutum fit. haud parum sanè terræ admixtum niues obtinent, aeris multum, aquæ plurimum, quibus additus à Sole calor fimum cõficit omnium lætaminum excellentissimum. Quamobrem vermiculos quoque in ipsis generari niuibus prodidit Ari-

ſtoteles. Inſuper niues enatis ſegetibus incubantes, tum ſuborientium herbarum maleficia tollunt, tum frugum luxuriem prohibent, quæ cum in radices introrſum demittatur, effert ſeſe poſtea ad ſpicas habitiores icciirco futuras, atque lætiores. Alex. Sed verum ne eſt quod in prouerbio iactatur, omnes herbas quę in niue oriuntur, amaras eſſe? I.C. Minime id quidem, neque enim nix amara eſt, neq; quod fit ex ea lutū, & aer, qui cōtinetur in niue multus, debuit intus prædominari, ſolitus in mixtorum concretione dulcedinem comparare, ſi tamen aliquo rationis ſtabilimento prouerbium illud, ſeu, vt meliùs dicam, popularis ille error, fulciri atque muniri poteſt, hoc eſſe crediderim: nempe quia validiùs obſeſſus ſub niue calor, vbi ſeſe in humidum tabeſcentis niuis inſinuarit, creat aliquid quod ſit amarum eo quod amabiliores partes receſſerint, ſicut à mari, quod ideo amarum eſt, vt alibi diximus. Alex. Quam vero ob cauſam, Alpes & Pyreneos montes inhabitantibus guttur fit turgidum ob potum aquæ è niuibus liquefactæ? I.C. Quia hæ multum terreſtris & crudi retinēt, crudum igitur cum repugnet reſolutioni, & gutturis muſculis & glandibus inhæreat terreſtre, quod propter aqueum ſeſe inſinuauit, neceſſe eſt vt ibi concretum dureſcat.

Alex. Cur in niuoſis montibus moriuntur animalia? I.C. Quia aſſerebam ego in iuuentutis limine quando primoribus labris Philoſophiæ cupedias deguſtauerā, calor introrſum

depulsus à suo contrario, scilicet frigore, cõsumit atque humidũ radicale exurit, ipseque simul deperit. Falsum tamẽ hoc nostrũ iudicium esse testantur eadem corpora quæ è niuibus exempta extenduntur, id quod videmus in leporibus: non est igitur omnino absumptum humidum, sed gelatum, & ineptum factum ad caloris pabulum. Fernelius autem credidit magnâ vi frigoris insitum calorem repentè extingui. ALEX. Cur autem ij qui niuem esitãt, ardorem sentiunt in faucibus, imò & sæpius obmoriuntur, dissecti verò inueniũtur habere hepar exustum? I. C. An ideo id euenit, quia natiuus calor frigus persentiens, in recessus interiores aufugit, quare pori obcluduntur, neque fit humorum euaporatio, hinc infirmitas; insuper calor intus coactus, vehementius agit atque demum advrit. sanè frigus cõtractâ densatâque cute natiuum calorem erumpentem intro repellit, qui dein intus collectus & coarctatus, multoque pabulo auctus vi maiore excalefacit. ALEX. Cur & quomodo ranis aliquando pluit? vt in agro Mirabelli, quod oppidum est Santonicæ Præturæ, tantum ranarum pluisse legimus, vt cumulatim totæ viæ tegerentur. I. C. E lacunis nubium haustas atque demissas arbitratur Cardanus. ALEX. Eius verba, quæso, proferas. I. C. *Neque mirum pluere ranas, pisciculos, lapides; nam ranæ ac pisces è mõtium iugis venti impetu transferuntur, transfertur & puluis qui vi ventorum in lapides cogitur. Indicio est non procul à montibus illos cadere, sed vt olim in*

Fernel. l. 4. de spiritib. & inn. calido cap. 8. circ. fin.

Card. lib. de subtilit. cap. de scient.

Albano monte atque in vallibus e proximis altioribusque montium cacuminibus. Refert Georgius Agricola Chepuntij luteam terram cum aqua pluisse & in Sueuis anno. 1534. Aër inficiebat vestes cruce rubra, id contingit puluere cum imbribus delato: forma vero crucis ob fila quæ crucis formam dum texuntur referunt, apparuit. Transferunt & oua paruorum animalium, vt etiam ranarum, & piscium, quæ inter turbines ventorum, & imbrium procellas emittunt animalia, quæ pluere videntur. ALEX. Perdoctè quidem. I.C. At duo sunt tamen quæ mihi nauseam pariunt. ALEX. Quænam sunt ista? I.C. Illud in primis, lapideã pluuiam effici ex puluere hausto à nubibus atque in lapides condensato. ALEX. Cur hoc displicet? I.C. Nam ferrum similiter pluisse in Taurinis testãtur authores fide digni; quâ ex fodinâ illud sustulit nubes? ALEX. Quid est aliud quod tibi non arridebat: I. C. Ranarum ouis in aerem sublatis, ranũculas excludi, quibus pluat. Enimuero Mirabelli tantum ranarum pluisse legimus, vt oppidani neque domo efferre pedẽ, neque vbi vestigium ponerent haberent, quò si totius Aquitaniæ ranina oua conuecta essent, vix ille ranarum numerus expleri potuisset. Sed non exemplis quæ sensuum mãcipia oblectant, sed rationibus Philosophum cõuincamus. ALEX. Eas igitur in medium proferas. I.C. Estne adeo imbecillis Natura, vt ei oua substernere opus sit? Quotidiana Cœlestis Genij fœtura, Natura est, cuius potentiam declarant plantæ nullis ortæ seminibus. ALEX.

Sed quænam est tua sententia ? I. C. In Aëre ranas illas fuisse genitas. Alex. Cur ita. I.C.Quemadmodũ mus non semper è parentum semine,sed à naualibus quisquilijs procedit,sic in aere genuit Natura ranas,nõ ex ouis,sed ex aqua genitali,cœlesti calore cõdensata,& conformata.idem de Lapideis, ac ferreis imbribus dictum volumus. Quid mirum? nonne sulphur in aere generatur ? quippe fulmine,quod in aëre gignitur , vitiata corpora sulphureum odorem naribus offundũt. Alex. At cur post huiusmodi portentosos imbres magnæ accidunt sæpenumerò Rebuspub. calamitates?I. C. *An quia*,inquit Cardanus, *Non nisi in magnis ventorum motibus ista contingunt,at venti immodici à caliditate & siccitate graui oriũtur,vnde proditiones ostendunt vt etiam in Adagio sit,ventus immodicus,proditio viget.Calida autem & sicca constitutio,quæ imbecilia capita vexat, ea agit in proditiones,seditiones ac cædes. Plebs autẽ plerunque talia habet capita ob paruam experientiã rerum,& intemperantiam.Quocirca contingit illam ad facinora vel illorum pessimos impelli,sed falli etiã contingit,tuncque valuisse supplicationes dijs factas creditum est*. Alex. Tu quid sentis?I. C. An potiùs (inquimus nos) quia ex ranarum putrefactarũ odore lues initia sumit & incremẽta:an lapidea ferreaque pluuia horrore ac stupore percutit oppidanorũ animos, qui cum inhorrescunt,magnam in corpore spirituum contẽtionem patiuntur,& quod inde sequitur,non mediocrem in valetudine mutationem , cum

Card vbi supra fol. 796,

verò obſtupeſcunt, ſpiritus intus reuocantur ad rei admirabilis cauſam inueſtigādam, quare exteriores partes ſpiritibus deſtitutæ, obnoxiæ fiunt vel minimis aeris alterationibus, quātò magis vehementiſſimis, prout tunc fuiſſe veriſimile ducimus ex validiſſimâ vaporum mixtione, atque condenſatione, quæ ferrum lapideſq; produxerit. ALEX. At difficultas mihi exoritur, nec plebeia illa quidem. I.C. Quænam illa eſt. ALEX. Sub Noruegiano Cœlo pluit ſæpe puſillis animalculis, quæ *Lemmer* vocant incolæ, ſunt autem abſimilis ſpeciei à reliquis animātibus, quare ex imbribus illis nouæ ſpeciei exordia deſumpta videntur. I.C. Quæſtio perantiqua eſt, an nouæ ſpecies quæ nunquam extiterint, gigni queant. ALEX. Quæſo dic in hac quæſtione aliquid. I.C. Empedocles mundum dicebat imperfectum, quod in eo noui eſſet quotidie aliquid generati. Peripatetici verò è contrario aſſerūt, nihil noui generari quod ſit ſpecies, ſed in ſpecie, quæ iam eſt, indiuiduum. Alij mūdum ſtatuebāt æternum hāc eandem ob cauſam, quia ſcilicet ſemper gignitur, imperfectus eſt, at nunquam deſinet generatio, ergo nunquam abſoluetur. ALEX. Nugæ ſunt hæ. I.C. inſcitiæ ſoboles atque ſupinitatis. Materia namque prima nunquam augetur, non enim fit quicquam illius, ſed ſub aliam transfertur formam, fit materia prima aliud ſed non ſimpliciter, nō enim (vt Scolaſticorum vtar vocibus) aliud quid, ſed aliud quale, nempe facit eam

aliud forma, sed non mutat vt sit aliud quid, non enim esset amplius materia, sed vt aliud sub formâ. ALEX. Id solum igitur discutiendum remanet, an noua forma fieri possit, quæ materiæ sese aptet, hoc enim essentia est, & quam speciem appellamus. I. C. Affirmatiuè ego responderem lubenter, nam si in fimeto muris forma non est, & mus generatur ibi, muris ibi formam esse nouam necesse est, ab aliquo igitur constituta est, nempe à Sole: sanè nihil fit à seipso, igitur pari ratione nouæ species in efficientis potestate esse possunt, quæ potestas non nisi cum patiẽs ritè affectum fuerit, ad actum reducitur. ALEX. Quam autem ob causam gutta cum cadit in aëre globosa est? I. C. Quia nequit in aere cum aëre vnum fieri, quò fit vt accipiat illam formam, in quâ extrema æquè distẽt à medio. Vnitas autem procul dubio in homogeneis excellentius seruatur in globo. ALEX. Cur ita? I. C. Quia nihil dissidet, nihil absistit, nulla inæqualitas, qua parti pars vel desit, vel supersit. ALEX. Ego verò ita dicerem, merito & suo iure sub ea figura partes esse, sub qua totũ est à natura cõstitutum, à situ intelligo figuram totius, Elementorum namque loca circularia, tum quia circulari corpore, quod est Cœlum, tum quia circa centrũ continentur. I C. Laudo equidem, & merito laudo sententiam tuam. ALEX. Sed illud nunc me angit, Cur gutta fit postea oblõga. I. C. An in ima gutta latior est pars ob pondus, summa in acumen angustatur, quia abscinditur, ne va-

cuum detur, non ſtatim ſeparatur à toto; an ſicut ſimile libenter it ad ſimile, tanquam pars ad totum, aut tanquam pars ad cognatã partem, vnionis appetẽs, quę entitatis aſſecla eſt, ſic non libenter à toto ſeparatur, iccirco tanquam inuita ſenſim atque lentè diſtrahitur. An quia fortaſſis, inferiores guttæ partes plus terræ, ſuperiores autem plus aeris habent.

DIALOG. XI.

De Motu & Quiete proiectorum in Aëre.

ALEX.

A Pluuia, quæ aer eſt condenſatus, nunc ad aeris motum tranſcendamus, & diſquiramus, an motus ſit quietis cauſa, an è cõtra, quies ſit cauſa motûs? I. C. An dicemus, ad hanc quæſtionem reſoluendam, motum eſſe quietis effectorem? Sanè lapides in aquæ ſuperficiem per obliquum iacti, reſiliunt: è ſitula aquâ plena circumacta ne gutta quidem effunditur. Vrceus aquâ repletus, cui ſit fiſtula impoſita, ſi inuertatur, aqua in fiſtulam non deſcendet: quieſcit ergo aqua per motum, motus igitur quietis cauſa eſt. An vero animi gratia aſſeremus, quietem eſſe motûs cauſam, vt allata exempla, ſi acutius conſiderentur, confirmant. ALEX. Quomodo id fieri poteſt? I. C. In lapidis hiſtoriã duo ſunt motus, vnus deorſum, deſilit enim

lapis, alter est sursum, quia subsilit , quare & duo erunt motores, iaciens & repellens, iaciẽs est mea dextera, repellẽs est aqua: at aqua non mouetur , quemadmodum ne terra quidem cum iacitur pila: idem motus in terra pilæ, qui in aqua lapidi, prosilitio & resilitio: at resilitio motus est , prouenit autem à terra vel aqua, quæ conquiescunt, quies igitur erit causa motus: quod & situlæ probat exemplum, nam tametsi rotatione moueatur situla, non tamen mouetur aer ad ingressum , solidum enim & integrum semper inuenit tanquam eundẽ, quare trãsitus tempus breuius est, quam tempus quod ad descensionem requiritur, quare nequit tunc aer in tam pusillo momento subire in locum vnde aqua flueret, non oportet igitur aerem moueri, vt situlam sequatur, semper enim inueniet aerem situla quocunque circumrotabitur, anteuertit ergo mutatio loci motum vtriusque cùm aeris tum aquæ, quod si absque aeris motu situla mouetur, quies videtur esse causa motûs ; quod alio exemplo manifestum est, si enim inuersus vrceus supertabulâ æqualis superficiei, ipse item oris maximè æqualibus, aquâ plenus tradatur, nihil exibit aquæ nisi quãtum adhærebit superficiei, nihilo, inquam, plus exibit aquæ quàm si non moueatur, propterea quod recens semper locus est quasi vnus, quia non differt situ à priori, quod si tunc mouetur vrceus & non aer , non dubito asserere quietem esse motus causam. Consecutio non negabitur à Platonicis qui

ex aere motum fieri existimant, at aer quiescit in vrcei rotatione, ergo aeris quies est causa motûs, Nec à Peripateticis, qui à cessione antecedentis aëris motus causam desumunt. ALEX. Aliquid diuinum hæc sapiunt. Sed illud scire percupio. Lapis à manu proiectus à quo tũc mouetur, cum à manu non tangitur? I. C. Ab instãtis aeris (inquit Plato) impulsione. ALEX. At ego Platoni non assentior. I.C. Nec ego profecto, aër enim sequitur rem proiectã, non potest autem sequ, nisi aër, qui lapidẽ antecedit, pellatur: simul igitur fit à lapide impulsio aëris antecedentis, & ab aëre subsequente lapidis: sed non potest subsequẽs aer pellere lapidem, nisi antecedens à lapide pellatur, quare tanta erit antecedentis resistentia, quanta subsequentis instantia, non igitur mouebitur lapis: imò resistentia potior, ac maior erit, quia est naturalis, quàm instantia quæ est non naturalis. Non est enim motus aëris in rectum naturalis. ALEX. Sed qualis est Platonis raticionatio? I. C. Aer, inquit ille, subsequens succedit in lapidis locũ ne detur vacuum. ALEX. Id vero concedo. I.C. Ergo mouet. ALEX. Nego, I C. Recte quidem, satis enim habet si implet ne vacuum detur, hoc autem non mouet, nempe non moueretur aer, in eum subiens locum, nisi moto lapide, quare, semel completo loco, lapis non moueretur, terminatur sanè motus ille complexionis superficie lapidis, non igitur pellit,

Auer. in 4. Phys. ALEX. Sed quæso quid super hoc Aristoteles cēsuit? I.C. Non, vt Plato, à motu sequētis aëris sed à cessione antecedētis causā accersit. Auerroes verò ita scipsit, *Causa in motu lapidis post separationem proycientis non est successio aëris, sed translatio ipsius. Et est hac sententia Aristotelis, vt declaratum est in libris cæli, & mundi & in vltimo lib. huius.* ALEX. In quo ergo differt à Platone Aristoteles? I.C. Quia ille per compulsionem instantis aëris, hic per cessionem impulsi id fieri arbitratus est. ALEX. Quâ fretus ratione? I.C. Quia pulsus aër à lapide, eadem pellit impulsione eum qui ante se est, tum ille alterum, atque is quartum, quæ in loca subire lapidem necesse est, ne vacuū datur. ALEX. Arridet ne tibi hæc ratio? I.C. Minime, non enim potest antecedens aër velociùs moueri, quàm moueatur lapis, à quo semel impulsus est aer ille: nam quomodo moueretur magis, quàm mouēs moueret ipsum? sane magna mihi difficultas est, vt intelligam planè quâ naturâ fultus aër subtrahat sese lapidi, à quo non est per se pulsus. Quod autem nunquam pellatur aer à lapide, ideò patet, succedit enim, inquiunt Peripatetici, ne vacuum detur: at si impelleret, non solum impleret vacuum, sed etiā impelleret plenum. Nec assentior Auerroi, ex mēte Aristotelis dicenti, aeris naturam esse, vt semel motus deinde seipsum moueat, non enim deorsum motus aer, magis deorsum sese mouet, sed reciprocat & redit. ALEX. Diuersam memini me apud Themistium perlegisse

Intelligit octauum Phis t 82 lib 2. de Cœlo. t. 35 & l 3 eiusd. t 22.

ſententiam. I. C. Ea eſt, manere in lapide proiecto vim à proijciente impreſſam, quemadmodum & calorem in aqua Alex. Sane & à me puero excidit olim hoc reſpōſum, vim impellētis nerui relictā in ſagitta. I. C. At quomodo id fiat, nondū à quoquā audire mihi cōtingit, nec exēplum à maximo Philoſopho Themiſtio poſitum conuenit. Alex. Quamobrem? I. C. Quia calor accidens eſt in aquâ generabile ab eo accidente, quod agit ſub forma ignis. At vis mouens quo pacto exit ex anima mea vt in lapide inſidens agat? Neutiquam calor ille quod animæ inſtrumentum eſt, generat in lapide calorem, à quo tandiu moueatur, quandiu in eo viget. Alex. Subtiliora hæc eſſe fateor quàm vt à me percipi queant.

DIALOGVS XII.

De impulſione Bombardæ & Baliſtæ.

Alex.

SEd vt impulſionum cauſas proiectorumue latiùs exquiramus, Vnde fit impulſus in Tubulis æneis anthracotheio ſalenitro plenis? I. C. A rarefactione, ignis enim rarefacta materia, cū proxima loca vindicare vult, depellit. Alex. Nō es neſcius Hyeronimū Cardanū magni nominis Philoſophū, denſitati hui⁹ impulſionis cauſam *Card. l. 2. de ſubt. c. de e.e.*

adſcribere, eâ inductus ratione, *Puluis vbi factus eſt ignis, nō poteſt eo capi ſpatio quo dū puluis eſſet capiebatur, quā ob cauſam partes eius tum denſatur, ergo denſationem illam cum partes eius pati nequeant, erumpere.* I. C. At enimuero duæ hic ſunt rarefactiones: vna quæ cauſa eſt illius condenſationis, non enim prope globum ferreum cōdēſaretur, niſi cum priùs ad foramen igneſcit, mox etiam ſucceſſiuè rarefieret. Altera coniuncta èſt expulſioni, non enim exiret, niſi diffunderetur. Præterea dēſatio illa eſt ibi non ſolum cauſa ſecundaria, ſed etiam per accidens, quippe eſt priuatio proprij naturalis ignis quod eſt raritas. Quo nam igitur naturæ conſilio, priuatio proprietatis ignis efficiet impulſionem ? fit enim à formâ appetente locum ſuum. Ad hæc rarefactio motus eſt, quo rarefacta promouent conterminos ſuos, denſatio vero motus, quo denſata ſuos contrahunt terminos: Impulſio autem eſt promotio extremi: non recte igitur Cardanus à condenſatione motum illum confinxiſſe mihi videtur. ALEX. Optimè. Sed nunc videamus vnde fit impulſionis motus in baliſtis. I. C. à rarefactione inquiunt noſtrates Philoſophi: Scaliger, à condenſatione, quandoquidem condenſatur arcus in baliſtis vbi retunditur, breuior enim fit, ergo contractior, ea de cauſâ frāgitur aliquando cum tenditur, quia rarefit. ALEX. At rarefactio cauſa eſt propter quam deinde arcus retundatur, atque condenſetur. I. C. Sane nullo in genere cauſæ reponi poſſe

credidit: non est forma, non materia, quippe accidēs & priuatio dēsitatis, quæ debetur arcui: non finis, finis enim est impulsio: non efficiens nullū enim ens est efficiēs sui cōtrarij, nulla priuatio est efficiēs habitus sui. Raritas autē est priuatio dēsitatis. ALEX. At arcus in parte cōcauâ interiore cum flectūtur, dēsantur, cum retundūtur, rarefiūt. I. C. Ille vero non it inficias, at maior est (inquit) arcûs ambitus exterior, à cuius amplitudine motus illius inire oporteat rationē. Quare & ab impulsione motū illum fieri negat, habet enim præcedentem causam, nempe attractionem, impellit namque sagittam funis, quia trahit, trahit vero quia trahitur. ALEX. Acutissimè quidem. Sed quæso, cur aliquando frangitur arcus? I. C. Quia nimium rarescit, iccirco viscida non rumpuntur, quia non dissipantur partes, sed vsque & vsque possunt rarefieri, terrea non item, ideò confringuntur, non inflectuntur. ALEX. Quare franguntur arcus si amotâ fibulâ, sine clauicula, & sine sagittâ referētur? I. C. Quia dum habent quod impellunt, minore impetu contrahuntur, cum nihil obiectum est, momentaneo, propter quam motûs violētiam abrumpuntur, id quod in vegetibus quoque virgulis euenit, sensim enim flexæ constant, & sequuntur, si violento nisu & confertis viribus reflectātur, absistūt partes illicò. ALEX. At cur dirūpitur etiam funis vbi sine sagitta retenditur? I. C. Non id fit eadem quâ arcus causâ, sa-

depulsus à suo contrario, scilicet frigore, cõsumit atque humidũ radicale exurit, ipseque simul deperit. Falsum tamẽ hoc nostrũ iudicium esse testantur eadem corpora quæ è niuibus exempta extenduntur, id quod videmus in leporibus: non est igitur omnino absumptum humidum, sed gelatum, & ineptum factum ad caloris pabulum. Fernelius autem credidit magnâ vi frigoris insitum calorem repentè extingui. ALEX. Cur autem ij qui niuem esitãt, ardorem sentiunt in faucibus, imò & sæpius obmoriuntur, dissecti verò inueniũtur habere hepar exustum? I. C. An ideo id euenit, quia natiuus calor frigus persentiens, in recessus interiores aufugit, quare pori obcluduntur, neque fit humorum euaporatio, hinc infirmitas; insuper calor intus coactus, vehementius agit atque demum advrit. sanè frigus cõtractâ densatâque cute natiuum calorem erumpentem intro repellit, qui dein intus collectus & coarctatus, multoque pabulo auctus vi maiore excalefacit. ALEX. Cur & quomodo ranis aliquando pluit? vt in agro Mirabelli, quod oppidum est Santonicæ Præturæ, tantum ranarum pluisse legimus, vt cumulatim totæ viæ tegerentur. I. C. E lacunis nubium haustas atque demissas arbitratur Cardanus. ALEX. Eius verba, quæso, proferas. I. C. *Neque mirum pluere ranas, pisciculos, lapides; nam ranæ ac pisces è mõtium iugis venti impetu transferuntur, transfertur & puluis qui vi ventorum in lapides cogitur. Indicio est non procul à montibus illos cadere, sed vt olim in*

Fernel. l. 4. de spiritib. & inn. calido cap. 8. circ. fin.

Card lib. de subtilit. cap. de scient.

Albano monte atque in vallibus e proximis altioribusque montium cacuminibus. Refert Georgius Agricola Chepuntij luteam terram cum aqua pluisse & in Sueuis anno. 1534. Aër inficiebat vestes cruce rubra, id contingit puluere cum imbribus delato: forma vero crucis ob fila quæ crucis formam dum texuntur referunt, apparuit. Transferunt & oua paruorum animalium, vt etiam ranarum, & piscium, quæ inter turbines ventorum, & imbrium procellas emittunt animalia, quæ pluere videntur. ALEX. Perdoctè quidem. I.C. At duo sunt tamen quæ mihi nauseam pariunt. ALEX. Quænam sunt ista? I.C. Illud in primis, lapideã pluuiam effici ex puluere hausto à nubibus atque in lapides condensato. ALEX. Cur hoc displicet? I.C. Nam ferrum similiter pluisse in Taurinis testãtur authores fide digni; quâ ex fodinâ illud sustulit nubes? ALEX. Quid est aliud quod tibi non arridebat? I. C. Ranarum ouis in aerem sublatis, ranũculas excludi, quibus pluat. Enimuero Mirabelli tantum ranarum pluisse legimus, vt oppidani neque domo efferre pedẽ, neque vbi vestigium ponerent haberent, quò si totius Aquitaniæ ranina oua conuecta essent, vix ille ranarum numerus expleri potuisset. Sed non exemplis quæ sensuum mãcipia oblectant, sed rationibus Philosophum cõuincamus. ALEX. Eas igitur in medium proferas. I.C. Estne adeo imbecillis Natura, vt ei oua substernere opus sit? Quotidiana Cœlestis Genij fœtura, Natura est, cuius potentiam declarant plantæ nullis ortæ seminibus. ALEX.

Sed quænam est tua sententia? I. C. In Aëre ranas illas fuisse genitas. Alex. Cur ita. I.C. Quemadmodũ mus non semper è parentum semine, sed à naualibus quisquilijs procedit, sic in aere genuit Natura ranas, nõ ex ouis, sed ex aqua genitali, cœlesti calore cõdensata, & conformata. idem de Lapideis, ac ferreis imbribus dictum volumus. Quid mirum? nonne sulphur in aere generatur? quippe fulmine, quod in aëre gignitur, vitiata corpora sulphureum odorem naribus offundũt. Alex. At cur post huiusmodi portentosos imbres magnæ accidunt sæpenumerò Rebuspub. calamitates? I. C. *An quia*, inquit Cardanus, *Non nisi in magnis ventorum motibus ista contingunt, at venti immodici à caliditate & siccitate graui oriũtur, vnde proditiones ostendunt vt etiam in Adagio sit, ventus immodicus, proditio viget. Calida autem & sicca constitutio, quæ imbecilia capita vexat, ea agit in proditiones, seditiones ac cædes. Plebs autẽ plerunque talia habet capita ob paruam experientiã rerum, & intemperantiam. Quocirca contingit illam ad facinora vel illorum peßimos impelli, sed falli etiã contingit, tuncque valuisse supplicationes dijs factas creditum est*. Alex. Tu quid sentis? I. C. An potiùs (inquimus nos) quia ex ranarum putrefactarũ odore lues initia sumit & incremẽta: an lapidea ferreaque pluuia horrore ac stupore percutit oppidanorũ animos, qui cum inhorrescunt, magnam in corpore spirituum contẽtionem patiuntur, & quod inde sequitur, non mediocrem in valetudine mutationem, cum

Card vbi supra fol. 796,

verò obſtupeſcunt, ſpiritus intus reuocantur ad rei admirabilis cauſam inueſtigādam, quare exteriores partes ſpiritibus deſtitutæ, obnoxiæ fiunt vel minimis aeris alterationibus, quātò magis vehementiſſimis, prout tunc fuiſſe veriſimile ducimus ex validiſſimâ vaporum mixtione, atque condenſatione, quæ ferrum lapideſq; produxerit. Alex. At difficultas mihi exoritur, nec plebeia illa quidem. I.C. Quænam illa eſt. Alex. Sub Noruegiano Cœlo pluit ſæpe puſillis animalculis, quæ *Lemmer* vocant incolæ, ſunt autem abſimilis ſpeciei à reliquis animātibus, quare ex imbribus illis nouæ ſpeciei exordia deſumpta videntur. I.C. Quæſtio perantiqua eſt, an nouæ ſpecies quæ nunquam extiterint, gigni queant. Alex. Quæſo dic in hac quæſtione aliquid. I.C. Empedocles mundum dicebat imperfectum, quod in eo noui eſſet quotidie aliquid generati. Peripatetici verò è contrario aſſerūt, nihil noui generari quod ſit ſpecies, ſed in ſpecie, quæ iam eſt, indiuiduum. Alij mūdum ſtatuebāt æternum hāc eandem ob cauſam, quia ſcilicet ſemper gignitur, imperfectus eſt, at nunquam deſinet generatio, ergo nunquam abſoluetur. Alex. Nugæ ſunt hæ. I.C. inſcitiæ ſoboles atque ſupinitatis. Materia namque prima nunquam augetur, non enim fit quicquam illius, ſed ſub aliam transfertur formam, fit materia prima aliud ſed non ſimpliciter, nō enim (vt Scolaſticorum vtar vocibus) aliud quid, ſed aliud quale, nempe facit eam

aliud forma , sed non mutat vt sit aliud quid, non enim esset amplius materia , sed vt aliud sub formâ. Alex. Id solùm igitur discutiendum remanet, an noua forma fieri possit, quæ materiæ sese aptet, hoc enim essentia est , & quam speciem appellamus. I. C. Affirmatiuè ego responderem lubenter , nam si in fimeto muris forma non est , & mus generatur ibi, muris ibi formam esse nouam necesse est , ab aliquo igitur constituta est, nempe à Sole: sanè nihil fit à seipso, igitur pari ratione nouæ species in efficientis potestate esse possunt, quæ potestas non nisi cum patiēs ritè affectum fuerit, ad actum reducitur. Alex. Quam autem ob causam gutta cum cadit in aëre globosa est? I.C. Quia nequit in aere cum aëre vnum fieri, quò fit vt accipiat illam formam, in quâ extrema æquè distēt à medio. Vnitas autem procul dubio in homogeneis excellentius seruatur in globo. Alex. Cur ita? I. C. Quia nihil dissidet, nihil absistit, nulla inæqualitas, qua parti pars vel desit, vel supersit. Alex. Ego verò ita dicerem, merito & suo iure sub ea figura partes esse, sub qua totū est à natura cōstitutum, à situ intelligo figuram totius, Elementorum namque loca circularia , tum quia circulari corpore, quod est Cœlum, tum quia circa centrū continentur. IC. Laudo equidem , & merito laudo sententiam tuam. Alex. Sed illud nunc me angit, Cur gutta fit postea oblōga. I. C. An in ima gutta latior est pars ob pondus, summa in acumen angustatur, quia abscinditur, ne va-

cuum detur , non statim separatur à toto;an sicut simile libenter it ad simile, tanquam pars ad totum, aut tanquam pars ad cognatã partem, vnionis appetẽs, quę entitatis assecla est, sic non libenter à toto separatur, iccirco tanquam inuita sensim atque lentè distrahitur. An quia fortassis, inferiores guttæ partes plus terræ, superiores autem plus aeris habent.

DIALOG. XI.

De Motu & Quiete proiectorum in Aëre.

ALEX.

A Pluuia, quæ aer est condensatus, nunc ad aeris motum transcendamus, & disquiramus, an motus sit quietis causa, an è cõtra, quies sit causa motûs? I.C. An dicemus, ad hanc quæstionem resoluendam, motum esse quietis effectorem? Sanè lapides in aquæ superficiem per obliquum iacti, resiliunt: è situla aquâ plena circumacta ne gutta quidem effunditur. Vrceus aquâ repletus, cui sit fistula imposita, si inuertatur, aqua in fistulam non descendet: quiescit ergo aqua per motum, motus igitur quietis causa est. An vero animi gratia asseremus, quietem esse motûs causam, vt allata exempla, si acutius considerentur, confirmant. ALEX. Quomodo id fieri potest? I.C. In lapidis historiã duo sunt motus, vnus deorsum, desilit enim

lapis, alter est sursum, quia subsilit, quare & duo erunt motores, iaciens & repellens, iaciēs est mea dextera, repellēs est aqua: at aqua non mouetur, quemadmodum ne terra quidem cum iacitur pila: idem motus in terra pilæ, qui in aqua lapidi, prosilitio & resilitio: at resilitio motus est, prouenit autem à terra vel aqua, quæ conquiescunt, quies igitur erit causa motus: quod & situlæ probat exemplum, nam tametsi rotatione moueatur situla, non tamen mouetur aer ad ingressum, solidum enim & integrum semper inuenit tanquam eundē, quare trāsitus tempus breuius est, quam tempus quod ad descensionem requiritur, quare nequit tunc aer in tam pusillo momento subire in locum vnde aqua flueret, non oportet igitur aerem moueri, vt situlam sequatur, semper enim inueniet aerem situla quocunque circumrotabitur, anteuertit ergo mutatio loci motum vtriusque cùm aeris tum aquæ, quod si absque aeris motu situla mouetur, quies videtur esse causa motûs; quod alio exemplo manifestum est, si enim inuersus vrceus super tabulâ æqualis superficiei, ipse item oris maximè æqualibus, aquâ plenus tradatur, nihil exibit aquæ nisi quātum adhærebit superficiei, nihilo, inquam, plus exibit aquæ quàm si non moueatur, propterea quod recens semper locus est quasi vnus, quia non differt situ à priori, quod si tunc mouetur vrceus & non aer, non dubito asserere quietem esse motus causam. Consecutio non negabitur à Platonicis qui

ex aere motum fieri existimant, at aer quiescit in vrcei rotatione, ergo aeris quies est causa motûs, Nec à Peripateticis, qui à cessione antecedentis aëris motus causam desumunt. ALEX. Aliquid diuinum hæc sapiunt. Sed illud scire percupio. Lapis à manu proiectus à quo tũc mouetur, cum à manu non tangitur? I. C. Ab instãtis aeris (inquit Plato) impulsione. ALEX. At ego Platoni non assentior. I.C. Nec ego profecto, aër enim sequitur rem proiectã, non potest autem sequ, nisi aër, qui lapidẽ antecedit, pellatur: simul igitur fit à lapide impulsio aëris antecedentis, & ab aëre subsequente lapidis: sed non potest subsequẽs aer pellere lapidem, nisi antecedens à lapide pellatur, quare tanta erit antecedentis resistentia, quanta subsequentis instantia, non igitur mouebitur lapis: imò resistentia potior, ac maior erit, quia est naturalis, quàm instantia quæ est non naturalis. Non est enim motus aëris in rectum naturalis. ALEX. Sed qualis est Platonis raticionatio? I. C. Aer, inquit ille, subsequens succedit in lapidis locũ ne detur vacuum. ALEX. Id vero concedo. I. C. Ergo mouet. ALEX. Nego, I C. Recte quidem, satis enim habet si implet ne vacuum detur, hoc autem non mouet, nempe non moueretur aer, in eum subiens locum, nisi moto lapide, quare, semel completo loco, lapis non moueretur, terminatur sanè motus ille complexionis superficie lapidis, non igitur pellit,

Auer. in 4. Phys.

Alex. Sed quæso quid super hoc Aristoteles cēsuit? I. C. Non, vt Plato, à motu sequētis aëris sed à cessione antecedētis causā accersit. Auerroes verò ita scipsit, *Causa in motu lapidis post separationem proycientis non est successio aëris, sed translatio ipsius. Et est hæc sententia Aristotelis, vt declaratum est in libris cœli, & mundi & in vltimo lib. huius.* Alex. In quo ergo differt à Platone Aristoteles? I. C. Quia ille per compulsionem instantis aëris, hic per cessionem impulsi id fieri arbitratus est. Alex. Quâ fretus ratione? I. C. Quia pulsus aër à lapide, eadem pellit impulsione eum qui ante se est, tum ille alterum, atque is quartum, quæ in loca subire lapidem necesse est, ne vacuū datur. Alex. Arridet ne tibi hæc ratio? I. C. Minime, non enim potest antecedens aër velociùs moueri, quàm moueatur lapis, à quo semel impulsus est aer ille: nam quomodo moueretur magis, quàm mouēs moueret ipsum? sane magna mihi difficultas est, vt intelligam planè quâ naturâ fultus aër subtrahat sese lapidi, à quo non est per se pulsus. Quod autem nunquam pellatur aer à lapide, ideo patet, succedit enim, inquiunt Peripatetici, ne vacuum detur: at si impelleret, non solum impleret vacuum, sed etiā impelleret plenum. Nec assentior Auerroi, ex mēte Aristotelis dicenti, aeris naturam esse, vt semel motus deinde seipsum moueat, non enim deorsum motus aer, magis deorsum sese mouet, sed reciprocat & redit. Alex. Diuersam memini me apud Themistium perlegisse

Intelligit octauum Phys. t. 82. lib. 2. de Cœlo. t. 35. & l. 3. eiusd. t. 22.

sententiam. I.C. Ea est, manere in lapide proiecto vim à proijciente impressam, quemadmodum & calorem in aqua Alex. Sane & à me puero excidit olim hoc respõsum, vim impellẽtis nerui relictã in sagitta. I. C. At quomodo id fiat, nondũ à quoquã audire mihi cõtingit, nec exẽplum à maximo Philosopho Themistio positum conuenit. Alex. Quamobrem? I. C. Quia calor accidens est in aquâ generabile ab eo accidente, quod agit sub forma ignis. At vis mouens quo pacto exit ex anima mea vt in lapide insidens agat? Neutiquam calor ille quod animæ instrumentum est, generat in lapide calorem, à quo tandiu moueatur, quandiu in eo viget. Alex. Subtiliora hæc esse fateor quàm vt à me percipi queant.

DIALOGVS XII.

De impulsione Bombardæ & Balistæ.

Alex.

SEd vt impulsionum causas proiectorumue latiùs exquiramus, Vnde fit impulsus in Tubulis æneis anthracotheio salenitro plenis? I.C. A rarefactione, ignis enim rarefacta materia, cũ proxima loca vindicare vult, depellit. Alex. Nõ es nescius Hyeronimũ Cardanũ magni nominis Philosophũ, densitati huiꝰ impulsionis causam *Card. l. 2. de subt. c. de e.c.*

adſcribere, eâ inductus ratione, *Puluis vbi factus eſt ignis, nō poteſt eo capi ſpatio quo dū puluis eſſet capiebatur, quā ob cauſam partes eius tum denſatur, ergo denſationem illam cum partes eius pati nequeant, erumpere.* I. C. At enimuero duæ hic ſunt rarefactiones: vna quæ cauſa eſt illius condenſationis, non enim prope globum ferreum cōdēſaretur, niſi cum priùs ad foramen igneſcit, mox etiam ſucceſſiuè rarefieret. Altera coniuncta eſt expulſioni, non enim exiret, niſi diffunderetur. Præterea dēſatio illa eſt ibi non ſolum cauſa ſecundaria, ſed etiam per accidens, quippe eſt priuatio proprij naturalis ignis quod eſt raritas. Quo nam igitur naturæ conſilio, priuatio proprietatis ignis efficiet impulſionem ? fit enim à formâ appetente locum ſuum. Ad hæc rarefactio motus eſt, quo rarefacta promouent conterminos ſuos, denſatio vero motus, quo denſata ſuos contrahunt terminos: Impulſio autem eſt promotio extremi: non recte igitur Cardanus à condenſatione motum illum confinxiſſe mihi videtur. Alex. Optimè. Sed nunc videamus vnde fit impulſionis motus in baliſtis. I. C. à rarefactione inquiunt noſtrates Philoſophi: Scaliger, à condenſatione, quandoquidem condenſatur arcus in baliſtis vbi retunditur, breuior enim fit, ergo contractior, ea de cauſâ frāgitur aliquando cum tenditur, quia rarefit. Alex. At rarefactio cauſa eſt propter quam deinde arcus retundatur, atque condenſetur. I. C. Sane nullo in genere cauſæ reponi poſſe

credidit: non est forma, non materia, quippe accidẽs & priuatio dẽsitatis, quæ debetur arcui: non finis, finis enim est impulsio: non efficiens nullũ enim ens est efficiẽs sui cõtrarij, nulla priuatio est efficiẽs habitus sui. Raritas autẽ est priuatio dẽsitatis. ALEX. At arcus in parte cõcauâ interiore cum flectũtur, dẽsantur, cum retundũtur, rarefiũt. I. C. Ille vero non it inficias, at maior est (inquit) arcûs ambitus exterior, à cuius amplitudine motus illius inire oporteat rationẽ. Quare & ab impulsione motũ illum fieri negat, habet enim præcedentem caussam, nempe attractionem, impellit namque sagittam funis, quia trahit, trahit vero quia trahitur. ALEX. Acutissimè quidem. Sed quæso, cur aliquando frangitur arcus? I. C. Quia nimium rarescit, iccirco viscida non rumpuntur, quia non dissipantur partes, sed vsque & vsque possunt rarefieri, terrea non item, ideò confringuntur, non inflectuntur. ALEX. Quare franguntur arcus si amotâ fibulâ, sine clauicula, & sine sagittâ referẽtur? I. C. Quia dum habent quod impellunt, minore impetu contrahuntur, cum nihil obiectum est, momentaneo, propter quam motûs violẽtiam abrumpuntur, id quod in vegetibus quoque virgulis euenit, sensim enim flexæ constant, & sequuntur, si violento nisu & confertis viribus reflectãtur, absistũt partes illicò. ALEX. At cur dirũpitur etiam funis vbi sine sagitta retenditur? I. C. Non id fit eadem quâ arcus causâ, sa-

nè non rarefactione, sed arcus vi, qui vtrinque distrahit, & vtroque dum nititur redire ad situm suum liberum, non à fune coactum. Vbi verò tenditur arcus, & funis adducitur in fibulam, si rumpatur funis, rarefactioni est adscribendum.

DIALOG. XIII.

De Aëre exsufflato & ventilato.

ALEX.

MEmini legisse, Satyri cuiusdam, ex illis quos Deos delira putauit & adorauit antiquitas, accutissimum dicterium. Cum enim hospitem eũdemque Captorem suum aperto ore in manus suas insufflantem videret, scitè quæsiuit ab eo, cur id efficeret? respondit hospes, id quod erat, vt eas scilicet excalefaceret. Obmutuit tunc Satirus: verum enimuero cum paulo post eundem hospitem suum ore restricto in offam sufflantem conspexisset, curiosulus alioquìn quæsiuit rursum quâ de causâ? respondit ille, vt frigidiorem & esui aptiorem redderet. Apage, ait statim Syluanus, eiusmodi animalis consortium, in cuius ore latet & frigidum, & calidum, Sed rationem tu reddas cur aer ore lato exsufflatus, calidus est, angusto, frigidus? I.C. An quia (inquit Aristoteles) ex ore aperto multũ prodit aeris, qui calidus cum sit, & præpotens, ab externo aëre

Ar. sect. 34. probl. 7.

ambiente, qui frigidus eſt non patitur: ex oris autem anguſtijs parum exit aeris, multumque peregrini aëris excitat, quamobrem illius calor ſuam ob exiguitatem ab externo frigore ſuperatur. ALEX. Perpulchra ſententia, I. C. At enimuerò mihi non arridet. ALEX. Quare? I. C. Sanè tubulum in os indas per quē ſi efflaueris, digito quàm proximè ad exitum admoto, frigidum percipies aërem prodeuntem, cum tamen illi nihil aëris extimi fuerit admixtum. ALEX. Ita eſt, ſed quid tu cenſes? I. C. Ego dicerē aërē ore lato exſufflatū adhuc retinere calorē, quem à pulmone obtinuerat: anguſtis vero labijs vaſto impetu elatus, calidos illos vapores, quibus fuerat à pulmone affectus, cogitur à cōſtrictis oris angulis vti craſſiores relinquere, & ipſe ſolus egredi, qui cum ſit reſpectu noſtri frigidus, admotam manum refrigerat. ALEX. Perplacet ſanè. Sed quare motus ſeu ventilatio æſtiuum refrigerat aërem? cum tamen nihilominus ab omnibus acclametur, motum eſſe caloris cauſam. I. C. Quia calor ille nimius factus per Solis acceſſionem, quo aër calidior eſt, quàm ſuapte natura erat, diſcutitur atque diſſipatur. ALEX. Sed dic ſodes, calefit ne an frigefit aer motu? I. C. Vtrūque. Nam aer qui erat calidus, cum ventilatione diſturbatur, rareſcit, quare ab eo multæ partes calidæ auertuntur, hinc frigeſcit. Partes vero aliæ partibus illis diſſitis circūſtantes cōdenſantur, quod & in ſagittæ fit traiectione, atque concaleſcunt: propterea quod multæ aeris

partes in vnum coguntur, atque iccirco multus calor, cuius illæ ſunt fundamentum.

ALEX. Sed cur celeriter mota manus, atque in alium reducta locum, aerem ſentit frigidũ, leniter vero mota calidum? cum tamen in vtraque motione ſit recentis aeris renouatio. I. C. Quia aer ſui naturâ non eſt frigidus, ſed noſtri corporis calori comparatus, iccirco ſentitur frigidus ille, qui nos ambiens noſtri contactu non ſit concalefactus, itaque ſi manus celeriter transferatur, aerem perſentiſcit frigidum, quia nequit manus in tam puſillo tempore illũ calefacere, at leniter mota ſubſentit calidũ, quia leui motu ſecum hærentem aerem, quem iam ſuus cõtactus excalefecerat, trahit, neque nouum ſine illo medio inuenit cui occurrat.

DIALOG. XIV.

De Aëre Corrupto.

ALEX.

SCitiſſimè iocatur Cicero in Epiſt. ad Trebatium ni hil eſſe obſcænitatis in rebus, multo minus in verbis. At hîc non idem eſt, nam ſæpe aer corrumpitur, verba nunquam, de aeris igitur corruptione ſecuri diſputare poſſimus abſque fœtoris maleolentiâ. Quamobrem quæro à te (mi Iuli) corrumpitur aliquando aer, & contagioſus efficitur? I. C. Quia

excalefactus nequit ad ſuam redire frigiditatē: ſanè in anguſto carcere concluſi captiui, quibus nulla feneſtra eſt, nullus ianuæ hiatus, moriuntur, quia aer vltro citroque tractus, emiſſus, commeans à pulmonibus calefit, nec in ſpatio laxiori eſt quantum ſit ſatis ad incaleſcendi viciſſitudines, atque ad priſtinam redeundi frigiditatem; hinc ſcitiſſimè Hippocrates aſſerebat, ſtipatam ſupellectilem calefieri atque corrumpi. ALEX. Memini, imò hanc ob cauſam Armelinas, & Sebellinas pelles, quibus in hybernos vſus togas ornare ſoleo, externa die Auſtrali aurę ventilendas expoſui. I.C. Aquilonari potius debuiſſes obijcere. ALEX. Cur ita? I.C. Quia frigida, & ſicca tempeſtas aſſeruandis rebus accommoda, frigore ac ſiccitate Cœli obdureſcunt tegmina quare pili non defluunt, imò & vermiculos, & tineas, quæ veſtimenta depopulantur, & vel corroſione, vel attritu vitiant, exareſcere contingit & aboleri in frigida, ſiccaque aura, qualis eſt Aquilonaris: ſecus in humida quemadmodum Auſtralis eſt. ALEX. Mihi hæc probarentur, niſi compertum eſſet, & in his brumalibus ferijs frigidiſſimis iuxtà & ſicciſſimis pelles illas adhuc concepiſſe detrimenta. I.C. Forſitam nocturno tempore lecto imponebas. AL. Ita eſt, ſed quid hoc ad vermiculorum generationem, & ad pilorū defluuium? I.C. Calida, & humida progenerādis ſordidis animalculis, idonea ſunt, quare æſtiuis mēſib⁹ auraq; ſubtepida cænacula, cellæ prōtuarię, arcæ cimicib⁹, culi-

cib⁹, crabronib⁹, Vespis, ſcarabeis, corpora pulicibus, pediculis, lẽtibuſque ſcatent, quæ hyberno tempore minus cõſpiciuntur. ALEX. Ita eſt. Sed quid inde infers? I.C. Sudor, qui ex tepente, madidoque per nocturnam quietem corpore emanabat, atque expirabat, in clamydẽ aſſumptus eſt ita vt tepore quodã à corporis exhalatione imbuta, ac perfuſa, corruptionis materiam cõceperit, imò & pilorum pompa deſtituta quodãmodo fuerit, nã à laxata ob calorem cute pilos defluere accidit. ALEX. Subtiliſſime, ſed habeo adhuc quod obijciam. Illuſtriſſimus Don Petrus de Caſtro de Villaquiran Hiſpanus Doctor celeberrimus mihi heri retulit, coemiſſe Lutetiæ complures Armelinas pelles, è quibus in eodem loco optimè ſeruatis, vna duntaxat pilorum caſum paſſa eſt. I.C. Hæc fortaſſis æſtiuo ſydere animali detracta fuit, quare hians, laxaque ob calorem cutis pilos tenacius non amplexabatur, quapropter cito cõciderunt. ALEX. Fœlix qui potes rerum cognoſcere cauſas. Sed quæſo enarra alias cauſas, quæ aëri corruptelam inferunt. I.C. Inquinatur vaporibus aer, qui ex mixtis putrefactis exhalant, vt è cadauerum fœtore in caſtris aliquando accidiſſe legimus; licet enim aëris ſubſtantia ſimplex cum ſit, putreſcere nequeat, variam tamen primis qualitatibus mutationem ſubit: multa inquinamẽta tanquam ſparſa morborum ſemina aliàs ex inferioribus, aliàs è ſuperioribus excipit. Ex inferioribus quidem velut ex ſtagnis, paludi-

bus vel lacubus inquinatis ac putridis, ex quibus expirans vapor ambientem permixtione labefactat. Ex terra graui & inquinata, ex antris, ſpecubus, aut baratris graues interdũ expirationes in aëra tolluntur nobis plurimum infenſæ: Animantium, maximè vero ſerpentium, & hominum non cremata ex bello cadauera, reſeruata illorum excrementa, euulſæ ſtirpes venenatæ, aliæque ſordes computreſcentes, plerumque aëri graues & exitiales offenſas induxerunt: non aliter quam metallorum, ſulphuris, arſenici, hydrargirij, aut prunarum fumus coarctatus, non paucos iugulauit. Alex. At quomodo contingit hæc putrefactio? I.C. Ob miſtionis diſſolutionem, quæ fit calido innato atque humido euaporantibus, quia ab humiditate partes molliuſculæ redditæ ſunt, & ſublatæ ab extraneâ caliditate ſiue ea in aëre ſit, ſiue in circumfuſo humido. Alex. Optimè quidem ſed planiùs quæſo. I.C. Res vna quæque putreſcit, cùm eius temperie ſenſim diſſolutâ proprius natiuuſque calor, qui omnia regit & continet, euincitur ac deficit, ſiue ab ambiente calore diſſipatus, ſiue à frigido aut alienis qualitatibus extinctus: Refrigerato & extincto calore, naturalis & aquæus humor dominatur, vndique redundat & diffluit, quippe nec iam alicunde coercitus nec ſicco temperatus. Alex. At vero Galenus partium aut humorum corporis putreſcentium vnam obſtructionem cauſam ſtatuit. I.C. Non differt à nobis: Nam obſtructio ca-

loris transpirationem ventilationemque prohibet, prohibitâ ventilatione calor refrigerio destitutus hebescit & extinguitur. Calore demum fracto & debilitato humor euagatur ac diffluit, calorisque vi & dominio destitutus computrescit, cui fere comes est fœtor & grauеolentia, Putredine magis ac magis inualescente proprius calor elanguescit, simulque naturalis humor dissipatur, & partes sicciores euadunt, quasi marcore consumptæ, qui omnis putrefactionis finis existit. Omnia enim quæ putrescunt, tandem in fimum ac cinerem extabescunt. Alex. At non omnis contagio est putrefactio, quandoquidem acetum, vino, cum immiscetur, cōtagione sua illud corrumpit, nullam autem putrefactionem acetum in se continet, quinimo ei resistit. I.C. In aceto putrefactionem inesse, imo & antecedere dixerim, nam lac putrescere cùm incipit, acescit. Fœtor autem in aceto non est, nec enim absolutè vinum corrumpitur, sed corruptionem illam generatio aceti consequitur. *Fit enim* (inquit Fracastorius) *dulcibus & aereis particulis abeuntibus, relicto multo terreo subtili adusto cum plurimo aqueo*, vel *emanat* (inquit Fernel.) *acidus sapor tenui siccâque materiâ, cuius calor insitus putredine expirauit vt in aceto.* Alex. At saltem illud obtinuero, non omnem putrefactionem contagiosam esse. I.C. Hoc verò à me negatur, quandoquidem ex perpusilla vnius cerasi putredine adhærentes fructus corrumpi & marcescere certum est. Fateor tamen non à qua-

Frac. inl. 1. de contag. cap 9.
Fernel. lib 4. de medendi Methodo c. 3.

cunque putrefactione contagionis ſeminaria produci,quæ valida ſint alibi propagari, ſed ab ea duntaxat putrefactione , quæ acumen & agendi potentiam,nec non lentorem elaboratamque miſtionem retinet,quare calidæ& ſiccæ particulæ ex miſtorum putrefactione exhalãtes contagionis ſeminaria eſſe nequeunt, nam ob ſiccitatem non cohæreſcunt: Calidæ vero humidæque partes,non modo ad putredinem generandam ſunt aptiſſimæ (nam humidum quod tãgit ſubiectum, emollit,elaxat, calidũ verò ſurſum tollit & ſeparat,hinc mixti diſſolutio conſequitur euaporante connaturali calido & humido) ſed putrefactis vaporibus commiſtæ, contagionem afferunt vt pomorum exemplum teſtatur,quia tamen hęc plurimo aqueo abundant & quod exhalat lentum non eſt,quare non adhæreſcunt partes,iccirco putreſcentes fructus afficiunt quidem proximos, contagionis autem fomitem non congenerant,id quod abunde præſtat ſordida concluſaque putrefactio. ALEX. Quid vocas ſordidam putrefactionem? I.C. Quæ ſuperficialis non eſt, ſed profunda & totalis. ALEX. Quid eſt ſuperficialis? I. C. Quæ ſuperficiales tantum emittit vapores calidos & ſiccos , qui contagioſi non ſunt, ob ſiccitatem enim agglutinari nequęunt , cuiuſmodi febres ſunt linguam arefacientes , igneum enim eſt quod euaporat. ALEX. Sed quid appellas profundam putrefactionem? I. C. Illam quæ penitiſſimas putrefacti cor-

poris partes pertingit. ALEX. Quæ sunt huius indicia? I.C. Hebetat acrimoniam, obtunditur enim à multo humido quod exhalat: lentorem inducit, quare & pulsus humilior euadit & rarior, non enim audet natura venas extollere, ne putredini aperiat aditũ, quẽadmodum in sordidis viculis deambulantes, vix halitum per nares trahimus, vt fœtori via occludatur. ALEX. Quid conclusam appellas putrefactionem. I.C. E quâ non abeunt quæ exalãt' particulæ, sed miscẽtur, ibique conclusæ seruantur. ALEX. Doctissimè, sed putas ne aerem effici contagiosum ab Astris? I.C. Possunt sanè Astra per se calefacere, calefactionẽ autem consequitur per magna vaporum ex aquis terrisue eleuatio, qui mox varias inferunt corruptiones, præcipuè vbi Planetæ plures & præpotentes in vnum coëunt: vt enim alia syderum cõiunctio imbres, alia serenitatem, alia Austrinam, alia Aquiloniam, aliamue tempestatem mouet, ita sanè fatendum est quandam posse contingere coniunctionem quæ aëri pestilentiã immittat. Si enim astra bene constituta omnium vitam tuentur ac conseruant, cur malè constituta vitæ non incommodent, & quodammodo insidientur? ALEX. Rectè quidem. Sed illud scire aueo, an luis venereæ originem insolenti syderum constitutioni acceptam referas? I.C. Ego quidem existimaui aliquando, à muliebris vuluæ corruptione, veluti à putridâ omniũ sordium cloacâ, originem traxisse. ALEX. At superest adhuc difficultas, qua-

re & quomodo ſeſe in ipſam vuluam immiſerit? I.C. Ob ſcortorum impuritatem, & variorum ſeminum receptionem, quare non maritás, ſed meretrices duntaxat morbo hoc laborare aduertimus. ALEX. Ita quidem eſt. Sed quomodo ex impuritate Lues hæc? I.C. Quia inquinatur ex diuerſis ibidem ſordidis putrefactis humoribus vulua, & in venereo complexu ſibi adhærens inficit membrum, & per contactum producendo in peni vlcuſculum & per vapores, qui ex loco putredinis exhalantes, non in poros tunc agitatione apertos ſe intromittunt (conſiſtit enim hæc lues non in ſpiritibus, quare nec per inquinati aeris inſpiratione̅ contrahitur, ſed in humoribus mucoſis, qui lenti procedunt, & non niſi per latam & ſibi proximam introeunt ianuam) ſed in cauum penis latum atque ibi contiguum intro irrepunt, & venæ cauæ ſanguinem arteriæque maioris ſpiritum labefactant, tuncque venenum propellere euitens hepar, bubo prorumpit in inguine, hinc vaſis ſpermaticis renibuſque affectis gonorrhea ſe promit, quia virus turpiſſime velut eructando eijcitur. Cum autem execrandum malum in iecur & in ventriculum inuaſit, mox cum iecore ſanguis polluitur, quo cunctæ corporis venæ participes fiunt eoque in artus, in muſculos, & in cutem diſſeminato compreſſum maleficium atque tacitu̅ erumpit, proſiliuntque liuidæ, rube̅teſque puſtulæ, Vlcuſcula cruſtoſa: bilioſis quidem phagedænica, & exedentia: melancholicis cancro-

poris partes pertingit. Alex. Quæ sunt huius indicia? I.C. Hebetat acrimoniam, obtunditur enim à multo humido quod exhalat: lentorem inducit, quare & pulsus humilior euadit & rarior, non enim audet natura venas extollere, ne putredini aperiat aditũ, quẽadmodum in sordidis viculis deambulantes, vix halitum per nares trahimus, vt fœtori via occludatur. Alex. Quid conclusam appellas putrefactionem. I.C. E quâ non abeunt quæ exalãt᷑ particulæ, sed miscẽtur, ibique conclusæ seruantur. Alex. Doctissimè, sed putas ne aerem effici contagiosum ab Astris? I.C. Possunt sanè Astra per se calefacere, calefactionẽ autem consequitur per magna vaporum ex aquis terrisue eleuatio, qui mox varias inferunt corruptiones, præcipuè vbi Planetæ plures & præpotentes in vnum coëunt: vt enim alia syderum cõiunctio imbres, alia serenitatem, alia Austrinam, alia Aquiloniam, aliamue tempestatem mouet, ita sanè fatendum est quandam posse contingere coniunctionem quæ aëri pestilentiã immittat. Si enim astra bene constituta omnium vitam tuentur ac conseruant, cur malè constituta vitæ non incommodent, & quodammodo insidientur? Alex. Rectè quidem. Sed illud scire aueo, an luis venereæ originem insolenti syderum constitutioni acceptam referas? I.C. Ego quidem existimaui aliquando, à muliebris vuluæ corruptione, veluti à putridâ omniũ sordium cloacâ, originem traxisse. Alex. At superest adhuc difficultas, qua-

re & quomodo ſeſe in ipſam vuluam immiſerit? I.C. Ob ſcortorum impuritatem, & variorum ſeminum receptionem, quare non maritás, ſed meretrices duntaxat morbo hoc laborare aduertimus. ALEX. Ita quidem eſt. Sed quomodo ex impuritate Lues hæc? I.C. Quia inquinatur ex diuerſis ibidem ſordidis putrefactis humoribus vulua, & in venereo complexu ſibi adhærens inficit membrum, & per contactum producendo in peni vlcuſculum & per vapores, qui ex loco putredinis exhalantes, non in poros tunc agitatione apertos ſe intromittunt (conſiſtit enim hæc lues non in ſpiritibus, quare nec per inquinati aeris inſpiratione contrahitur, ſed in humoribus mucoſis, qui lenti procedunt, & non niſi per latam & ſibi proximam introeunt ianuam) ſed in cauum penis latum atque ibi contiguum intro irrepunt, & venæ cauæ ſanguinem arteriæque maioris ſpiritum labefactant, tuncque venenum propellere euitens hepar, bubo prorumpit in inguine, hinc vaſis ſpermaticis renibuſque affectis gonorrhea ſe promit, quia virus turpiſſime velut eructando eijcitur. Cum autem execrandum malum in iecur & in ventriculum inuaſit, mox cum iecore ſanguis polluitur, quo cunctæ corporis venæ participes fiunt eoque in artus, in muſculos, & in cutem diſſeminato compreſſum maleficium atque tacitũ erumpit, proſiliuntque liuidæ, rubẽteſque puſtulæ, Vlcuſcula cruſtoſa: bilioſis quidem phagedænica, & exedentia: melancholicis cancro-

ſa:pituitoſis ſordidiora: ſanguineis crebriora &carbunculi effigie. ALEX. Eruditiſſimè quidẽ, ſed cur venenoſam hanc appellas luem? I. C. Hanc equidem non facio veneni expertem, ſed rabidi canis morſui comparo, vt enim ille demorſu ſaliuæ quiddam aut humoris eructat, in quo vis eſt veneni, quod intro ſubiens, ſpiritus, ſanguinem, humores, parteſque omnes labefactat, ita huius venenum ab ea ſede, quæ ſit contagione labefactata, ſenſim in omne corpus proreptat, atque ſæuit; qui venereo complexu iungitvr cum inquinata, à pudendis luẽ contrahit: Nutrix à qua pollutus infans lac ſugit, à mammis: condormiens inquinato ſudore diffluenti à cute &à ſummis corporis partibus, qui effuſiore oſculo ſaliuam exceperit, ab ore: infans vitiata nutrice altus nnnc ab ore, nunc ab interioribus: obſtetrix quæ infectæ parturienti opem tuliſſet, à manu, quæ tandem excidit. Huius tamen veneni quia vis eſt hebetior, non niſi apertam nudamque partem inuadit. ALEX. Perge quæſo. I. C. Alij ab orbe Americo tam precioſam mercem Hiſpanicas nauigationes aduexiſſe putant, qua de cauſa Hiſpanicum morbum Germani appellant. ALEX. Fracaſtor. tamẽ vir doctiſſimus pernegat, quia morbus ſuapte naturâ ſegnis eſt, neque facile propagatur, eodem vero tempore, quo Auguſtiſſima illa Monarchia detecta eſt, lues hæc graſſabatur in Gallia, Hiſpania, Italia Germania & tota ferè Scythia. I. C. At his in locis Indicæ merces iam peruenerant, in quibus con-

tagionis ſeminaria conſeruari idem Fracaſtor. prodidit, exemplum ſcitiſſimè adducens veſtiũ noſtrarum, in quibus per multos annos odores ſeruantur ad ſpiritus recreandos, ita & fœtores ſeruari ad eoſdem labefactandos argumentum ab oppoſitis ſuadet. Alex. Ita quidem, ſed an putas ab Aſtris contraxiſſe originem? I.C. Fracaſtor. cenſuit, è Saturni, Iouis, Martiſque cõgreſſu in Cancro anno 1504. luem hanc initiũ ducere. Fuerunt quidem potentiſſima ſydera, ſimulque diu permanſerunt ob Saturni moroſitatem, quare ingens vaporum attractio facta eſt, qui aeri commiſti, varieque agitati, ſordidam effecerunt putrefactionem, à qua morbi ſeminaria compacta ſunt, analogiam habentia ad humores ſordidos, quare execrandâ lue laborantium flegma, gummoſitates, & puſtulæ ſunt ipſiſſima ſordities, hinc fit vt contages hæc non facile contrahatur, ob craſſitiem in quâ ſeminaria latent quaſi coagulata, quocirca cõcalefactione, quæ in coitu maxima eſt, indigent vt agglutinentur, & actu fiant ſemina: contracta verò ſegniter adhuc ſerpit obfrigiditatem, & materiæ craſſitiem; carpit demum etiam ſolida, ob ſeminariorum acuitatem in denſa materia cum actu ſeminaria fiunt in putrefactionis dilatatione, quapropter & in caluaria occipiunt puſtulæ germinare, quia ea pars ob humoris craſſitiem ſorditiemque quibus alitur ad ſordidam hanc cõtagem analoga eſt, vt ſubticeam illud, è ſordidâ putrefactione multum humoris exa-

lare, exalatio autem omnis sursum fertur Alex. Perdoctè quidem. I. C. A veritate tamen remotè: non enim huc vsque vigeret, & quamplurimos initio paucis diebus afflixisset, cum tamen deprehensa sit ab vno quopiam aut admodum paucis Neapoli originem habuisse. Alex. Quid igitur concludendum est? I. C. In omnem Europam, Aphricam, Asiam, & extremam Indiam, sensim hanc contagionem irrepisse, ab Indiæ nauigationibus allatam, nec enim ante Americum orbem detectum lues hæc in nostris partibus grassabatur, nec aliàs grassatam authores referunt: Indis autem miseriam illam ab Astris defluxisse peculiarem. Alex. At si ab Astris, cum ingenti clade hominum eualesceret. I. C. Concedo, nam & quamplurimos & sine manifesta causa affligit Indos populariter, neque alio modo eos inuadit, quã nos hic variolæ, quæ fuit causa, vt luem istam Galli facetè magnam variolam nominarint. Alex. Omnem certè hac de re dubitationem velut caliginem dilucida interpretatione discussisti, velim tamen insuper mihi scrupulum ex animo euellas, quem modo infixisti. I. C. Qualis ille est? Alex. De variolis, quæ exanthemata nuncupantur, mentionem fecisti, illius morbi causam à te audire percupio. I. C. Auicenna credidit, reliquias quasdam mẽstrui sanguinis, quo fœtus in vtero alebatur, in pueris & infantibus etiamnum permanere, quæ feruidiore Cœlo, vel austrina tempestate, vna cum reliquo sanguine efferuescentes naturæ

vi

vi propulſæ, foras proſiliant, & efflorescant in cute. ALEX. Fracaſtorium credebam huius ſententiæ authorem. I.C. Fautorem rectiùs dixeris, parum tamen veritati in hac re conſentaneum arbitror. ALEX. Cur ita? I.C. Quia ex ea ipſa cauſa mulieres quibus ſuppreſſi menſes in omne corpus redundant, eidem variolæ obnoxiæ iacerent, quod nunquam contigiſſe vidimus, neque in pueris reliquias menſtruorum permanere concederet Galenus, qui non à fœdiore illo ſanguine mẽſtruo, ſedè puriſſima materna portione fœtum in vtero alimentum capeſſere aſſeuerat. Sed menſtrua in fœtus alimentum cedere concedamus, quî tamen fieri poteſt, vt poſt multas febres, poſt multos morbos ſuperatos tandiu perdurare valeãt? Audiuimus ſane ſexagenarium ſenem hiſce exanthematis grauiſſimè conflictari. ALEX. Vnde igitur morbum hunc prouenire arbitraris? I.C. Ex communi quadam cauſa toti aeri conſperſa: Id quod luculenter conuincitur ex eo quod non ſolum calidiore Cœlo, ſed & hyeme interdum graſſantur. ALEX. At ſi communis ea eſt, omnes deberet afficere, cum tamen ſolos pueros affici vt plurimum videamus. I.C. Hoc ideo fortaſſis euenit quia firmior ætas, & adultior tantulis malis non laceſſitur. ALEX. Haud diſplicet. Sed quæſo paucis cardinem illum explices rogito, cur contagionum cauſa potiſſima aer eſt? I.C. Quia eo ad vitam neceſſariò vtimur, ipſe autem ob ſui raritatem, omnes peregrinas qualitates ad-

mittit, atque ideo ad putrefactionem procliuis, quare non modo humectando, calefaciendo, exsiccando corruptionem minitatur, sed alibi corruptos vapores ad nos transfert, qui ob validam elaboratamque mistionem in lentore constitutam, medio in aëre expositi non rarefiunt nec dissoluutur, & ad nos accedentes internam atque internam efficiunt putrefactionem: internam quidem, dum humoribus immiscentur, & ingratos palato nostro reddunt terræ fructus, quapropter à naturâ respuuntur atque ita computrescunt: à putredine autem aer contaminatur. Internam verò dum è paruulis poris, venulis atque arterijs in nostrum corpus introeunt: citissimè autem penetrant, vel propagatione, quandoquidem prima seminaria, quæ proximis humoribus, ad quos habent analogiam, insident, consimilia generant, & hæc alia, donec vniuersa corporis moles inficiatur: vel attractione quæ intus fit cùm spiratione per anhelitum, tum venarum dilatatione, simul enim cum aëre qui attrahitur, contagionum semina subintrant, nec inde per expirationem facile regredi valent, nam humoribus membrisque adhærescunt, & non pauca etiam spiritibus, qui contrarij speciem refugientes, ad cor tutissimam vitæ arcem confugiunt, atque ita incauti illi atque miseri hostem ad cor introducunt, & illicò mors accersitur; Quare scitissimè Hypocrates curationem in duplicem redegit scopum, loci mutationem & exiguæ inspirationis

vſum. Et ego crebris hoc vſurpo ſermonibus aerem contagioſum, ac peſtilentē cibo vitioſo ac venenato eſſe nocentiorem: ſiquidem cibus vomitu excuti poteſt, nec non caloris naturalis auxilio concoqui: At ſpiritus, auraque peſtifera non facilè domari poteſt, aut confici, vbi intimos corporis receſſus occupauit, nam cor, & vitales ſpiritus confeſtim opprimit. ALEX. Sed cur aeris contagionem prænuntiare creduntur Cometes, igneæq; trabes in aere viſæ? I.C. An quia ab vnctuoſo lentoque fomite in ſupremâ aeris ſtatione illa omnia fiunt, quod vapores è terra aſcendentes conſimiles exiſtere præoſtendit, quare ex putridis exalare credendum eſt, putrefactionem autem contages ſubſequitur. ALEX. Scitiſſimè. I.C. At enimuero iam inquirendo defeſſum te, reſpondendo quoque me defeſſum arbitror, ne quid igitur putridi ex iſtis putrefactionū ſermonibus nobis in ſthomacum irrepat, ad meridiem vſque ieiuni ne perſiſtamus: ſumus nos quemadmodum & reliqui ferè Philoſophi, colerici, atque ideò calido, æſtuantique ventriculo: iuuenes: frigidi Cœli accolæ, & diſputationibus addicti, quare ne huiuſmodi literaria exercitatione vitales ſpiritus extenuentur, corporiſque vires flacceſcant ac collabantur, ientaculum ſumamus. ALEX. Non recuſo. I.C. Heus pueri afferte nobis paſſulas Corinthiacas, nucleos pinos, liguſtici citri putamina zaccharo incruſtata. TARS. præſto ſunt omnia. ALEX. Hæc ventriculum minus fatigant, nec in per-

ficienda concoctione negotium facessunt, souetur appetitus, alacriorque redditur ad prandium. I. C. Ita sanè est: Cum post aliquot horas luculentum ignem elixandis, assandisque carnibus excitare quis meditatur, prius nonnullo fomite, aridisque nutrimentis focum instruit, ne ignis penitus sopiatur, cumque fuerit opportunum, vastum ignē in cocturæ vsum excutit; sic cum exiguo fomento, ac velut succendiculo ventricnlus paulo ante incaluit, in prandio auidius, ac liberalius cibum appetit, ac dilatatis venis validius cōcoquit. ALEX. At diutina inedia vitiosi humores digerūtur à natiuo calore, dum non laborat in eduliorum concoctione iā in somno peracta. I. C. Ita est, sed ad id præstandum, non modo à ientaculo, sed à prandio etiam, nec non à cœna aliquando abstinēdum est ijs, qui iniectis humoribus affluenter conflictantur; alioquin si ientaculi abstinentia stomacho è vicinis partibus noxios humores attrahere permittit, & paulo post ei prandium nos exhibemus, proculdubio illud respuet, citoque satiabitur, vtpote quia attractis vndique prauis humoribus oppletus est. ALEX. Nec ipse Hippocrates doctius ratiocinaretur. I. C. Mittamus hæc, & postquam sumpsimus nonnihil edulij, bibamus. ALEX. Haud sum assuetus diluculo vinum bibere, nam vt à peritissimo, optimoque Medico conterraneo, ac familiari tuo Constantino Caluano accepi, animi vigorem hebetat, mentem obnubilat, ac neruos afficit. I. C. Tanti viri iudicium non redar-

guam. Parcius ſanè matutinis horis bibēdum, non tamen vini vſum prorſus interdicendum, nam & cor exhilarat, collapſas vires reficit, & indigeſti fortaſſis cibi concoctioni ſæpenumero opitulatur. ALEX. Bibamus igitur. I.C. Proſit. ALEX. Regia ſanè menſa vinum digniſſimum. I.C. Non Regalis copiæ, ſed philoſophicæ paupertatis hic noſter apparatus te memorem faciet. ALEX. Pauciſſima natura manè exigit, tantumque foueri pauxillo alimenſo poſtulat, ne calor naturalis conflacceſcat. Hilares nunc diſceptationem proſequamur. I.C. Libentiſſime. Heus pueri iſthæc intro auferte.

IVLII

CÆSARIS

VANINI PHILOSO-PHI INGENIOSISSIMI

Liber Secundus.

De Aqua & Terra.

DIALOGVS XV.

DE AQVAE ELEMENTO

ALEX.

QVædam mihi occurrunt circa Aquæ & Terræ Elementum dubitationes, quas, si tibi libuerit, proponam. I.C. Nihil mihi iucũdius quàm quotidie aliquid addiscẽtem fieri senem. ALEX. Ab aquâ igitur occipiam. I.C. Tui iuris es in proponendo, sed quia tua voluntas non nisi quæ rationi consentanea sunt eligit, scirę maximè cuperęm, cur aquæ tractationem terræ elementi disputatio-

nibus anteferre velis? Alex. Quia potiore gaudet prerogatiuâ. I.C. vnde sumis argumẽtum? Alex. A magnitudine. I. C. Non inficior totam aquæ faciem, quæ comparet, terræ tractu longè esse fusiorem, etiam si Fluuiorum appendices demantur: At ipsa corpora si inter se conferantur, vix, exempli gratiâ, semuncia est aqua ad totius assem terræ. Sub omni namque aqua terram subesse necesse est, non autem sub omni terra aquam. Aquæ profunditas non multa, nempe passus rarò excedit octoginta, plurimis locis non accedit ad vicenos, paucissimis ad cẽtenos. Altitudo vero summæ superficiei terræ super aquæ superficiẽ multa. Iam res nõ agetur modicis passibus, sed cẽtesimis, millesimis & leucis, & parasangis, & schœnis: Profectò si soli Caspij montes mittuntur in mare, operibunt quantum vacui patet. Si Carni demittantur in vltimi Adriatici sinum, non solum cõplebunt depressiones, verũ etiã in montis faciem extabit curuum aliquid. Cætera pas Adriatici maris eodem fato ab Illiricis agitabitur. Alex. Non negabis hanc saltem aquæ supra terram commendationem, quia plures producit animantes: Quàm numerosa præter immensos terrarum tractus spatiosissimi Oceani gurgites piscium genera proferunt? I.C. Nihil, fateor, mari fœcũdius quòd crassioris sit substantiæ ac spiritu calorifico vndique suffusum, attamẽ illud est certum, etiã pisces ipsos plus terræ quàm aquæ habere. Alex. Id pernego, nam piscium recentia cadauera flui-

tant, quod perpusillum in eis terræ inesse demonstrat I. C. Idem etiam terrestrium cadaueribus accidit, in quibus plus terræ quàm aquæ inesse non inficieris. ALEX. Cur igitur fluitant? I. C. Ob aërem qui in illorum vacuis continetur: ea postquam sub aquis computruerunt multo concepto aëre de putredinis calore sursum enatant, hinc tumor ille ventris immensus totaque cutis inflata conspicitur, id quod ostendit flatum inter peritoneum, & omentum genitum esse. ALEX. At quomodo flatus ille gignitur? I. C. Ex humido cum à calido dissoluitur, calidum autem ex putredine, putredo verò quoniam pingue multum aqueo permistum est. ALEX. Recte ædepol. Sed non es nescius Thalem Milesium, cæterosque Græciæ Sapientes aquã solam esse primum omnium rerum principiũ decreuisse. I. C. Inuasit opinio hæc apud Græcos non ex ratione aliquã, sed ex nominis etymologia. ALEX. Quid audio? I. C. Cadmus cum in Græciam simul cum litteris non paucas voces attulisset ὅλην quoque importauit, quod vocabulum aquam priscis Syris significauit, vnde vligo, & vlua etiam apud Latinos: Quare cum idem verbum apud Siros aquam, apud Græcos materiam designaret, nihil mirum si Græcorum Philosophi aquæ naturã cum materiæ natura vnã existimarunt. ALEX. Cardanus quid censuit? I. C. Aquam esse Elementum non tamen per se necessarium. ALEX. At in tuis Physicis commentarijs perlegi sen-

Card l. 2. de subt. cap. de elem.

tentiam hanc optimè confutatam. I.C.Ita est equidem,esset enim aqua Elementum per accidens necessarium , Ergo non necessarium: Distinguntur namq; essentijs integris contingens & necessarium , sicut per se & per accidens,& ab alio,quæ apud Philosophum sunt primariæ notiones entis:at necessarium est Elementum (inquit Cardanus)non modo ad constituendum,sed etiam ad alendum cõpositum,ergo non est per accidens necessarium, Per se igitur,id quod est contra illius assertionem. ALEX. Qua ratione igitur Cardanus præfulcit sententiam suam? I.C.Hac scilicet, *quia si homines*(inquit)*sine cibo viuere possent,vt exempli gratiâ lapides,aqua non esset necessaria.* ALEX. Quinimo esset pernecessaria,non enim aqua solum nutritur homo , sed ea quoque tanquam è materia constat.I.C. Ita quidem & fatalis ipsius Cardani contradictio conuincitur his verbis.*Verum quia non solum viuere sed ali ac generari , crescereque necessarium fuit , aqua creata est*. ALEX. Quid ex hoc infers aduersus Cardanũ? I.C.Per illũ, materia generabilibus necessaria est,aqua vero constant generabilia vt ex materia,ergo aquaElementum est & necessarium. Consecutio probatur. Nam ibidem ita definit Elementum, quo res generabiles constituuntur. Ex qua definitione patet aduersus illius assertionẽ,aquam esse Elementum etiam lapidibus necessarium, cõstant enim ex ea tanquam è materia , quare è lapidibus distillatis in magna copia aqueus

humor educitur, & si viuunt, vt ille confinxit, etiam aqua indigebunt, iisdem enim nutritur viuens, quibus constat; Hinc intelligere etiam potes procul à Philosophi dignitate esse Cardanica verba (*ali nos aqua*) non enim vno nos ali scripsit Philosophorum Dux: iisdem sane alimur, quibus constamus, & constamus quibus alimur, est enim cibus substantia corporis futura, ALEX. Gaudeo te pro aquæ dignitate aduersus Cardanum dimicare, forsitan adstipularis Thaletis opinioni, aquam esse rerum omnium primum Elementum? I. C. Minimè, nam vt ratiocinationem, quam iuuenis institui, omittam (ea erat, aquam non esse Elementum, quia non est rerum principiũ, sed potius aliûs Elementi effectus, efficitur enim aqua ab aëris concretione) dico nunc mitiùs, vnum idemque esse Elementum aërem & aquam. ALEX. Vnde id probas? I. C. Heri cum essem in Balneis, aspexi aërem calidum frigidis balnei parietibus hærentem, in guttas densari, nec suum mutatorẽ habere poterat lapidis frigus apud quod pristinâ deposita forma tam citò aquæ formam indueret, quare sola dẽsitate aër & aqua mihi differre videntur, ALEX. Noua profers, sed putasne Aristotelem Thaletis opinioni, qua asserit aquam omnium rerum esse originem, aliquo modo fauisse? I. C. Ab ea tãtum abfuit vt ne fluminum quidem concesserit haberi principium.

Ar. in 2. Meteor.

DIALOGVS XVI.

De Fluuiorum Generatione.

ALEX.

TV vero quam putas Fluuiorum originem? I. C. Salomon ab Hæbreis habitus Sapientiæ Deus existimauit flumina è mari trahere initium. ALEX. Quẽdam Atheũ hesternâ die sum allocutus (ad conuertendum vt dici solet apud rusticanos Apuliæ incolas) qui demirabatur quomodo Salomon sapientissimus dijudicetur, cum omnes eius commentarij nec ratiunculæ vmbram præ se ferãt, sed populares duntaxat sententiolas, & cupidineos versiculos omni dicẽdi lepore destitutos. Ego verò illum validissimis conuici rationibus, à quibus nunc, ne longiùs digrediamur, supersedeo. Sed animi gratiâ, tum vt veritas disputando elucescat, aduersus Salomonis opinionem sic obijci posse crederem. In altissimis montium verticibus aquæ sunt, at non à mari ad tantam altitudinem posse attrahi suadet ratio à libella Aquilegorum petita: ea est, non posse aquam motu subuehi altiùs quàm sit eius superficies, vnde deriuatur; quam rationem te non negaturum spero, qui in tuis Astronomicis scripsisti, Naturam aquæ dedisse

istud priuilegium vt tantum ascendere possit quantum descendere, neque aquæ soli, sed vnicuique graui corpori, modo eius partes queant inter se cedere, & succedere, superior namque pars inferiorem cum vrget sua grauitate reflectitur in superiora motus, id quod manifestè videtur in luto à latere compresso, & in arenæ impresso vestigio, nam ob grauis corporis impositionem ascendunt à latere partes, sicut in medio descendunt. Depressionis causa est, quia ponderi partes subsistere, nequeunt: causa reflectionis & ascensionis est, ne corpus in corpus subeat & penetret. I.C. fateor propositionem hanc, qua dicitur, aquam non posse altiorem subire locum, quam sit eius superficies vnde procedit, veram esse, vbi plus resistitur ab ea portione quæ sursum pellitur, quàm prematur ab illius vi & pondere, quæ vrget. At vbi instantis vis, pondusque maius est, tũ rursum impellitur aqua ad eam superficiem quæ altior est, quam superficies à qua descendit: Hoc in organis manifestũ est quorum depressione in puteum subsilit aqua per tubos: quod igitur facit lapis, facere etiam potest aquæ magna vis, si ad illius lapidis pondus accesserit. Alex. At quæso, rem clarius explices. I.C. In mundi machina plurima aquæ pars extra locũ suum est. Alex. Concedo id quidem. I.C. Terra verò multis est peruia specubus eò in loco qui & aquæ debebatur, & à terrâ occupatus est. Alex. Ita sit,

quid tum postea? I.C. Aqua illa suum appetẽs locum, in terræ caua loca sese inducit, quæ cũ sint angusta, nec tantam maris molem capere queant, compressa ea aquæ portio ab extrinsecus incumbente mari, suasque iure loci repetente sedes, egredi, quaquâ viâ possit, quærit: hac impulsione fiũt aquarum exilitiones, quas Græci scatebras vocant, ad montium cacumina. ALEX. Audio quidem verba, sed meum non explent animum. I.C. Aliter Salomonis opinionẽ ab errore vindicare non possum. ALEX. Sed & alia mihi occurrit obiectio. I.C. Quænam illa est? ALEX. Si à mari flumina deriuarẽt, nunquam minuerentur. At minuuntur. I.C. Nego id quidem respectu primariæ illius quãtitatis, quæ à mari suppeditatur, concedo verò respectu eius quæ solutarum niuium aut ingruentium imbrium fit accessione. ALEX. At multi penitus deficiunt Torrentes. I.C. Ijs nullus à mari suggeritur commeatus, sed à pluuijs solis generantur, quarum frequentiâ maxima in Æthiopibus Abyssinis. ALEX. Profectò dicere audeo vix tot fluminibus mare sufficere, nam & maxima aquæ pars calore Solis absumitur. I.C. Si quotidianis absumptionibus maxima pars à Sole aboleretur, iam esset mare cum suis etiam fluminibus absumptum. ALEX. At quomodo sufficit mare fluminibus. I.C. Mutua gratiæ depensione, accipit enim quod dat, quod autem à Solis vi exhauritur ab aere mutato reponitur. ALEX. Addam hoc vnum si placet. I.C. Imò mille si velis. ALEX. Si

à mari fluuijs communicaretur aqua, non ita pura esset ab omni salsedine. I.C. Hoc pernego: Facile enim est aquæ exuere salsedinem, quæ illi accidens est, idque terrestre, Percolatur ergo. ALEX. At quæso absque argumenti cauillationibus dic ingenuè quid sentis. I.C. Sic faciam. Detestans in obsequium Christianæ fidei opinionem de mundi æternitate, dicerem sic, si mundus habuit initium, non è mari flumina, sed potius è fluuijs mare genitum: fluuios autem congenitos ex aeris concretione, ex imbribus scilicet & liquefactis niuibus: Imbres autẽ duobus modis, seu potiùs duobus locis cõtingunt, sub terra, & supra terram. Qui sub terra est aer transmutatur in aquam vnde fiunt fontes, à fontibus aquæ emanant, atque pro modo magnitudine, alueorũque capacitate & fluuios & lacus efficiunt, tum singulares, tum alios vicissim, vt impetus, leuitas, sors, locus tulit prodeũtes. ALEX. Aere consumpto, seu potiùs in aquam transformato eueniret vacuum: nam decuplum aiunt ampliorem esse aerem ad aquæ certam magnitudinem conficiendam. I. C. Per terræ forrmina ex aere superiori pars quædam eò descendit, & subit in locum alterius iam in imbres transformati. Qui verò supra terram exalant vapores, coguntur in pluuias, vel si ob illorum tenuitatem, & aeris crassitiẽ cogi nequeũt, in niues conuertuntur, atque ex his generatur & procedit augmentũ fluuiorum, qui vbi vasti sunt, & plures in vnũ

coeunt, vastissimũ acquirunt imperium, quod mare postea dicitur: Salsescit autem maris aqua, non autem fluuiorum ob rationes quas dicemus. ALEX. Modo de illis te interrogabo. Sed nimis duram sententiã aliquo pacto delinias. I. C. O me beatum si tam facili methodo possem aurum conficere prout opiniones eiusmodi conciliare. ALEX. Etiam Philosophi aurum exoptant? I. C. Aurum est summum ens, à quo cætera dependent entia: sanè pecuniæ respõdent omnia, vt est in Hæbreorum adagijs. Dicamus igitur, maris aquam velut in spongiá sub terra vbique exudare, atque ibidẽ percolari, & iccirco dulcescere: mox à Solis vi ad terræ superficiem eius vapores protrahuntur, atque ibidem ab aere frigido ambiente coguntur in imbres, è quibus riuuli nascuntur, hi opulenter ad humiliora loca deffluẽtes, fluuios efficiunt: cumque vaporum materia non desit, à mari namque abundè subministratur, & exhalationis causa præsto sit, terræ scilicet humiditas, & Solis calor, nec non concretionis efficiens, frigus, inquam, quod in montium cacumine fere semper adest, hinc fit, vt absque vlla intermissione fluuiorum cursus perpetuetur.

DIALOGVS XVII.

De Nili incremento.

ALEX.

AT nonne miraculi vicem obtinet quod annuâ experientia videmus manifestum? Nilo scilicet incrementum cõtingere eo præsertim tempore quo cæteris fluuijs imminutio euenire consueuit. I.C. Ad niuium dissolutionem, exundationisque causam referunt aliqui. ALEX. Scio. I.C. Inscitissimè tamen, nullæ enim sunt in Æthiopia niues. ALEX. Quid igitur? an à pluuijs rationem accersemus? I.C. Negant recentiores, cum enim solstitio nostro imbres sub Capricorno incipiãt abundare, ab illis pluuijs deberet tunc temporis capere incrementum, at non capit nisi post Idus Iunias. ALEX. Rectè. I.C. An cũ Cardano asseremus aquis à Sole haustis imbres gigni, sustinerique tandiu, quoad ille prouenìat ad solstitium, vbi vero abire incipiat, illos quasi è phiala effundat? ALEX. Nugæ. I.C. Ita quidem. Nam quomodo haurit vel absens, vel abiens à Capricorno; quinimò eius presentiâ scribit idem Cardanus ibi æstatem fieri, aeremque siccari, qua de causa tum imbres nulli fiunt: eius autem verba hæc sunt. *Cum reuersus sit &*

ad

ad æquinoctium autumnale processerit, imbres iterum, & aquas haurit è terra, & fluminibus, sed non demittit ad Nili fontes, quoniam eò sol vadit æstatemque faciens, & siccans aërem. Quare igitur cum abscedit à Cancro; non suspendit aquas haustas ab Ægypto? quæ per similes pluuias, per brumam in eas terras demittantur, quæ enim bruma nobis, solstitium illis est, & eadem situs proportio fontium sub Capricorno & sub Cancro. ALEX. At quomodo fieri potest, vt à Sole sublatæ aquæ stato trium mensium spatio in nubibus suspendantur, quę postea perpetuis totidem diebus in pluuias demittendæ sint; I.C. Nullo, vt arbitror, sed prosequamur. An asseremus trahi tum plurimùm ab ipso Sole, atque idcirco multos imbres eo tempore concreari, ac proinde Nilum excrescere? ALEX. Istud non arridet. I.C. Nec mihi, haud enim pluit vel Ægypto vel Syenitis, neque tunc, nque alias, sed in Trogloditica, circiter decem partibus à Cancri circulo, idque non continenter, nec diu, sed velut apud nos æstatis tempore, cum repentinę exoriuntur tempestates: Cęterum is humor neutiquam cum Nilo communicatur, neque enim sunt perennes fluuij, sed non multum post complectionem ab humo aridâ epotantur, & compertum est nullos in Nilum subire fluuios: licet enim Ptolemæus duos excipiat, Astapum, qui Æthiopum linguâ aquam tenebrarum significat, & Astaboram quem à Coloâ palude productum nominat, Plinius tamen, Solinus, & Cardanus, Nilum vnum cum ijs putant.

ALEX. Legi equidem I. C. An cum Alexandro Aphrod. Ethesijs vẽtis causam huius incrementi adscribemus? eos enim asserit illis regionibus esse pluuios, sicut Austri nobis sunt imbriferi: Quamobrem arbitratus est non ibi colligi nubes, sed eò hinc impelli è quibus imbres fiant. ALEX. Muliercułæ insomnium, non philosophi ratiocinatio mihi videtur. I. C. Ita profectò. Nã increscere cũ incipiat Nilus à die decima quintâ Calen. Iulias in Ægypto, necesse est aliquot ante dies in superiori pluisse regione: At non solum ante eum diem non flant Etesiæ, sed ne illo quidem. Aristoteles cum post solstitium spirare prodidisset, diem non designauit. Sed Plinius è grauissimis authoribus præscripsit, quare in libro duodecimo inquit, decimo octauo Calendas Augusti Etesiarum prodromi flatus incipiunt, qui cũ quadraginta dies spirent, quinto Calendas Septembris desinere bene scripsit, & si parum sibi constans mox Etesiarum finem deduxerit ad sextum decimum Calẽdas Octobris. In secundo libro ait pridie nonas Iulias prodromos incipere, quippe dies octo ante caniculæ exortum, qui dies est quintus decimus ad Calendas Augusti & flare quadraginta dies? Igitur si Etesiarum flatibus conflarentur nubes, atque ex ijs imbres crearentur, toto penè plueret Augusto mense, quo tamen tempore minuitur Nilus. ALEX. Proh dij immortales quot pellegisti authores. I. C. An asseremus quo tẽpore Sol nobis æstatẽ efficit, in loco vbi Nilus exoritur, hyemẽ incipere, vt Strabo demonstrat, qua-

re fiunt Solis absentia largiores imbres, atque diuturniores, quemadmodum & in nostro Cœlo, cum abest author siccitatis: turgida igitur aquarum tempestas complet amnis alueum superiorem præsentia Solis antea extenuatum, isque vbi eas ampliùs capere nequit præter iustã copiam affluentes, secundo cursu in deuexa Ægypti loca dimittit. Statam vero esse atque ordinariam inundationem mirum non est, cum certus etiam sit dies æstus sub Canicula, Nimbi sub Orione, pluuiæ sub succulis. ALEX. Perpulchrè. I. C. An asseremus cum Scaligero, in Atlante & Lybiæ montibus esse niues, è quarum liquefactione Nilus augetur; At quomodo in ipsa hyemis summa vi niues ibi colliquescunt? I. C. A pluuijs dicere cogimur. Quid si alicui Syderi Nili incrementum adscriberemus? *Sane* pro monstro non habebunt sapientes, qui non sunt nescij in Plenilunijs maris aquas mirum in modum intumescere.

DIALOG. XVIII.

De Maris Æternitate.

ALEX.

VErumenimuerò cum fluuij omnes, atque etiam ipse fluuiorum Rex Eridanus.

In mare deducant fessas erroribus vndas.

Vt inquit Sulmonensis Poëta, sequamur eos ad mare vsque & videamus, An Mare sit æternum? I. C. Cardanus affirmat. ALEX. Quam ob causam? I. C. *Quamquàm* (inquit) *hoc mare loco quo nunc iacet, æternum non sit, cum tamen è mari mare fiat æternum esse ac fuisse necessarium est continuitate aquarum.* ALEX. Perridicula ratiuncula. I. C. Etiam perplebeio, non modo subtilissimo, qualem se profitetur, philosopho indigna. Æternum vult esse mare aquarum, non loci cōtinuatione: quomodo fieri potest, vt locatum sit continuum, locus non item. Ego sanè credebam, si aquæ sint continuæ, earum item locum vnum iccirco esse quia illæ aquæ vna sint aqua: neque continuitas facit æternitatem, esset enim omne vnum, & continuum æternum, ergo & lapis: nam quod ait, è mari mare fieri, haud satis est, nam quærendum restat, illud, ex quo fit hoc, à quo fiat? Neque diuisio tollet æternitatem: Ma-

Card. lib. de subt. c. de elẽ. fol. 166.

teria namque prima in tot portiũculas dissecta, non iccirco ęternitatem amittit? Qua propter mare etiam si diuisum in partes esset, non ideo tamen fieret non ęternum. Alex. Habesne aliã Cardani rationem? I. C. Maximè Alex. Quænam illa est? I. C. *Si mare* (inquit Cardanus) *initium habuit, ab initio dulce, aut salsum erat: non salsum fuit, cum tantum salis non potuerit immisceri, vt aquam corrumperet, sincera enim omnia facta esse existimandum est, nam quæ nascuntur, vt lacus & flumina sapore carent. Quod si sapore caruit ab initio, successu vero temporis factum est salsum, salsugo ætates habet, at non habet, neq; enim nunc salsius est quã olim fuit, nunquã igitur mare factũ est, itaque neq; mundus.* Alex. Argumentum hoc sane validissimum est. I. C. imò nihil concludit prorsus aduersus eum qui dixerit mare fuisse ab initio salsum, imbecillis enim est ratio, quam obijcit, omnia scilicet pura facta esse ab initio, nam si extitit salsitas inter alia entia, alicui enti infuisse necesse est. Si qua terra salsa fuit tunc, quod Cardanus non negat, nonne potuit & aqua esse? multo minus militat argumentum aduersus nos, qui credimus mare fuisse dulce cum fieret, nam & dulce nunc etiã in imo est, vt aiunt, à tempore igitur additam salsedinem propter tenuiorum partium ablationem, & habere etiam ætatem (vt eius barbaris vocibus vtar) salsuginem non inficiamur, ergo salsedo intenditur, concedo, aliam enim alijs in locis salsedinem esse manifestum est, ergo & temporibus alijs aliam esse par ratio est. Accidẽs enim est non à forma, sed ab accidenti mistio-

Lemn. l. 3. de occultis nat. mir. fol. 320.

ne. ALEX. Legi apud Lemnium, in Zelandia Oceani aquas salsescere magis in æstate, quod vbique fieri credo, ex vstione enim fit salsitas, eius igitur accessu intendi par est. Quid tu igitur sentis? I. C. Ingenue fateor sola mihi religione persuaderi, mare habiturum esse finem. ALEX. Cur ita? I.C. Nam à quâ tandem vi tanta aquarum moles aboleri poterit? ALEX. à Sole. I. C. nequaquam, reddit enim quod accipit, quare & si a mari aquas exhauriat, iterum mutua gratiæ depensione eidem restituit. ALEX. Forsitan ab igne? I.C. Sanè non à nostrati, hic enim perpusillus est, & non dubito quin omnes foci, qui sint supra terram ab vnius fluuij aquis extingui possint; neque à fabuloso ignis Elemento, non enim à suo loco, qui sursum esse dicitur, dimouebitur, aqua igitur quæ ima petit, ab hoste illo tuta erit. ALEX. At quæso dilucidiùs tuam, si lubet, explices opinionem. I. C. Libentissimè. An & a quibus mare initium habuerit (si mundi inchoationem prædicare fas est Philosopho) libenter responderem, à vastissimis Diluuiorũ tẽpestatibus, nec non a quotidianis imbrium & fluuiorum accessibus, quare & congregationes aquarum maria appellauit diuinus Hebræorum Philosophus; finditur terra exhalatione, quare facto terræ motu cõtingit fontes & fluuios qui subtus terrã sunt coniugari ALEX. At quomodo ex pluuialibus & fluuialibus aquis mare sumpsit exordium, si ex eis nunc non accipit incrementum. I. C. Hoc à me negatur, semper enim fit incrementũ nouę substantię appositione. ALEX.

At ſi noua ſubſtantia à fluuijs & ab imbribus quotidie apponitur, cur in infinitum non excreſcit, & ſupra terram exundat? I. C. Quia per ſubterraneos commeatus reddit fluminibus quod ex ijs accipit, quare grata reciprocatione aquarum fit augmentum & diminutio: quæ verò à pluuijs aquarum copia ſuggeritur, à Solis vi exhauritur, non tamẽ propterea mare fit pauperius, nam iterum illi à ſole reſtituitur eadem ferè copia, neque ideo diteſcit, quia denuò abſumitur. In exhalationibus etiam permagnum aqua patitur detrimentum, vt cum pluuiarum acceſſu poſſit cõpenſari, aqua enim in aerẽ trãſmutatur, cuius quãtitas haud tota in aquam cõuertitur, nec quæ conuertitur pars integra in mare decidit, ſed terrã epotat. ALEX. Arridet mihi profectò hæc ſententia. Sed quæſo, maris ſalſedinis cauſam inueſtigemus. I. C. Vt lubet.

DIALOG. XIX.

De Maris Salſedine.

ALEX.

Quâ de cauſâ igitur mare ſalſum eſt? I. C. Ariſtoteles ſalſedinis cauſam intellexit ſiccæ exhalationis materiam, quæ à terra eſt, quia in ijs quæ natura fiunt aut generantur idem contigit, quod in exuſtionibus, *Ar. in 2 meteor.*

à quibus ille salsedinem prouenire multis probat exemplis. ALEX. Legi equidem. I. C. Quibus addã ego in calidis animalibus excremẽta omnia salsa, quare salsam capri lacrymam ob calorem scripsit Plutarchus. Et Hippocrates asserit cerebrum concalescens salsuginosum humorem effundere qui aluum moueat. ALEX. At quomodo fit ab exustione salsum; I. C. Aristoteles non edocet, neque ego tibi nunc debitũ exoluam, sed bona fide intereã pignori tibi relinquã ingenui candidique animi verbum hoc; nescio ALEX. Chimici asserunt, omnia calcinata & exusta propius ad salis naturam approximare; quod quidem cum sit terrestre necesse est in dissolutione compositi cæteris leuioribus partibus vi ignis absumptis in cineribus remanere exustis I. C. Nugæ: si ab hac difficultate quis nos melius explicuerit, nõ recuso quin Philosophorum Deus deueneretur. Quare demiror nostrates Philosophos, qui ex humana rerum cognitione animum prædicant immortalem, cum non aduertant leuissimæ rei cognitionem intellectus nostri esse metam. ALEX. Sed si verè ab exustione salsedo est, maris aqua igitur quò plus concoquitur, eo plus acquirit salsedinis, consequens autem est falsum, ergo & antecedens. Minor probatur hac ratione, nam prope litus calidior aqua maris, & adustior, nimirũ ex reflexione radiorũ à propinquitate fũdi, dulcior tamen est vt ipse fatetur Aristoteles. I. C. Responsio facilis, prope litus à terra percolatur, atque ideo salsedinis partem amit-

Hipp. l. de Morbis. 53.

Ar. in 23. sect. probl. 31.

tit. Quinimo ex aquarum dulcium concursu ad litora, aliquem imbibit mare dulcorem quo falsedo eo loci lenitur. Sed subtilius respondeamus, litoralem aquam scilicet frequentius moueri, & per consequens Solares radios debiliores excipere: Nam ipsemet quærit Philosophus stantes in Sole quare plus calefiant quam si mouerentur: motu vero illam calefieri dicimus, atterit enim aerem, quare consequitur quod euenit ex attritione, calorem scilicet vt supra diximus, & nunc alio cõprobemus exemplo. ALEX. Quale illud est? I. C. Ne potu aquæ frigidæ torminibus tentẽtur equi, vbi eos non licet ad fluuium deducere, ad eum vsum famuli è puteis hauriũt aquam, & multis agitationibus versant in girum, atque etiam verberant, ad hunc enim modum & aerem cõcipit, qui motu attenuatur, & ob id calida fit. Cum igitur litoralis aqua frequenti cursu incalescat, aerescit etiam, videmus enim aquam diu coctam ab igne attenuari & diminui, eousque quoad tota abeat, coctione igitur aerescit, id probatur, quia spumescit, dulcescit igitur, aer enim in mistorum compositione dulcedinem affert. ALEX. Tu quid Aristoteli obijceres? I. C. Ipse asserit maris aquã decoctam & refrigeratam vsui esse ad potandum, quia terreum partim subsidet, partim attenuatur, amittit igitur aqua ex coctione salsedinem per Aristotele: Cum ergo scribat ex coctione fieri salsam, sibi ipsi pugnantia dicere videtur. Praeterea asserit maris aquam fieri motu leuiorem, at motu incalescit, ergo à calefactione etiam leuitas

Ar. in 36. q. sect. 5.

Arist. sect. 33. probl. 31.

Non igitur ab eadem caloris causa salsedo, quæ quidem quid graue est, quod leuitati opponitur, quare & alibi decreuit calefactam aquam celeriùs gelascere, fit ergo tenuior, non igitur salsior, iuxta primæuam illius assertionem. Confirmatur authoritate Hipp. qui ita scribit, sunt aquæ salsæ crudæ, & coqui non possunt, quare venter magis ab ipsis astringitur quam eliquatur. ALEX. Ego vero sic Aristoteli obijcerem, si coctione maris aqua salcescit, cur per annum integrum positam in pelui aquam pluuiam ad solem nũquam euasisse salsam compertum est? quinimo neque igni excoctam ad consumptionem vsque vltimam salis quicquam reliquisse? I.C. Id non contigit in lebetis aqua ab igne feruefacta, ob aquæ exiguitatem, quæ non crassescit, sed resoluitur, paucissimæ enim terræ partes, quare exuri non possunt, at in culinis diutius excocta iuscula salsa fiunt. ALEX. Cur igitur non saliescunt lacus? I.C. Impedimento est dulcis aquæ successio, quâ semper exustio prohibetur. ALEX. At cur in paludibus nõ est salsa? I.C. Quia stans putrescit aqua, si enim non putresceret, sicuti mare Caspium, Spauta, Galilæum, salsa fieret: itaq; in palustribus locis amara fit quia vltra modum aduritur. ALEX. At cur pluuia non sẽtitur salsa, & in mari salsa fit? I.C. An quia nõ est exusta sicca illa euaporationis materia, haud sane satis nacta tẽporis, & rarior, & in regione frigidiore: quinimo subsalsas aquas à nimbis aliquando demissas legimus, nec mirum, nam si indidem sulphur erumpit (sanè à fulmine ad-

Ar. in 1. met.

Hipp. in l. de aere, aqua, & loc. in 16.

uſtis ſulphureus odor emanat) cur non & ſal? Sulphuris ſanè ſaporem ad ſalſuginem vergere quiſque percipit. ALEX. De maris autem ſalſedine Cardanus quid cenſuit. I. C. In ampliſſimo terræ gremio ſalis montes non paucos contineri, ſale igitur diſſoluto, adiuuante præcipuè quotidiano illo æſtu ſalſas ibi fieri pluuias aquas. ALEX. Et coactus fuit hic tuus Præceptor, ni fallor, hanc excogitare fabellam: Nam cum montes illos faciat æternos cùm maris ſalſitate, dare item eis æternitatis cauſam neceſſariò debebat. I. C. At non aduertit, ſalem plurimum perpuſillâ aquá diſſolui. Vnde igitur enaſcentur æterni montes illi atque inſtaurabiles, quos tanta moles aquarum non abſumat? vnde reponetur tantundem quantum contabuerit? Si ab aquâ maris ſaxei montes exeduntur, quantò magis in maris ſinum ex ęterno tempore fluentes tot tantęque humoris illius colluuiones montem illum ſalis euertent? Non nego ſal cogi poſſe in lapides, & montes, nam vltra experimentum, in litore maris iuxta Tumbez, prouinciam torridæ Auſtralis & in Calabriâ inueniuntur, id etiam ratio ſuadet, cum enim valde terreum fuerit & pingue, aqua refluente ſenſim in lapides ab aëris calore cògitur. Sed nego montes illos ęternos dici poſſe, cum ab aquâ facilè diſſolui queant. ALEX. Tu verò quid ſentis de ſalſedine illâ; I. C. An dicemus nos ex aduſta terræ portione aliqua ſubſalſas fieri pluuias aquas in eam cadentes, atque iccirco mare ſalſum creda-

Card. l. ſecundo de ſubt. ca. de elem.

mus? ALEX. Quam rationem affers? I. C. Experimentum suppeditat, videmus enim aquam à cinere percolatam subsalsam fieri. Præterea putei complures salsi sunt, non quod omnes è mari salsedinem adipiscantur: Nam in Africæ litoribus prope mare dulces sunt, Meridionali vero salsi, cum tamen à Ligustico mari longissimè distent, sed ab aridâ exustâque parte aliquâ, quæ aquis fit obuia, quare & prope sulphureos fontes putei salsi omnes effodiuntur. ALEX. Occasionem mihi subministras inquirendi, Cur in mari dulces inueniuntur fontes, vt in Pliniana historiâ scriptum est, & in ora Ligustica circumsessus marinis aquis fons scatet dulcis, in Scotia etiam iuxta Edimburgum ab oriente, in mari fons aquæ dulcis exoritur quam bibere solebat Cardanus cum ibi immorabatur, vt ipse refert I. C. Quemadmodum in terra de rupibus tanquam è fistulis emicant aliqui fontes, ita ex illis pari impetu exilire possunt aliqui ad maris superficiem eiusmodi subiectis saxis, quorũ fidem faciunt scopuli. Sicut igitur in Insulis ijsque perpusillis, sic in ijs quę teguntur mari, par enim ratio. An maritimam aquam salsedinem exuere dicemus à percolatione? pertransiens enim inter arenam & cõmissa corpuscula per angusta terræ foramina discludatur pingue necesse est, & salsum igitur quod in pingui residet, nam & oleum cui maxima inest pinguedo ex sale resudat. Præterea saxa & arena dulcia cum sint, ex se ipsis addunt marinis aquis qualitates, quibus illa salis dometur feritas. Plinius refert è lana appensa

Card. l. 1. de rar. var. c. 6. fol. 46.

lateribus nauigiorum dulcem humorem exprimi,& mare argillosa terra percolatum amittere salsuginem, vt de cereo vasculo nihil dicam. ALEX. Res sanè miranda mihi videtur hæc separatio. I.C. Minimè vero est, nam si separatur ab aqua vinũ per transmissionem eius panni quod filtrum vocant, vt nunc hederæ lignum subticeam, quæ Plinius à Catone accepit, Cur non à salsedine dulcis humor separabitur, dum per abditos subterraneosque recessus diuagatur? ALEX. Cur autem superficiales maris aquæ salsæ sunt, interiores vero ac subteriores dulces, vt vulgo canunt nautæ, cum tamem in fundo salsiores esse deberent, propter salis grauitatem, I. C. An quia ex philosophorũ opinione salsugo propter Solis vim aquæ contigit, quæ igitur aqua maximè semota fuerit ab ea vi, maximè videtur ab ipsa distare salsugine: an quia dulce est in leui, leue autem à Sole absumitur? Obiectio illa à salis grauitate deducta generaliter vera non est, in aqua sanè immota, quam Sol non carpit, residet sal sicuti fæx, at in mari motus confundit, Sol superficiem depopulatur. ALEX. Perdoctè sanè.

DIALOGVS XII.

De *Aquarum Strepitu.*

ALEX.

Card. l. 2. de ſubt. ca. de elem. fol. 174.

QVidnam efficit aquarum ſtrepitum; I. C. Cardanus putauit illum efficere exitum cum impetu ex anguſtis locis. ALEX. Haud aſſentior. I. C. Nec ego, non enim exitus eſt ſoni materia, ſed aqua: non forma, quippe non ponitur in definitione ſtrepitus, ſed cõtractio ſcilicet aëris: non efficiens, ſed eliſio. Eliſio namque ſoni cauſa efficiens eſt, vt patet in grãdine. ALEX. Aſſignauit ille aliam (ni fallor ſtrepitus cauſam, caſum ſcilicet ab alto. I. C. Haud recte tamen, nam & nix ab alto nihilominus abſque ſtrepitu decidit. ALEX. Sed illud inueſtigatione dignum eſt, Cur caſus maiorem faciat eliſionem, I. C. Quia ex corporum diſtãtia magnus fit motus in pauco tempore. Quapropter graue adhuc appetens deſcenſum, in ipſa offenſione confligit. Quod ſi eſt debilius eo quod obijcitur, aut ſpargitur velut aqua, aut frangitur velut teſta. ALEX. Quare frãgitur, I. C. Quia inter duo corpora interceptus aër reſilit, cum tam citò ad latera ſe ſe ſubtrahere non potuit. ALEX. At cur vitrea pila rumpitur? I. C. Nõ aëre intercepto, ſed repulſis introrſum partibus

à ſolidiore corpore, quę cum rigidiores ſint, quàm vt flecti, molliores quàm vt reſiſtere queant, à ſe inuicem diſſiliunt: Aquæ vero colliſio fit aut cum alijs aut cum ſeipſa cum aliis vbi vel ex alto cadens colliditur, vel cũ ſubiectis ſaxis vel cũ aquâ aliâ: cũ ſeipſâ, quibus in locis ob anguſtias colluctatur: vtroque modo cum ſeipſam frangit, veluti quando ſilicibus obiectis, & pugnat & vrget & tundit, & retunditur: quemadmodum contra, non caſu, quemadmodum ſomniabat Cardanus, ſed ex inferiore loco imminentes impetens adlatrat ſcopulos.

An dicemus nos ſubtilius, non aquarum ſed aëris eſſe ſtrepitum illũ, non enim ſonus eſt in tintinnabulo, ſed in aëre à tintinnabulo: quare non magis erit ſtrepitus in aquâ ipſâ, quàm in ſaxorum anguſtijs, ſed vt à ſaxis eliſis in aëre, ſic & in aëre ab aquâ.

DIALOG. XXI.

De Aquarum Motu.

ALEX.

VErum enimuero non ſolùm de ſtrepitu, ſed etiam de aquarum motu inquiramus. Cur igitur datus eſt aquę motus; I. C. *Quia* inquit Cardanus, *periculum non leue erat ne ab aëre ac ſolis radijs nimium conſumeretur*. ALEX. No-

Card. l. 2. de ſubt. ca. de elem. fol. 160.

ctu igitur non necesse fuit motum fieri. I. C. Quinimo in Lunæ quadris quiescit, quo tempore calidior Luna cum sit quàm in nouilunio, magis absumere poterit stātes aquas. Addam, sub Caniculâ æstu rapidissimo nequaquam propterea magis moueri aquam, moueretur autem aut moueri deberet, si vera esset Cardani ratio de aquæ depopulatione, quæ ab aëre fieret, nisi illa moueretur. Sed longe aliter sentiunt Sapientes, tantum enim abest, vt motus seruare possit mare ab Aëris absumente vi, vt eam potius augeat ad absumendum, motu enim attenuatur aqua, ergo vapescit magis. ALEX. Subtilissimè, sed perge. I. C. Arbitrantur alij datum esse aquæ motum, ad inhibendam putrefactionem. ALEX. Ita est. I. C. Ego nihilominus non assentior, cum & aqua maris immota non cōputrescat, imo & in sal condēsatur, quod putredinem arcet. ALEX. Sed cur aquæ motæ non corrumpūtur? I. C. Quia putrefiūt ab externo calore, quem non suscipiunt propter aliam atque aliam aëris mutationē. ALEX. Sed quæso aliorum etiam referas sententias. I. C. Alij, à Dei prouidentiâ aquis motum inditū esse credunt, vt terrarū tractus pererrantes pluribus mortalibus vsui essent, cōmunicata cōmoditate diuersis locis propter aliā atque aliā anfractuum appulsionem. ALEX. At reclamant Athei, alienum esse à prouidentiæ institutis diuitibus non egenis elemosinas elargiri, ita à diuino regimine abhorrere videtur, vt fluuij defluāt ad mare aquarum non indigum, sed superabundans,

dans: Quinimo multoties in nauigãtium perniciem, ianè Garigliani fluuij prope Gaetam ingressus ad mare, bis mihi cõminatus est necem. Et è contra incolas extraundando, tot non inuisunt regiones, quo fit vt agri sterilescant, atque inde famis ac pestis detrimentum contingat hominibus, quos ad Dei imaginem factos esse diuinus Hebræorum Philosophus perhibet. I.C. Diluta est à nobis alibi hæc Athæorum obiectiuncula. Alex. Legi equidem & eâ vsus sum ad Athæorum audaciam comprimendam. I.C. Alij asserunt, moueri aquas à duplici motore: primus est internus, propria scilicet forma, grauitas enim decurrere facit fluuios, quia extra locum suum sunt, nec possunt illi non descendere. Alter externus est, cum enim maris motus ex contrarijs motibus compositus sit, ipseque in se diuersus, atque etiam cessans certis statisque temporibus, si esset ab intimo principio, iam mare animal esset, vt Agrippa somniauit, sola nãque anima, quanquã ne ea quidẽ omnis, multiplex motor est: at animal nõ est, extrinsec⁹ igitur ei accidit motus aliquis. Alex. At quis erit maris extern⁹ motor? I.C. Nobilissimũ aliquod Sydus. Alex. At quomodo sidus mouere potest aquas, si nõ tangit eas? I.C. At si motus in ferro fit à magnete sine contactu; quare non sequetur mare corpus nobilissimi Syderis? Al. Sed quale est hoc Sydus? I.C. Solẽ esse cẽsuit Card. *Mare Nortiçũ*, inquit, *quod iuxta æquinoctij circulum est, è Boreali latere iuxta Pariã celerrime ex Oriente in Occidẽtem*

Card. l. 2. de subt. c. de Elemẽt. f. 168.

fertur, quoniam Sol ibi robustior aquas agit. ALEX. Multi collaudant hanc opinionē. I. C. Ego minimè. Nam si maritimæ aquæ à Sole ducerentur, sub eius cursu id manifestè deprehēderetur, at nihilominus ad Solē nō intumescūt, ad Solis quidem perpendiculum nihilo validiores aut tumidiores, quinimò sub Torridâ vbi solares radij sunt præpotentiores, multis in locis minus celeres aquæ sunt: Ad Boream verò vbi Solis potestas est imbecillior, vehemētissimæ velut ad Terrā Laboratoris. Præterea si à Sole agerentur aquæ, Æstuum intermissio nunquam fieret, haud enim patitur à Lunâ Sol, at in Lunæ quadris cessat cursus. ALEX. Tuæ subscribo sententiæ. Sed quem statuemus aquarum Rectorem? I. C. Lunam. ALEX. Cur ita censes? I. C. Quia eius cursum mare sequitur. ALEX. At quomodo id probas? I. C. Quia silēti atque obscura Lunâ, eaque vel medio orbe dissecta vel in cornua falcata, Oceanus quiescit: vbi verò cum Sole cōgreditur, atque innouari incipit, aut in orbem circunducta plena conspicitur, maximi excitantur æstus, fluctusque attollūtur in immensum. AL. Id sane video, sed quomodo id fiat percipere nequeo. I. C. quæ te interturbat ratio? ALEX. hæc potissimùm. Nam sic inquio, Quodcumque fit maius, habet extremorum intercapedinem fusiorem, hęc autem vel rarefactione, vel nouæ substantiæ appositione contingit, non est autem tunc noua aquarum generatio, multominus rarefactionem tu dixeris, quomodo igitur augentur?. I. C. Suspendun-

tur, tanquam ferrum à magnete, illo tempore quo lunaris ſyderis vires in maximo lumine continentur, cum vel Soli ex aduerſo oppoſita impletur, vel vbi primum illi coniungitur. Alex. At ſi à Luna maris aquæ ducuntur, cur Oceani recurſus duodecima ſemper hora terminatur, ita vt ſex horis currat, totidemque recurrat? I.C. Quia lunæ corpus diurno motu fertur in Occidentem, eodem quoque ſuum ducem ſecutus Oceanus decurrit: Quamobrē quandiu nullus obex eſt, ſequitur: vbi litorum obiectu retunditur, inde regredi cogitur; Sex horas igitur ſecum luna ducit aquas, totidem maris ponderi datæ ſunt, vt à terra repulſum ſeipſum premendo rurſus in priores ſedes incumberet. Alex. At cur ſex horas ducitur à luna mare? I.C. Cum ſemper extet Cœli dimidium, in duos id quadrantes diuidi neceſſe eſt propter Cœli medium, quod ab vtroque finitoris puncto æqualitater diſtat vtrinque: Nullæ enim aliæ duæ lineæ ad vllum vnum punctum perduci poſſunt inter ſe æquales, quare neceſſario diuiditur ibi in duas partes hemiſpherium, atque hæc eſt cauſa quare & ad ipſum & ab ipſo ſcilicet verticali fiant mutationes: Cæteræ namque lineæ omnes ad quoduis punctum à finitore ductæ, inæquales inter ſe ſunt, Si enim aqua ſequitur, ſequetur vſque ad ſummum; ſummum autem Cœli medium, incipit autem à finitiore & in ipſo deſinit, quia hoc tanto Cœlo tegitur terræ tanta pars quantam terminat: quiaqua

versum visus. At totum semicœlium duodecim cum sit horarum, ad eius dimidium Oceani motus temporis illius dimidium explebit ob incrementum, ad summum illud pũctum, alterum dimidium exhauriet ad declinationem. ALEX. Subtilissimè quidem & supra humanum captum, sed duæ mihi occurrunt obiectiones. I. C. Proponas quascunque libuerit, nam illico satisfaciam. ALEX. Si in Oceano æstus esset à Lunæ motu, idem esse deberet in Mediterraneo mari, consequens est falsum, ergo & antecedens. I. C. Maioris sequela falsa est; Nam Luna non solum ab Oriente secum auehit aquas, sed etiam ab Occidente in Mediterraneum euocat, atque ad se trahit, quarum aduentitiarum concursu fiat cumulus ad eius perpendiculum, id quod non fit in Oceano, quia aperto liberoque campo perfruitur, in Mediterraneo nõ item: Quando enim ex Herculeis angustijs efferre sese nequit, instantis maris impulsioni non cedit, sed suapte natura ad sidus conuersa subit aqua. ALEX. Non hoc probabile duxerim. I.C. Imo experimento comprobatur manifesto, nam omnibus innotescit, Mediterranei fluxum secundum Africæ littora penè perpetuum esse. ALEX. At in Gallico & Ligustico mari nullus adest æstus. I.C. Est quidem, non tamen ita facilè perspicitur, prout in Africanis littoribus, hæc enim sunt nostratibus depressiora, ad ea igitur Luna cum sese infert, fit ad Lunam motus ad Orientem, ad eun-

dem pariter cum abſcedit. ALEX. Sed iterum quæro cur in Liguſtico, Gallico & Hiſpanico litore nulla apparet accretio, neque decretio? I.C. Imo apparet, nam anno præterito in Maſſilienſi portu tantillum elationis ac depreſſionis animaduertimus: Obſcuriſſima ea eſt ptopter ęquoris latiſſimam effuſionem, à Thirreno ad Gibraltar; hinc in Adriatico eſt manifeſta propter anguſtias. ALEX. Quæſo hæc aliquo exemplo reddas faciliora. I.C. Libenter. Sit Orientis punctum Venetianis, ad Meridianum Calicut. Orientis circulus Burdegalæ viſum finiat circiter Hormi Inſulam. Sex horis igitur cum peruenit à Calicut ad Meridiem Venetiarum, qui ſit exempli gratia Tripolis, tum erit perfectum Venetijs incrementum, quare deſcendet mare, non ſolum per offenſionem litorum, atque reiectionem, ſed quia ſequetur Amaſiam ſuam Lunam ſcilicet, hoc differt ab Oceani motu. Oceanus autem nihilo ſeciùs ab Oriente fertur in Occidentem, ſub torrida, quare ad Luſitana litora, ad Aremorica, ad Liuonica motus coactus eſt Vrſam verſus: In ſinu verò Arctico ſecundum litora, quæ Scithiam claudunt, omninò motus eſt Orientem verſus. ALEX. At cur tam varius eſt in Oceano æſtus? I.C. Quia non eodem loco ſemper Luna oritur, iccirco æſtus ab illius curſûs inconſtantiâ variatur in Oceano. ALEX. His profecto acquieſcerem, ſed quia Burdegalæ mentionem feciſti, quæſo diſſoluas difficillimam

quæstionem illam, cur in Oceano Burdegalensi Garumna septem horis intumescat, & quinque detumescat. Hoc opus, hic labor. I.C. Quia Atlanticus Oceanus accedente Luna ad Meridiem Venetiarum, in Articos sinus sese insinuat, qua protrusione abit aqua sursum versus à litoribus Aremoricis, ad litora quæ inter Tartaros & terram laboratoris trãs-Gruntlandiam incuruescunt: Itaque non implet Garumnam quantum capere potest, quoniam partim abit: vbi verò Luna illius cliui cursum, cuius fastigium directò respicit Burdegalam, perfecit, tunc ab Arctico sinu redeuntibus aquis, non solum obsidentur Garumnæ fauces, ne descendat, atque exeat aqua, sed etiam nouis complentur fluctibus, qua impulsione fit, vt ad ordinarium crementi tempus addatur hora illa quæ septima numeratur in accessione, quæ prima debebatur discessioni: Vnde quod reliquum est ad horam duodecimam, qua alterius quadrantis cursus terminatur, in regressu quinque tantum horis expeditur. Alex. Audiueram ego à doctissimis viris, produci tempus ingressionis, quia resistat Garumna. I. C. Ego verò non assentior, nullus enim locus, nulla meta proposita aut destinata est, ad quam vltimus maris fluctus pertingere iubeatur, sed celeritas tantum minueretur, si ita esset. Alex. Perplacet. Sed memini audiuisse alios ita subtilissime obratiocinantes, maris molem grauiorem, iccirco diutiùs instâre, at vbi sub-

ducit ſeſe, abit celeriùs. I. C. Non arridet hæc opinio, non ënim fit idem in Luſitaniæ fluuijs, qui maiori tamen vrgenturagmine. Al. Cur neſcire pudens prauè, quàm diſcere malo? Verum profectò fatear: hæ de maris æſtu rationes meas quidem feriunt aures, at non intellectum. I. C. Rem ante oculos ponam. Lunam nobis propinquam exiſtẽtem, in hoc noſtro inferiori orbe maximè in rebus humidis vires ſuas exercere luculentiſſimo comprobatur experimento, nam per plebeis omiſſis demonſtratiunculis, vbi ſydus hoc plenum eſt, augeſcunt ſegetes, venæ ſanguine, oſſaque medullis implentur; Quo fit vt Veneris vſum tunc temporis affluentius abſque vlla noxa adoleſcentes exerceãt. Præterea cùm omnia humore imbuat, factũeſt, vt carnes, quas famulus meus inconſultò illius radijs aliquando expoſuit, contabuerint. Homines etiam aliquos ſomno, vinóque ſopitos, pallorem, capitiſque grauedinem contrahere aduertimus, nec non comitiali morbo affici, relexat enim neruos, cerebrum plus ſatis humectat, mentique vi algifica ſtuporem infert: Potiſſimum verò in mari ſuam Luna poteſtatem exercet, quippe in plenilunio conchilia turgeſcunt, cancri pingueſcunt, tolluntur ad ſydera fluctus: Vt enim Herculeũs lapis ferrum allicit, ita Sydus hoc terræ proximum, mare attrahit, concitatque. Alex. Huc vſque nulla mihi eſt difficultas; ſed illa me valdè torquet, quomodo Ocean

cursus, & recursus ad Lunam referri potest? I.C. Nosti, Solem ex humenti gramine humorem elicere, multamque aquæ copiam ex mari, stagnis, paludibusque absorbere, vnde pluuiarum origo existit. Scis etiam complures herbas, quæ hinc Heliotropia dicuntur, Solis vi, & calore, qui humorem allicit, circumagi, eiusque iter ab Ortu in Occasum expansis flosculis comitari: ita Lunæ potestate Oceanus modo in hoc, modo in illud litus impellitur, atque in illam decumbit oram, ad quam sydus suum dirigit cursum. Nam vbi Luna exoritur, Oceanus cursum suum deuoluit ad plagas Orientales, atque ita Occidentales deserit: Cùm verò Luna ad Occasum vergit, in Occidentalibus partibus crebrescunt fluctus, in Orientalibus detumescunt, idque affluentius, vel parcius pro incremento, defectuque lucis, quam lunares radij exhibent. Alex. At quomodo mihi compertum erit, quando Luna respicit Ortum, & quando Occasum. I. C. Luna semper auersis à Sole cornibus si crescat, Ortum spectat, si decrescat, Occasum, quæ triduo plerumque in coitu (vt ita ludam) morata, demum lucescit, ac falcata emicat: Singulis verò diebus ab incremento à Sole remotior ad septimum vsque augescens medio orbe diuisa spectatur, eaque pars illustratur, quæ soli in Occidentem delato opponitur, illa opaca remanet, quæ Orienti obuersa est: Semper enim Luna crescens Solem Occidentem sequitur. Vbi

verò decreſcit, Solem præcedit, illique præuia eſt, ac ſupra Orizonta antelucanũ cõſpicitur, ea ſemper parte illuminata, quæ Solem reſpicit, eoque efficitur, vt pars incurua, atque in cornua falcata, ſemper à Sole auerſa ſit, Globoſa verò atque in gibbum ſinuata, aduerſa, Soli expoſita. Quartodecimo die cum ex diametro Soli oppoſita eſt, plena perficitur, ipſaque oritur, quando Sol in Occidentem declinat; Propterea fit, vt vndique illuſtretur, Soliſque ſplendorem quaqua verſum recipiat. Decimo ſeptimo die cùm Sol exoritur, Luna in Occidentem depreſſa conſpicitur. Altero & vigeſimo die Sole emerſo, Luna medias ferè Cœli regiones peruagatur, atque illa pars, quæ ad Solem fertur, lucida eſt, obſcuratis reliquis. Deinceps cum ſingulis diebus ſuum curſum proſequitur, octauo & vigeſimo die, & horis octo totum ſigniferi circulum abſoluit. ALEX. Hæ Aſtronomicæ regulæ ſtatim mihi è memoria excidunt. I.C. Vt tibi res exactè innoteſcat, non quæ perlegi, nec quæ ſpeculatus ſum, ſed quæ dum apud Belgas immorabar, aduerti de maris æſtu ob Lunæ vim, referam. ALEX. Bruxellis cùm eſſem, cauponem meum ad conciones frequentandas adhortabar, Excuſauit ille ſe dicendo, Homiliſtæ ſemper in ore habent, legi, nunquam, vidi: quod quidem ſcoma vt in Theologia reijciendum, ita in Philoſophia admittendum: Quare gratum mihi feceris, ſi quæ tu ipſemet de maris cur-

ſu, & recurſu vidiſti, enarraueris. I.C. Ita faciam. Quo die Lunam nouam conſpexi, quæ ſemper Occidenti incumbit, propterea quod Sol eò inclinat, cuius fulgore ſplendeſcere incipit, & quo die Lunam plenam ſum intuitus, eodem æſtus excitari, diffundique obſeruaui, portuſque primum vicinos ad certam altitudinem impleri, ac deinceps verſus Orientem ad obuia quæque loca deferri, ita vt ſubſequentibus diebus hora vna tardius Oceanus moueri occipiat, quoniam ſydus indies ab illo fiat remotius, ac verſus Meridiem, Ortumque elatum, à Sole longius recedat. Exemplo reddam quæſtionem dilucidiorem. Noua plenaque Luna ea parte illuſtrata, quæ in Auſtrum reflexa eſt, ſummo æſtu implet portum Caletum hora vndecima. Metelliburgi tractus hora ſecunda ſeu noctis, ſeu diei, Luna in Occaſum brumalem conuerſa, à quo Africus fiat, & Sol Capricornum ſubit: Bergis ſeſquihora aut duabus ſerius. Antuerpiæ Luna inclinata in Æquinoctialem Occidentem, à quo Zephyri ſpirant, hora propemodum ſexta. Mechliniæ octaua, ſic tamen, vt modo ſegnius, modo properantius mare influat aëre tranquillo, vel ventis incitato. Et cùm ſex horarum ſpatio verſus Occaſum fertur, totidem oris refluit, ac ſubſidit, donec Luna Belgicum conſpectum egreſſa, oriatur ijs, qui aduerſum Belgas vrgent veſtigia, atque tunc denuo exæſtuat;. Cùm verò Luna mediæ noctis lineam attigerit, indeque

ad illud hemisphærium deuenerit, rursus in se fluctus residunt.

Quare (paucis disputationem absoluam) vt cuique regioni fluxum, refluxumque assignare valeas, obseruandi tibi erunt (mi Alexander) locorum situs, & ad quam Cœli plagam spectent, metiendique sunt regionum tractus, atque ijs assurgentis, labentisque syderis cursus accomodandus. Neque Lunæ cornua spectanda tibi sunt, cum ab ea parte nullos obtineat effectus, sed gibbam, deuexamque quam Sol illustrat: Illa siquidem pars, quæ Soli, terræque obuersa est, aquam allicit, illosque portus ac stationes maris affluxu implere meditatur, quos è directo splendore suo irradiat. Eò siquidem Oceanus confluit, quo Lunares radij impellerint. ALEX. Quæ magno labore addiscuntur, non libenter amplexor. I. C. Facili negotio hanc de maris æstu disputationem percallebis, si nostræ pro Mosaica, & Christiana Lege Apologiæ librum quartum pellegere non grauaberis. Ibi Oceani, Mediterranei, Adriatici, & Erithrei maris refluxum luculentissima oratione absoluere coacti fuimus, vt sacrarum literarum osores asserentes Mosen in sicco transijsse nactum refluxionis occasionem, temerè mentitos esse probaremus, & iam manifestè probauimus, nam ad Sues vsque quod intimo in recessu iacet, mare Erithreum operit litus illud, neque vnquam regrediens ita nudat, vt inferiores partes, quæ

transierunt Hæbrei, sua decessione aperiat. Alex. Non ego Plinij, nec alterius Philosophi, qui vt Vesuuij montis conflagrationem, & Nili originem addiscerent, præsentissimo vitæ discrimini se exposuerunt, exempla sectabor, nam me vestigia terrent: Nulli sanè retrorsum, sed tuos potius eruditissimos pellegam libros, vt curiosam de maris motu sitim sedare valeam. Nunc de motu proiectorum in mari aliquid à te excipere exopto. I.C. Non recuso.

DIALOGVS XXII.

De Motu Proiectorum.

Alex.

VEsicam vento plenam sub aqua demittere conabar aliquādo puer cum essem, & admirabar à quo sursum impelleretur, cum verò Philosophiam à limine salutaui, aquæ grauitati id adscribebam, quæ suum locum à vesica occupatum recuperare appetebat. I.C. Non hæc mihi arridet opinio, ahenea namque pila aëre plena, si in aquam proijciatur, exiliet: sin verò solida eodem ex ære, aut etiam eius dimidio pilula conflētur, fundum petet, nec emerget; si aqua doleret, quod à pila esset suo defraudata loco, atque iccirco su-

biret,& inde pilam in altũ eueheret,idem in vtraque pila faceret, at non facit, & commodius poterat longe minore nixu aduersus leuiorem; non igitur pila,aut vesica attollitur, quia subit aqua, sed aqua subit, quia ab aëre pila tollitur, subit autem, ne pila decedente vacuum detur. ALEX. Perdocte,sed cur inditum calcis globum in aquam,ita vt non totus submergatur, subit aqua nihilominus etiam qua non circunstat. I.C. Subtilissimã proponis difficultatem. AL. Proposui aliàs doctissimis viris,à quib⁹ varias,& subtilissimas excepi responsiones,in quarum censu tuam constituere in votis est. I.C. Quęso sodes illorũ referas opiniones. ALEX. Aliqui in Patauino Gymnasio dixerũt,paulo laxiores poros inesse calci,quos vbi aqua attigit,ilico abit inclusus aër,in cuius locum,ne vacuũ detur,succedit aqua, & propterea ascendit. I. C. Petere ab illis debebas, cur aquæ accessu effugiat è foraminibus aër? ALEX. Imo & petij,& responderunt, quia ab aqua condensatur,atque in angustias cogitur. I.C. Sic obijcere poteras,aër non nisi à frigido dẽsari valet,imbibitur autem in poris aqua non solum quæ frigida est, sed & quæ calida, imò hæc magis,& citius. AL. Forsitan Pisanos Scholares adinuenies subtiliores in respõdendo; illi siquidem asserebant, ab aquæ pondere expelli aërem,atque arceri. I. C. quomodo id fiat,ignorare me profiteor. AL. In ipsius (aiebant) spongiosi corporis, in quo aër continetur,superiori parte aqua inest, quæ aëris qui-

busdam portiunculis supernatat, aqua igitur descendente, aërem inde propelli accidit. I. C. At enimuero cùm ad illam peruenerit lineam, quæ superimminentis aquæ terminus est, quid erit mox quod rursus propellere possit aërem? Al. Aërem (inquiunt) ab aqua pulsatum alium pellere, atque hunc alium, & sic successiuè. I.C. At cum totus aër ille conclusus à primo per partem post partem tãtum abscessit, quãtum est locus, quem aqua occupauit, tum non vltra fiet impulsio partiũ aëris, sed cessabit: oportet autem assignare aliud quod aërem pellat indesinenter, donec abscedat totus. Alex. Veronenses Philosophi profugari asserunt ab aqua aërem per species contrarias. I.C. Alibi reiecimus hanc fictitiam specierum facultatem. Doceri nunc percuperem, quomodo aër, & aqua contraria sunt? ex aëre aquam gigni Naturæ testantur opera. Alex. Bononiensibus Academicis sic effari libuit: Calcem subit aqua sursum tendẽs extra suum planum, quoniam aër in calcis meatibus existens, in suo loco non est, quare molitur exitum, eòque succedit aqua. I.C. At aër non exit nisi diductis parietibus, non cedunt parietes, nisi subeunte aqua, non ingreditur aqua, nisi aëre discedente. Præterea dicant mihi perbelli studiorum matris alumini, quomodo extra locũ suũ aër est, si tota illa calx in aëris regione est? Alex. Parthenopęi scholares mellitissimi, calcem siccam esse testãtur, ac propterea repetere quod deest humidum, & attrahere igitur.

I.C. Ariſtoteles Philoſophorum Præceptor è ſiccitate amouet actionem, & pro paſſiua tantum agnoſcit. Galenus quoque Medicorum Dux humiditatem cum calore, & frigore tanquam actiuam cũ adnumeraſſet, non appoſuit ſiccitatem. Inſuper calx eſt lapis mortuus, at ſi eius forma appetit qualitatis inſtaurationem, iam abſumpta non eſt, cum tamen lapidis, quę priùs erat forma, nulla ibi ſuperſit. **Al.** Tuam modo (Vir Subtiliſſime) ſubſcribas ſententiã. I.C. In calce aqua calefit, atque exhalat, & propterea ſuperiora impetit. Deinde calor magno impetu ſeſe ſubducit propter ſui cõtrarij vim, quare in eius locum ſubit aqua: ſanè cum poſt pilæ luſum tumeſcentibus mirum in modum venis, bracchiũ in peluim aquę plenã immitto, ſanguis ſurſum verſum ſtatim refugit: ſi ſuper tabulã olei parum ponas, mox prunam in medio impoſueris, videbis illud mira celeritate fuga diffundi, ac dilatari, ne ab hoſte cõſumatur. Quod ſi hæc tibi non probetur opinio, addam in calcis meatibus, conſumpta genuina humiditate, ineſſe vim quãdam igneam, quæ inde egredi ob contrarij metum non audet, quare in partes ſolidas ſeſe inducit, ſtipatque ſe ipſam, & condenſatione acuitur, & propterea debiliores partes relinquit, in quas ſubeat aqua neceſſe eſt ad vacuum euitandum. **Al.** Tuo quidem ingenio ſententia digniſſima. Sed dic amabô, Cur in aqua calx incaleſcit? I.C. Quîa igneæ portiunculæ (aſſerebat Præceptor meus) ex humidi conſumptione in cal-

Ar. in lib. de Miſt. affect. & l. 3. Cal.

Galen. in comm. de curandi rat. per vena ſect.

cis gleba remanſerunt, diſperſæ tamen, atque iccirco ob virium imbecillitatem ad igneſcendum minus idoneæ: cum autem aqua ad calcem acceſſerit, ſtatim illæ, hoſtē pertimeſcentes, in abditiſſimis penetralibus ſe recipiunt, ſuique conſeruationem appetentes, hoſtis aquæ nimirum interitum meditantur, cumque virtus vnita ſit fortior, ſtipant ſeſe, atque ita ſuam acuunt potentiam, & igneſcunt. A L. Perdoctè quidem, ſed eius naturæ quæ ab Agricola recitatur, cauſam mihi explicare ne graueris? I, C. Quænā illa eſt? ALEX. Ad Culmam refet eſſe aquam cognomento inſanam, quæ feruere videtur, frigidiſſima tamen eſt. I. C. Quid mirum? ampullatur multo miſta flatu: flatus ſane quibuſdam è ſpecubus emittuntur, à montibus namque aduerſis erūpunt. ad littus Baſcum, quod non procul Baiona Britānicum mare ſommouet, locus eſt, qui ab incolis Capherton dicitur, ibi aliquando mare adeo turgeſcere adſpexi, vt iam iam litus ipſum obrutum iri puerulus meus crederet, deinde mox ſubſidit, quod à vento ſubeunte proficiſci cenſui ALEX. ſcitiſſimè, ſed aliā enodandam tibi propono quæſtionem. I. C. Alios nodos diſſoluere cuperem, ſed fare. ALEX. Puteolis cum eſſem, accepi, in Auerno lacu tria oua ſi proijciantur, ſupernatare duo, ſubmergi tertium, quod ab immundis ſpiritibus ſubfurari perſuaſum eſt ruſticanę plebeculæ. I. C. Nugæ ſunt hæ, & circulatorum deceptiones: duo illa oua quæ ſupernatarunt,

runt, vetuſtate exhauſta erant, atque ideo aëris plurimum continebant, quam ob cauſam & arida ligna prenatant: quod ſubmergebatur ouū recens erat, atque ideo nō ſatis cōplectebatur aeris, eādem ob rationē nec viride natat lignū. AL. Veriſimile eſt, ſed quid ad hoc? noui Philoſophum, qui ouum in peluim aqua plenam proiecit, & deſcendit, in alia depoſuit alterum, & ſupernatabat: erant autem ambo recentia. I. C. At non eadem erat aqua in vtraque pixide, in vna dulcis, in altera ſalſa. ALEX. At cur in dulci ſubmergitur, in ſalſa non item? I. C. Dulcis propter partium tenuitatem ſuſtinere nequit, ſalſa propter craſſitiem poteſt. ALEX. quomodo probas ſalſam aquam grauiorem dulci? I. C. Quia plus terræ continet: profecto in lebetis fundo, vbi aqua ſalſa fuerat, terræ triplo plus reſidere aduerti quam in quo fuerat impoſita fontanea. ALEX. Tuæ ſententiæ acquieſco I. C. Quid ſi ego eam reuocem? ALEX. Mendacij non redarguam Aſtrologos, qui tui ortus Apheтam Lunam eſſe prædicant. I. C. Profecto non amplius dicam quicquam aptum, vel ineptum ad ſuſtinendum propter partium tenuitatem, vel craſſitudinem, nam memini in oleo defecatiſſimo plus extare lignum quàm in aqua, olei tamen partes tenuiores, aëris namque plurimum obtinet, aquæ multum, terræ exempta fæce minimum, itaque olei gutta pannis aſperſa latè ſubit, atque diffunditur, aqua non item. ALEX. Vnde igitur aptitudinem

ad ſuſtentãdum deduces? I. C. A partium cohæſione:ſanè ſtylus duapondo mucrone demiſſus in aquam citius deſcendit,quàm lamina decempondo eandem in aquam ſecundum ſuperficiem impoſita:ratio eſt,quia ſtylus ſeparat partes,lamina non : addam aliud exemplum,quod aqua non ſuſtinet,eiuſdem aquæ glacies ſuſtinebit , non ob partium differentiam , quandoquidem ſubſtantia eſt eadem,ſed ob differentem partium poſituram, coniunctiores namque ſunt. AL. E Mercurij potius, quàm Lunæ Cœlo tam ſubtilem ſententiam deſcendere crediderim: ſed cur Thyræus lapis , authore Plinio , natat fluitatque grandis, comminutus immergitur ? I. C. An quia aëris ille multum continet,non vt ligna ſolent in minimis particulis,ſed inter maiuſculas, quibus diſſitis,ſimul cum abeũtis aëris leuitate,natãdi beneficium amittit, quemadmodum & peluis ænea fluitat integra,conciſæ pars quanquam longè ſit leuior,mergitur tamen. Ratio eſt,quòd aër,qui eius in ſinu eſt, nequit tam repentè ſeparari,quàm cito põdus deprimere poſſit,perſtat igitur:ſi aqua poſſet ſubire foramine,tum decederet aer,quia paulatim ea res geri queat. ALEX. Acutiſſimè, ſed Cur aqua ſuffocati non confeſtim emergunt; I.C. Corpus vndique humore oppletur,atque aquarum pondere degrauatur,hinc ſurſum eniti nequit , quandoquidem nihil aeris in ſe continet, omniſque ſpiritus per aquæ gurgitem excuſſus eſt,atque euanuit. ALEX. At cur

in ſeptimo, aut nono die emergit? forſitan, quia fellis folliculus diſrumpitur? I. C. Minimè, ſed quia ex eo, reliquiſque conceptaculis aquæ madore flaccidis, humores effluunt, quò fit vt corpus attenuata carne fluidum efficiatur, ac pulmo ſpongię inſtar fiſtuloſus concepto copioſo aere, cadauer ſubducit, auræque reſtituit. Alex. Sed quare ſubmerſa virorum copora, ſupina, atque erecta in Cœlum facie, mulierum verò prona, vultuque in fundum inclinata fluitant, vt Pliniana refert hiſtoria. I. C. Pro conceptu, ac geſtatione, qua tacitis auctibus intumeſcit vterus, atque incrementum capeſſit fætus, & pro laborioſo, anxioque partu, quo membra diſtendi debent & dilatari, mulierem Natura formauit, ideò fecit illam ventricoſam, conceptacula, cauitateſque laxiores, magiſque patentes ei indidit, quare mulieris venter vberius, & affluentius humore impletur, & per cõſequẽs aquarum pondere, & diſtentione degrauari, deorſumque ferri contingit. vir autem adſtricta habet illa, meatus vrinarios anguſtos, quare non multum humoris imbibit, ideo non inclinato vẽtre fluitat, ſiquidem natura comparatum eſt, vt graue quodque deorſum, ſurſum autem leue feratur, quod in vtriculis, & vaſculis perſpicimus obturatis, quorum pars, quæ aerem continet, ſublimis exiſtit, quæ humorem continet, deorſum voluitur: idipſum & in ouo animaduertere licet, quod in ſalſuginẽ iniectũ fluitat quidem,

Plin. lib. 7. cap. 17.

ſed pars, cui pondus ineſt, premitur, at ſubſidit pars aere oppleta, illa ſ. quæ rupto putamine lacunam exhibēt, vbi peruetuſta ſunt, eminēt, ſurſumque nitūtur. Alex. Diu in maris diſceptationibus peruagati ſumus, & quia naufrágos errorum fluctus euitauimus, hylares terrā petere audebimus, & primo è mari egreſſu, Inſulas, & Montes, qui ei circunſtat contemplemur. I.C. Dabo me tibi in ſocium. Alex. Imò Ducem.

DIALOGVS. XXIII.

De Inſularum & Montium Generatione, necnon de Terræ motuum cauſa.

Alex.

TErrarùm exilitiones, ſeu potiùs emerſiones in medio mari, quas vocant Inſulas, vnde ſumunt originem? I.C. An à Maris impetu, quo terra à terrâ diuiſa eſt, vt de Siciliâ inſula nominis Etymō credēdū ſuadet, Sicilia enim quaſi ſecta aut lecta eſt, ſanè ab Italiâ diſiūcta; quare antea regio illa Triquetra dicebatur. Al. Ita eſt. I. C. An aſſeremus Inſulas fabricatas à fluuijs arenarum inuectione vt de Acheloo fluuio Herodotus, de Tanay Poli-

Card. de rer. var. l. 1 c. 4.

bius commemorat. Addamus & nos vniuerſam Hollandiam & Zelandiam à Rheno ac Moſa fluuijs aduectas atque exageratas, vt ex ipſorum locorum facie cognouimus, aggeribus enim non pauca loca etiam nunc arcentur ab Oceano, & appulſu fluuiorum, quos aggeres *Dam* vocant incolæ, quo ſono aliquot opidorũ nomina terminari adnotauimus. ALEX. etiam Belgicam noſti linguam? I.C. An earum originem referemus ad exhalantes vapores è ſubterraneis anfractib⁹ qui ſuperiorum terræ portionem aliquam ſuper fluctus extulerunt, vt de Britannia veriſimile duxerim, eſt enim adhuc terra illa limoſa fungi inſtar, quinimo obequitanti mihi contremiſcere quodammodo videbatur. Aliter de ea ſcripſit Cardanus. *Vbi inſulæ,* inquit, *è ſcopulis generãtur, neceſſe eſt vetuſtate lapides exedi ac velut caneſcere, velut in Britãnia, vidimus enim terrã albã ac velut canã ex lapidibus vetuſtis factã hãc vocãt gypſum. Quamobrẽ primũ neceſſe eſt vt fertilis ſit, tum vapore maris, qui vento deductus eam excalefacit, & impinguat, adeſt enim ſalis natura, & in ſale humidum pingue. Tum quia lapis putreſcens pinguem reddit terram, omne enim humidum quod computruit, iam pingue eſt, & huic indicio eſt quod in Galliæ partibus frigidioribus lapides albos ſpargunt in agros quibus loco ſunt ſtercorationis.* Excuſatos habemus illos Philoſophos, qui percipere nequeunt quomodo tam ampla Inſula ex ſcopulis effici potuerit. Terram candidam nullibi nos in Angliâ vidimus. In Scotia fortaſſis Cardanus conſpexit, eam ta-

De rer. var. l.1.c.4.

men non senectus sed exustio potius sic effecit, Nimirum sunt in ea Angliæ parte sulphureæ venæ non paucæ, vt ex lapideorum carbonum, quibus indigenæ luculentos ignes in ædibus extruunt, qui semel, atque iterum extincti, postliminio ignescũt admoti foco, olfactu deprehendimus: fieri verò exustione cãdidam mirum non est, absumuntur enim ab igneâ vi humidæ partes quæ nigræ videntur, quare tela madefacta subnigra est, vbi Solis perpessa fuerit æstum, candida, vt subticeam ligneam materiam cuius viriditas nigredini affinis ab igne in cineritium colorem resoluitur, & qui calida aquâ faciem lauant, cito canescunt. Qui verò scire auet an lapides terram pinguefaciant, Ligusticum solum interroget, illud respondebit se lapidibus sterilescere. Alex. At scire percuperem quomodo montes generantur? I.C. Aliqui piè delirantes, ex Diluuio raptam, subductamque terram, detersosque montes ab aquis in mare precipitantibus, prodiderunt. Alex. Nugæ. Nec enim adeo vecordes sumus, vt ignoremus, si montis altissimi fastigium terræ subuectione nouâ sit æquandum superficie, vniuersam terram suis è sedibus extra suum punctum reuulsam exaustum iri. Sed quid Astronomi super hac re sentiunt? I. C. Moles illas extra terræ planitiem ab Astris attractas. Alex. Nequaquam, simul enim cum Astrorum motu mouerentur montes, si Astrorum opus essent. I. C. Alij dicunt, terram crebris agitatam motibus,

tanquam corpus veſicas ſic montes pepeⷬiſſe. ALEX. Haud diſplicet. I. C. Mihi verò plurimum: Non enim ſolida loca terræ motu concutiuntur, cum aërem non concipiant, neque limoſa, qualis Ægyptus, quòd rimis careant, neque etiam arenoſa quòd perſpirent, his tamen in locis montes viſuntur. ALEX. Quid aliud. I. C. Nonnulli, montes definierunt humum eſſe à ventis congeſtam. ALEX. Ridiculè quidem. Vbi enim flat ventus maximè, ibi nulli prorſus ſunt montes. I. C. Ita eſt profectò. ALEX. Cardanus quid cenſuit? I. C. Marinis & fluuialibus aquis terram demoliri, lapidibus derelictis, mox aquæ in valles cum deſcendant, montem exurgere. ALEX. Digna ſanè Cardano ſubtilitas. I.C. Imo futilitas potiùs, nec enim tam ſublimem verticem ſuper agros extollerent. ALEX. Tu igitur quid ſentis? I. C. Ego verò concluderem, ſi Chriſtianus non eſſem, mundi æternitatem, cum mõtium originem non inueniam. Dicam tamen, montes à Deo factos ijs in partibus, quæ Cœli diſpoſitionibus congruebant. ALEX. At cur aliquando terra concutitur? I. C. An quia, inquit Cardanus, materia quæ vri apta eſt, vritur veluti eſt ſulphur, ſalnitrum, ſeu halinitrum & bitumen. Cùm enim hæc accenduntur, nec exitum inueniunt, vt in cuniculis machiniſve terram mouent & quatiunt. ALEX. Ratio hæc à Philoſophorum plebiſcito deſumpta eſt. I.C. Atque ideo futilis, nec enim vbi exuritur terra,

Card. in l de ſubt.

ſemper quatitur, non ſanè in Puteolano agro ſulphureo: nec vbi cõmouetur, aduritur, ignis enim cum incluſus manere nequeat, in ipſis terræ motibus ſibi pararet aditum, ſuique veſtigium relinqueret aliquod, quod tamen non accidit vnquam. Repugnat etiam ſententia hæc ipſius Cardani placitis, aſſerit enim, & rectè quidem, terræ motum, putrefactionem, quæ ſub terra facta eſt, indicare, ſed ab exuſtione putrefactio nulla infertur, non quia ſumma putrefactionis ſit in humido, vt vulgari iactatur prouerbio, inſcitiſſimè tamen, quæ enim humidum habent communis naturæ cum humore aduentitio non putrefiunt, ſicut Alnus ſub aquis, non enim aqua ſub aquâ putrefit, nihil enim inuehitur peregrini, ſed quia humida à calore putrefiunt externo, quoties internus vincitur aut foras exigitur: At exuſtio à calore non patitur, neque ab humore (vt vulgi admittamus iam refutatam ſententiam) accedens, namque humor aut minor erit, atque iccirco euaneſcet, aut maior, ac propterea extinguet, atque præueniet putrefactionem. Alex. Perdoctè. Sed quæ tua eſt ſententia? I. C. Ego cenſeo, terram pati concuſſionem, aquâ ſcilicet aut aere vel ſubeunte, vel exeunte, vnde videntur camporum fluctuationes, & ſæpenumero fluminum ad ſuperiora loca recurſus, vtpote, quæ terræ motu, vel inclinata, vel toto Alueo vibrata ſunt, & mugitus horrendi exaudiuntur. Hinc multæ

ſunt exortæ ſuperſtitiones apud rudem plebeculam, quæ admiranda opera Dæmoni perpuſilla Naturæ adſcribit.

DIALOG. XXIIII.

De Gemmarum Geneſi, Radice & Colore, necnon de lapidum maculis.

ALEX.

AT enimverò pretioſi lapides vnde generantur? I. C. An cum Philoſopho dicemus ex ſiccâ exhalatione, quemadmodum metalla ex humida? an cum Platonicis dicemus eos generari ex ipſis metallis, ex auro ſanè excocto prodire Adamantem, ſcripſit in Timeo Plato, & ſanè ſi verum eſt quod tradunt, Adamantes quoſdam eſſe croceos, non erit abſurdum penitus, quod euenit ceræ de eo cogitare, vt colore depoſito fiat candidus. Et Smaragdi principia ab ære eſſe tradunt, nec abeſt à ſuſpitione ratio, tum quia ærugo viridis, tum quia eo demum certiſſimo inditio probatur Smaragdus, ſi lapidi affricatus, æris reddat colorem. An à tenuiſſimo ſucco, quem lapides diſtillant, gemmæ aliquæ concreantur? Sanè, *quod liquidum eſt*, inquit

Ar in 3. Meteor.

Plat. in Timæo.

ſemper quatitur, non ſanè in Puteolano agro ſulphureo: nec vbi cõmouetur, aduritur, ignis enim cum incluſus manere nequeat, in ipſis terræ motibus ſibi pararet aditum, ſuique veſtigium relinqueret aliquod, quod tamen non accidit vnquam. Repugnat etiam ſententia hæc ipſius Cardani placitis, aſſerit enim, & rectè quidem, terræ motum, putrefactionem, quæ ſub terra facta eſt, indicare, ſed ab exuſtione putrefactio nulla infertur, non quia ſumma putrefactionis ſit in humido, vt vulgari iactatur prouerbio, inſcitiſſimè tamen, quæ enim humidum habent communis naturæ cum humore aduentitio non putrefiunt, ſicut Alnus ſub aquis, non enim aqua ſub aquâ putrefit, nihil enim inuehitur peregrini, ſed quia humida à calore putrefiunt externo, quoties internus vincitur aut foras exigitur: At exuſtio à calore non patitur, neque ab humore (vt vulgi admittamus iam refutatam ſententiam) accedens, namque humor aut minor erit, atque iccirco euaneſcet, aut maior, ac propterea extinguet, atque præueniet putrefactionem. Alex. Perdoctè. Sed quæ tua eſt ſententia? I. C. Ego cenſeo, terram pati concuſſionem, aquâ ſcilicet aut aere vel ſubeunte, vel exeunte, vnde videntur camporum fluctuationes, & ſæpenumero fluminum ad ſuperiora loca recurſus, vtpote, quæ terræ motu, vel inclinata, vel toto Alueo vibrata ſunt, & mugitus horrendi exaudiuntur. Hinc multæ

ſunt exortæ ſuperſtitiones apud rudem plebeculam, quæ admiranda opera Dæmoni perpuſilla Naturæ adſcribit.

DIALOG. XXIIII.

De Gemmarum Geneſi, Radice & Colore, necnon de lapidum maculis.

ALEX.

AT enimverò pretioſi lapides vnde generantur? I. C. An cum Philoſopho dicemus ex ſiccâ exhalatione, quemadmodum metalla ex humida? an cum Platonicis dicemus eos generari ex ipſis metallis, ex auro ſanè excocto prodire Adamantem, ſcripſit in Timeo Plato, & ſanè ſi verum eſt quod tradunt, Adamantes quoſdam eſſe croceos, non erit abſurdum penitus, quod euenit ceræ de eo cogitare, vt colore depoſito fiat candidus. Et Smaragdi principia ab ære eſſe tradunt, nec abeſt à ſuſpitione ratio, tum quia ærugo viridis, tum quia eo demum certiſſimo indicio probatur Smaragdus, ſi lapidi affricatus, æris reddat colorem. An à tenuiſſimo ſucco, quem lapides diſtillant, gemmæ aliquæ concreantur? Sanè, *quod liquidum eſt*, inquit

Ar in 3. Meteor.

Plat. in Timæo.

Card. in l. de subt. 17. c. de lapidibus. Cardanus, *cogitur, tenue, & parum splendescit, & frigore indurescit.* ALEX. Aqua igitur congelata gemma est in Cardani Thesauris? I.C. Aqueam illarum esse naturam ostendit è Cristalli ad ignem liquefactione, & Adamantis mollitiẽ. ALEX. Quinimo igni esse impermutabilẽ alibi fatetur. *Fol. 346.* Sed Gemmæ habentne radices? I. C. Ita censet Cardanus, quia Smaragdus Prassio innascitur. AL. Imò corpus vnum illa sunt, summa tamen pars tenuior, quia magis excocta. Idem in furno panibus euenit, fæx ipsa in imo, tanquam amurca, quod & in oleo videmus. Smaragdum miræ magnitudinis Theophrastus describit sine radice vlla, tota ergo massa congelata fuit, atque sub formam abijt perfectiorem. Interdum tamen sunt sicut cremor lactis & lac, non nego tamen à lapidibus exalationes, quasdam resudare quæ externâ accretione, non interiori alimento grandescunt, sic ex nigro lapide quasi gummi resudat Turchesia apud Persas. ALEX. At cur varium gemmæ colorem nanciscuntur? I.C. An dicemus quia à diuersâ producuntur exhalatione, fuscæ igitur à terreo exusto, candidæ è puro aëreo & aqueo, virides è copioso humore, rubeæ à vehementi calore, cæruleæ è rubrâ materiâ cum vlterius quàm par est excoquitur, variæ denique ex varijs humoribus? An quia è diuersis fiunt metallis, *Ex Auro* (inquit Cardanus noster, vbi supra) *Adamas, Smaragdus, Opalus, ex argento Saphirus, ex ferro Car-*

bunculus, Granatus & Ametistus. ALEX. Maculæ verò in lapidibus cur aliquando conſpiciuntur qui varias animalium effigies referunt? In Pario marmore Sileni effigiem extitiſſe Plinius author eſt. Pirrhi Epirotarum Regis Achates Muſas omnes ornatas, necnon Apollinem fidibus ludentem referebat, vt idem Plinius commemorat. Marmoris fruſtum vidit Pręceptor meus, quod Paulum primum heremitam repreſentabat. *Pirites hecinij nemoris varias* (ait Cardanus) *refert formas velut marini paſſeris, Salamandræ, Galli, pontificis Barbati, tum etiam beatæ Mariæ Virginis filium in Vlnis geſtantis?* I. C. An cum Lucianiſtis irridebimus has authorum atteſtationes vt confictas fabellas? An ab artificum officinis in Apothecas Naturæ dicemus figuras illas tranſlatas eſſe? An luſit in his confingendis natura? An ex materiæ neceſſitare lineæ quædam exortæ ſunt, quæ fortuito alicuius animalis ideam referant, vt in Nebulis & plumbo liquefacto, dum in aquam conijcitur: An vbi ſolitus erat innaſci Achates infoſſa eſt depicta tabella ex quâ deinde aqueus humor illius attraxit effigiem? An cõſepulti Pauli lineamenta eò loci reſudarunt? An ſuper lapidem emiſerũt animalia ſemen? Nigrum lapidem inter Sueciæ montes adinuentum ſerpentis effigiem edidiſſe Cardanus teſtatur; qui autem illum adinuenit aſſeuerebat pluſquam tercentos ſerpentes ibi coijſſe. An cum Chimicis annunciabimus omnia in omnibus? An

Card. de ſub. cap. de lapid.

cum Astronomis à sydrum influxionibus causam accersemus? An animalia in lapidem transmutata, vt respondet præceptor meus Pŏponati⁹, cui adstipulatur Albertus, inquiēs, *Aliquando tempore nostro in mari Danico iuxta ciuitatem Lubecensem inuentus est magnus arboris ramus, in quo erat nidus, & aues perierant in nido conuersæ in lapides, erant parum declinantes, quod aliter esse non potuit, nisi quia procellis vel vndis euulsa arbor, tempore quo in eâ fuerunt nidus & aues, in aquam cecidit, & postea per virtutem loci, in quo iacebant, in lapidem vniuersa fuere conuersa*, & alibi, *Admirabile* (inquit) *videtur omnibus quod aliquando Lapides inueniuntur intus & extra habentes effigies animalium, extra enim habent lineamenta, & quando franguntur, inueniuntur in eis figuræ intestinorum, & huius causam dicit Auicenna esse quod animalia secundum se tota aliquando mutantur in Lapides.*

Albert. l. 1. Miner. c. 7.

Cap. vlt. eiusd. libri.

DIALOG. XXV.

De Lapidum Vita, Alimento, & Interitu.

ALEX.

AT viuunt ne lapides? I. C. Cardanus affirmat. ALEX. Cur ita? I. C. Hæc est eius ratio. Omne mixtum nutritur, at omne quod nutritur viuit, ergo omne mixtum viuit. ALEX. Proba quidem argumenta-

tio,ſed ſi maiorem negauerim,falſa enim eſt, ruet prorſus.I.C. Sic inſtat,ſi non nutritur ſaltem generatur, at quod generatur , ab anima generatur,ergo & generatum animatum eſt, eiuſdem enim generis ſunt generans & generatum neceſſariò.Alex.At minor eſt manifeſtè falſa,nam ex aëre generatur aqua,aër autem animæ expers eſt.Thophus equidem caret anima ſecundum Cardanum,generatur tamen,nam aliquando non fuit.I.C.AtSolis calor,ait ipſe,omnia generat , ille autem anima eſt,Ergo omnia ab anima generantur , & animata igitur ſunt omnia. Alex.Tu vero Iuli mi quid reſpondes,quid cenſes?I.C.Meo iudicio, ſi Solis calor eſſet anima, anima muris in fimo generati eſſet Sol,& muſcæ anima cum illius muris anima vna eſſet anima.Conſecutio probatur,nam ab vna anima diuerſæ animæ non generantur. Alex. At reſpondet Cardanus. Si calor non eſt anima, ſaltē vbi calor,ibi anima, vbi anima ibi vita,At in lapide eſt calor,& anima igitur,& per cōſequens vita.I.C.At enimuero in igne calor eſt , anima tamen nulla: nec in lapidibus calorem ineſſe dixerim, calor enim non niſi tactu cognoſcitur , lapidis verò contactu, nec pilo factus ſum vnquam calidior. Alex. De lapidum vitâ ſatis , de nutrimento quæramus. Nutriuntur ne lapides , & augentur?I.C.Idem Cardanus affirmat. Alex. Quare?I. C. Quia per venas (inquit) accedit ſemper materia. Alex. Tu,quæſo, reſpondeas, I.C.Libenter.Si ſemper nutritur lapis , igitur

ſemper aliquid decedit,minuitur enim à calore humidum quod depaſcitur, in cuius locum ſufficitur alimentum: Quamobrem vdis vel ſiccis tempeſtatibus idem lapis aut ſtrigoſior aut hebetior deprehenderetur,pro pabuli ſcilicet commeatu aucto, aut ſubtracto. ô vtinam lapilli excreſcerent, paruulus enim apud me eſt Adamas, quare Iacobæo Adamanti, qui Magnæ Britanniæ miraculum dicitur, non inuiderem. ALEX. At ſaltem in ſuâ fordinâ Lapides creſcunt. I. C. Minimè. Creſcit ſane ibi humor per ſpiritum donec indureſcat,atque tunc ampliùs non augetur,ſed antequam duritiem induat, Lapis non eſt, quare non lapidem,ſed lapidis potiùs matricem augeri dixerim. ALEX. Acutiſſimè, ſed conſeneſcunt ne gemmæ? I. C. Maximè (inquit Cardanus) ALEX. Quam ob cauſam? I. C. Quia palleſcunt. ALEX. Ita eſt. I. C. At pallet etiam aliquando coralium, quod non amplius viuit,præciſum enim eſt à ſuâ planta, & picturæ quoque inanimes aliquando pallidæ videntur. ALEX. Quæ nam huius rei cauſa eſt? I. C. Quia abit color exuctis partibus tenuioribus. ALEX. Quid etiam intereunt forſitan Lapides? I. C. Ita inquit ille. ALEX. Cur id accidit? I. C. Quia ab operatione deſiſtunt, nam Magnes qui trahebat alacriter,temporis ſucceſſu trahere deſijt. AL. Idem eſt de eo qui apud me eſt. I. C. At magnes nõ trahit per animam,eſſet enim nobilior noſtrâ, hæc (vt aiunt Philoſophi) extra corpus actionem habet nullam,illa

vero maximam, quare & si trahere desinat, anima & vita functa dijudicanda non est. Alex. Cur igitur trahendi facultates cessant aut corruptæ sunt? I. C. Eo modo quo ladani bene olendi, soluuntur enim ab aëre partes quædam, quæ sunt instrumenta formæ. Magnetem qui trahere desierat, vitiatum (ni fallor) ab aeris superficie, nam rubigo quædam illi adhærebat, fregerunt scholares nostri, & in eius interioribus partibus, eadem quæ prius in extimis, extitit vis efficax ad trahendum.

DIALOG. XXVI.

De Magnetis vi attrahendi ferrum, & directione ad Polos.

ALEX.

QVia Magnetis mentionem fecisti, cogor à te nunc quærere, Quare Magnes attrahit ferrum? I. C. Respõdet Cardanus, Magnes viuit, ferrum eius pabulum est, iccirco in ferri scobe optimè seruatur. ALEX. Nugæ, si viuit Magnes, cum ferrum affricatum afficiat ita, vt alterum quoque ferrum ab eo trahi possit, animam suam in illum transfudisse manifectum est. Vult enim Cardanus


Magnetem trahere per animam, quare in ferro Magnes genuit magnetem, viuet autem ferrum non modo suâ, sed etiam magnetis animâ. I. C. Præterea non ex omni parte Magnes attrahit, ea igitur parte, quâ nō trahit, non viuet, & tamen vnum est mistum vniforme, partim viuet igitur, partim non viuet, vtrumque sub viuentis forma, erit igitur quod non est, quoniam hcc quod est per formam est; neque ferrum Magnetis pabulum est, diutissime enim absque ferro illæsus consistit. Sed insanire coactus sum à Cardano, ferri certam accepi quantitatem, in quâ Magnetem seruaui per menses tres, nec tamen ferri scobem adinueni leuiorem, non igitur Magnes depastus est illam, sed potius grauiorem, quod rubigine factum auctuarium existimaui. ALEX. At seruatur (inquit Cardanus) diu vegetus Magnes in ferri scobe. I. C. Concedo, sed non quia eius pabulū est, sed quia sic eius superficies ab aere non vitiatur, quare rubiginem non contrahit. ALEX. Quid igitur Præceptor tuus sentiebat? I. C. Asserebat ille, omne appetens appetere propter sui perfectionem, quare membra trahunt vt nutriantur, & Elementa petunt conuenientes locos ad quietem, sed ferri pabulo non indiget Magnes, absque illo enim seruatur integer, ergo non illud attrahit, sed mouebitur potiùs ferrum ad Magnetem tanquam ad matricem suam, cuius abditis principijs perficiatur, quemadmodum ad centrum terra, est enim propius veritatem vt ab internâ virtute

virtute potiùs quam ab externa, à qua non tãgitur, moueatur, veluti mouetur catulus ad mamillam, quomodo mouetur anima ad beatitudinem ab intimo principio, quod summi boni appetit fruitionem. Est enim principium nostrum primi particeps principij, & vltimi finis. ALEX. Pijssima opinio iuxta & subtilissima. Sed dic mihi quid Fracastorius vir Doctissimus censuit? I.C. Trahi ferrum à Magnete, quia cum hoc vnum fit per vtriusque formæ coniunctionem, quia seipsas formæ propagent, atque promoueant, ita vt etiam egredientes in media intercapedine occursu mutuo vniantur. ALEX. Sed, quæso, tanti viri audes ne sententiam impugnare? I.C. Inquirendæ veritatis causa, dicam, si egredi potest ferri & Magnetis forma, egredi quoque poterit hominis forma, quare erit generabilis & corruptibilis secundũ partem, igitur & secundũ totum, non enim more spõgiæ dilatat sese atque cõtrahit: Preterea erit in aere hominis forma, aer igitur erit homo, & duabus formis aeris materia informabitur, aeris scilicet & hominis: quinimo aer erit formarum egredientium plenus, & in formam forma penetrans ac trãsiens quaqua versus, atque vndecunque huc & illuc, aut igitur aer informabitur omnibus formis simul, neque hac & illa, hæc & illa erit eius pars, sed in multis eadem, aut formæ eædem erunt & in subiecto & absque subiecto abstractæ, simul & non abstractę. ALEX. Tuam igitur nunc breuibus verbis superaddas opi-

nionem. I. C. Ego verò dicerem, accidentis facultate, quæ à Magnete exit, ferream substantiam trahi, sicut odores exire sentimus manifeste atque nos alterare, cuius rei signum est, quod allio si perungatur Magnes, ferrum non attrahet ex Ptolemæi sententia, neque si oleo (addam ego) vel quacunque pingui alia re obliniatur, obtunduntur enim Magnetis spiritus à multo humido & crassitie. ALEX. Tuæ acquiesco sententię. At cur in Nautica pixide ferrum Magnete confricatum Septentrioni obuertitur, polumque Arcticum respectat, quocunque etiam contorto clauo nauis impellitur. I. C. Alij dicunt, perpendiculum illud nullo modo trahi, sed illius Cæli vertigine omnia cum perturbentur, ita se constituere, vt quo magis potest quiescat, ea autem est linea ad Polos spectãs. ALEX. In eadem opinione ego aliquando fui. I.C. Decipiebaris profectò, nam apud nos illa non pertingit vertigo, & tamen eadem ferri circumuersatio conspicitur. ALEX. Rectè, sed aliorum referas opiniones. I.C. Alij igitur asserunt, ferrum illud ad stellas, quæ in Polis sunt se conuertere, quemadmodum Heliotropium ad Solem. ALEX. Minimè id quidem, nam illud flosculis contingit, ob illorum humidos vapores, qui à Sole attrahuntur. I.C. Alij ad minoris Vrsæ caudam vim illam referunt. ALEX. Tu verò quid sentis? I.C. Verum id non esse, Sideris enim illius perpetua circumactio secum quoque ferrum conuer-

teret, quemadmodum à ſuo ſidere Cometem quoque arripi, atque auehi dictum eſt, quare fixæ affectionis fixam quoque cauſam oportet eſſe. ALEX. Ita eſt. Sed perge. I.C. Aliqui conuerſionem illam fieri aſſerunt à mõtibus ferri & Magnetis, qui ſub Polo ſunt. ALEX: Minimè, nam qui de ſubjectis Polo regionibus ſcribunt, nullos ibi adeſſe ferreos, & Magneticos montes confirmant. I.C. Etſi aliter Fracaſtorius ſentiat, nõ reclamo, conuerſionis tamen cauſam ad eos non referam, quando conſtat in Ilua Inſula adeſſe Magnetis montes, ex quibus eruitur Magnes omnis quo noſtrates Nautæ vtuntur. Naues cum eò applicant, cum in anchoris ſunt, cum diſcedunt, nullam ſentiunt in pixidecula mutationem, nullam ferri ad ipſam inſulam conuerſionem intuentur. ALEX. Reſpondebit verò Fracaſtor. Iluanum Magnetem, in ſua fodina atque matrice nullas habere vires. I.C. Debilitat reſponſio hæc Septentrionales montes, pro quibus ipſe dimicat. Ego verò cuiuſque entis naturalem ſedem cuiuis peregrino ſitui anteferendam cenſeo. Præterea à montibus illis, qui ſub Polo eſſe perhibentur, ferrum non attrahi manifeſtum eſt, ſed Magnetem. Nam ferri cuſpis penſilis non vertitur ad Polum, ſed Magnete affectum ferrum. Quod autem conuerſio illa non fiat à montibus, tum interualla, tum radiorum vis impedita obiectu terræ perſuadere poſſunt. quo pertingere queat radius, eò quoque vis eſto,

at non quit, vt ex hac apparet demonstratione.



A. B. Mons magneticus. C. finis radij. D. non tangetur, at ibi mouetur. Mouetur enim in aditu sinus Persici ad Insulam sancti Thomæ. ALEX. Quid igitur concludendum erit? I.C. Terrarum omnium substantias, facies, vires à sibi quoque simili pendere vultu, nam vt ait Aristot. superiora sunt tanquam formæ, & Ideæ eorum quæ ab ipsis continentur, iccirco hæc terræ pars huius rei alia alius ferax est: Ita ibi Mare, alibi non, montes, fluuij, campi, prout cum suo quidque Cœlo conuenit. Non ergo à montibus illis syderiticis, ob radiorum imbecillitatem, sed ab eâ vi, quæ illorum fabricatrix fuit, euenire conuersionis modum dixerim, quam ab Vrsæ cauda non abstulerim, conuenit enim distantia à simili, sed suâ Cœli vi, ab aliquo sydere consimilem facultatem Iluæ aut Idæ Insulæ

Ar. in 4. Phys.

attributam conseruatamque crediderim. AL. At cur præstat in Septemtrionibus quàm in Iluâ conuersionis efficacia? I. C. Propterea quod vniuscuiusque naturæ particularis principium est aliquod in vniuersali rerum parente naturâ, quod totius cuiuspiam præ se ferat rationem, sic à mari & ad mare aquæ omnes dicebat Salomon. Sic Elementa habent certis spatijs designata loca, in quæ sese conferant tanquam ad principia sua. Est igitur in naturæ partibus sparsa potentia illa syderetica, cæterarum omnium matrix quasi sit illa Cœli pars, quę Septemtrionali puncto illi imminet. Natura igitur propter totius conseruationem quæ in vnione consistit, superiora & nostratia perpetuâ necessitudine cōiungi appetens, sibi concors atque consentiens, ferrum Magnete oblinitum ad eam dirigit Cœli partem, quæ illius respondet viribus. ALEX. Ego quoque in mutuum consensum, ac concordiam refero, qua alter alteri similitudinis ratione, qua perficitur attractio, mirificè afficiatur, sic vt Magnes odoretur ferrum in montibus Septentrionalibus, ex quibus erutus est, non secus, quàm vultures cadauera maxima locorum distantia, biduo etiam vt plerique opinantur, antequam cædes facta sit. Quemadmodum rhabarbarum, & scammonium flauam bilem expurgant, epithymum, polipodion, sena humorem melancholicum, agaricus pituitam, succinum festucas, ac paleas allicit. Argentum viuum auro maritari

gaudet: complures herbæ mutuo complexu, ac vicinitate delectantur, alia inter se dissident, & alterius contactum respuunt, ita simili affectu, & inclinatione Magnes semper Septentrioni obuersa Polum commostrat. I.C. Effectum rei conspicimus, causam verò ignoramus. ALEX. Sat scio, & Agrippæ libellum de scientiarum vanitate non improbo, sed rogo te, mi Iuli, pomarium ingrediamur, vt leuetur aliquatenus huiusce disputationis molestia, aeris insuper amænitas humorũ fuliginem, crassosque spiritus, qui mentem nostram obnubilant attenuãs, vitales spiritus exhilarabit, qui enim paulo ante cohibiti erãt, exiliunt aura placida, ac suaui spiranteque fauonio recreantur. I. C. Profecto vt fumi, ac vapores reseratis ædibus, ostijsque patefactis immisso vndique aëre, atque externis flatibus dissipari solent, ita in nostris corporibus omnes graues alitus, & si qua corpori memphitis inhæret, aut mæror animi discuti contingit, atque euentilari, sed interim, ô pueri, parate nobis prandium.

DIALOGVS XXVII.

De Plantis.

ALEX.

MAgnus roſarum hic ſpirat odor ad ſpiritus recreandos aptiſſimus, ſed ego illud demiror, ſilueſtres ſcilicet plantas odoratiores eſſe hortenſibus & domeſticis, generis tamen eiuſdem. I.C. Ita eſt, quia minus humoris hauriunt è ſolo tenuiore. ALEX. Cur igitur roſa culta melius olet? I.C. Quia ſucci opus habet temperatioris. ALEX. Contrarium exiſtimaui ſemper. I.C. Cur ita? ALEX. Quia à plurimis audiueram, ſi allia prope roſas ſerantur, eas euadere odoratiores. I.C. Ita quidem eſt, non quia illorum ſuccum imbibunt, ſed quia illorum acrimonia & caliditate inſitæ roſis vires excitantur, atque eliciuntur. ALEX. Perpulchrè quidem. Sed cur hæ roſæ quum dici æſtum diutius paſſæ fuerint, ruborem amittent? I.C. Quia natiuus calor à Cæleſti adiutus euehet calorem naturaliter ad certum gradum, ad quem ſine illius adiumento peruenire nequit, illo opere perfecto peregrinus calor abſumpto humido tenues partes, in quibus calor ſuas ſedes habet, depopulabitur, ſic & à cera

videmus insolatione colorem tolli, aufertur enim ab ea mel: eæque partes expirant, quarum tenuitate conflatur color. ALEX. At cur rosæ cortex spinosus est? I.C. An quia est in eo raritas quædam per quam ascendit humiditas, quæ Solis vi concrescit. An rosa odorifera cum sit, eius planta terrea est & sicca, odor enim è tenui terreo; At illud terreum siccum per totam plantam diffusum effecisset, vt planta cito exaresceret, expellendus igitur erat, nec conueniens visum est naturæ, vt in folia exciperetur, quia celerrimè excidissent: Ergo per corticem, quem cum sine mucrone scindere non posset futurus humor, in spinas formatus erupit. ALEX. Perdoctè, sed cur spinæ sunt figura piramidali? I.C. An à crasso prodeuntes in mucronem attenuantur, propterea quod stipiti circumfusus aer, paulatim eius partes adauget, id quod in plantis ipsis etiam euenit, tenuiori namque cacumine sunt? An verò Piramidalis figuræ subtiliorem assignabimus rationem. Basis alimento propior est, atque iccirco latior, angustior verò in fine, quia à pabulo remotior, sic & racemorum facies & stirpium ferè omnium talis est. ALEX. At in Piris & cucurbitis secus est, excrescunt enim in extremum magis. I. C. Id accidit propter humoris tenuitatem, atque lubricitatem, nequit enim se continere, sed quo magis potest, defluit. ALEX. Multis est hic hortus ornatus flosculis. Vide, quæso, & contemplare quàm scitè

ſeſe ad Solem flos ille conuertat. I. C. Nugaciſſimi circulatores Platonici aſſerebant venerationis & duliæ ergo id effici à floribus. Quare Proclus mendaciorum pictor egregius nominat aliquas herbas, quas ait multa iungi neceſſitudine cum Sole & Luna, quibus etiam hymnos concinunt. Quinimo in his herbularum conuerſionibus plauſum quendam non incompoſitum in aerem dari, qui Cæleſti reſpondeat harmoniæ. Al. Sed quis vnquam excepit flores cum Sole & Lunâ colloquentes? I. C. Proclus reſpondet id latere omnium mortalium aures, quia nulla ſenſilis ad ſenſum proportio intercedat. Al. Iam ſi ſenſu non percipitur, ſed animo tantùm, diuina ſane res eſt: eritne ergo plus diuinitatis in floſculis, vt Solem & Lunam deuenerentur, quàm in tot Ethnicis, qui gelida ſaxa, putrida ligna, fœtidorumque Cadauerum cineres colunt, deoſculantur, eiſque ſtatuunt aras, preceſque fundunt. I. C. Addebat ille hymnicines hos flores inſipientium animis non innoteſcere. Alex. At enimuero ſi Cæleſti concentui occinunt, gradu tantum non ſpecie ab eo differunt, nos autem, quos ille vocat inſipientes, hactenus arbitrati ſumus hæc omnia noſtratia & illa cœleſtia etiam plus quam genere differre, neque vlla rerum ſeries noſtris vocibus noſtriſque concentibus conuenire poſſe. Profecto inſanire me cogunt hæ Platonicæ fabellæ. I. C. Peripateticorum ergo rationes addu-

cam. ALEX. Apage, rectius erit mandare eas Græcorum fidei. I.C. Aliqui dicunt huius floris tenue humidum ad Solis calorem se habere, quemadmodum & corium ad ignem. ALEX. Huic opinioni assentiebatur Præceptor meus. I.C. Non ego, nam rosæ tenuissimum habent humidum, ad Solem autem minime conuertuntur: è contra vuæ genus illud quam iccirco streptum vocãt ad Solem conuerti scribit Plinius, de illius tamen humido nihil habeo quod dicam. ALEX. Aliorum igitur sententiam referas. I.C. Asserũt aliqui, flores Solis vi exsiccatos superueniente frigore constringi illius occasu: Postquam vero nocturnum humorem imbiberint, succo repletos, ac inflatos à matutino reducis Solis calore adaperiri. ALEX. Arridetne tibi hæc sententia? I.C. Certum est non omnes flores ad Solem sese pandere, sanè non Iridem, sed clauditur. ALEX. Vnde id accidit? I. C. Quia parum obtinet humidi particulis calore digestis abeũtibus, facile clauditur, quia curuatur, curuatur autem, quia rarefactis meatibus necesse est in abeuntiũ partiũ vacua loca solidas partes succedere, condensatur ergo superficies, ideo fit breuior & constringitur. ALEX. Subtilissimè. Sed cur alij flores noctis frigore contracti, ad Solis aspectum sese soluant, rationem reddas. I. C. Quia tenue humidum exugitur, Itaque humore suscepto, atque moto remitti in latitudinem contractas partes necesse est. AL. Sed quæso Fracastorij. Sententiam recites, si eam memoria tenes.

I. C. Lubenter is igitur ita scripsit, *à stellis nulla attractio fieri potest, nisi quæ à calore per accidens fit, calefactis quibusdam, quæ mox per naturam sursum tollantur, aut fortè circumaguntur cum Sole, vaporibus, qui in vna parte facti sunt, & successiuè de vna in aliam fiunt, recipientibus impetum successiuum, & in orbem, sicut principiũ à quo generantur, in orbem fertur, vnde accidit quosdam teneros flores, & folia propter humiditatem circumuerti cum sole.* Alex. Inuoluunt hęc intellectum meum. Si me amas igitur, paucis verbis horum omnium, quæ tetigisti, rationem dicas, Cur herbæ aliquæ flores suos conuertunt ad Solem, aliæ aperto Sole aperiuntur, nonnullæ vero cõstringuntur, non paucæ solstitio frondes inuertunt. I. C. Satisfaciam quàm breuissimè potero. Asseramus igitur hosce motus non à plantarum principijs, sed ab extraneis fieri. Cælestis enim ille calor similes sibi partes, quæ in floribus sitæ sunt, ad se attrahit, & languidiores laxat, atque exugit, quasi repetẽs id quod suum est, viuidiores autem corroborat, frondes vero non obuertunt sese, sed obuertuntur potiùs ęstus violentiâ, quemadmodum alia quoque crispantur, alia siccitate incuruescunt. Alex. Proh dij immortales quàm doctè, quàm dilucidè hæc explicas, & me doces. Sed quænam illa plãta est? I. C. Pulegium. Alex. Sciebam equidem, Sed quæso, mi dilectissime Iuli, dic mihi cur planta hæc emittit flores in solstitio æstiuo iuxta & in brumali? heîc profectò balbutire mihi videtur Philosophus, nam siccum cum sit pulegium nimiâ

Fracast. de Sympath. rer. cap. 7.

in ſiccitate germinare haud poſſe videtur, nam parua etiam ſiccitas ſuperueniente ſiccitate fit maior, illæ autem ad generationem conducibiles dijudicantur tempeſtates, quibus exceſſus temperantur, at ſiccitatis exceſſus, quî poteſt exceſſu ſiccitatis moderari? quod in brumalibus diebus floreat, non miror, quippe aduerſis temperatur qualitatibus. At cur in vtriſque extremis eidem plantæ flos erumpit? I. C. An dicam ego pulegij naturam eam eſſe, vt velit eſſe quàm ſicciſſimum, itaque in ſabuletis lætiùs, in pingui ſolo degenerat atque marceſcit. Sicciſſimis ergo temporibus floret, talis autem eſt bruma cum frigore, tale ſolſtitium cum calore. Alex. At quare ſub aduerſis alijs duabus qualitatibus? I. C. An negabo tibi, brumæ frigore temperari ſed potiùs circumuentum calorem internum obſeſſione frigoris circumſtantis collectum in ſeſe, atque confirmatum effundere ſolere flores: ſolſtitio verò corroboratum ſimili cognato expetito calore foras euocari. Alex. Procul dubio ſi Theophraſtus in viuis eſſet, rei herbariæ dictaturam tibi libens concederet. I. C. Quid ſentis de illa arbore, quam parieti proximam inſpicis? ſemotâ omni arte diſſimiles ac inter ſe diuerſos producit fructus. Alex. Idem de malo medica, ſcribit Theophaſtus, ſed rationem ſcire percuperem. I. C. Quia conſumpta certos in fructus priore materia, quaſi ſecundariam manum ex aliâ nouâ nouos aliùs ideæ fructus in naturæ ſcenam exponit. Poſſe vero arborem vnam diuerſos forma fructus edere, eiuſ-

dem rationis eſt,ac ſi quis quærat, cur ſapore diuerſos,cauſa eſt materiæ diſſimilitudo, quæ non æqualiter concoqui potuerit: At cur eodem in fructu partes non ſint eædem,cauſa eſt ſucci diuerſitas & poteſtas multiplex. Eſt enim anima ſimplex & vna poteſtate multiplex & multa: Itaque perfectior anima contrariorum etiam motuum author, quemadmodum ergo poteſtas eſt generãdi corticem, frõdes,ramos,flores,fructus,medullas,tegmina, pulpas,ſemina,ſic varias fructuum formas edere poſſe abſurdum non eſt. ALEX. Scitiſſimè cauſam explicas.Sed admirabiliora proferam,ex eodem palmite racemos nigros, & albos pendentes vidi.Petij à Colonis an inſitionis eſſet opus;negarunt.I. C. Quinimo illud me magis in admirationem rapit quod Theophraſtus vidiſſe ſe perhibet, in eodem racemo albos & nigros acinos, vtroſque tamen maturos. ALEX. At quomodo id fieri potuit? I.C.An cum tanto heroe in re herbaria mutationis cauſam ſtatuemus in alimento tãquam in agente,& in vite tanquam in patiente?Subtiliùs tamen ego dicerem,non mutare alimentum,ſed mutari ipſum,& fieri corpus. Vulgata eſt apud omnes Philophi ſententia, Cibum in aliti ſubſtantiam conuerti,quare ſic alibi alimentum definiuimus, id quod futurum eſt hoc,cuius ratione dicitur alimentum, quare ex alimenti diuerſitate colores à viuentibus immutari certum eſt.de pecoribus, Xãti fluuij nomen teſtatur,namScamãdro ei no-

in ſiccitate germinare haud poſſe videtur, nam parua etiam ſiccitas ſuperueniente ſiccitate fit maior, illæ autem ad generationem conducibiles dijudicantur tempeſtates, quibus exceſſus temperantur, at ſiccitatis exceſſus, quî poteſt exceſſu ſiccitatis moderari? quod in brumalibus diebus floreat, non miror, quippe aduerſis temperatur qualitatibus. At cur in vtriſque extremis eidem plantæ flos erumpit? I.C. An dicam ego pulegij naturam eam eſſe, vt velit eſſe quàm ſicciſſimum, itaque in ſabuletis lætiùs, in pingui ſolo degenerat atque marceſcit. Sicciſſimis ergo temporibus floret, talis autem eſt bruma cum frigore, tale ſolſtitium cum calore. ALEX. At quare ſub aduerſis alijs duabus qualitatibus? I. C. An negabo tibi, brumæ frigore temperari ſed potiùs circumuentum calorem internum obſeſſione frigoris circumſtantis collectum in ſeſe, atque confirmatum effundere ſolere flores: ſolſtitio verò corroboratum ſimili cognato expetito calore foras euocari. ALEX. Procul dubio ſi Theophraſtus in viuis eſſet, rei herbariæ dictaturam tibi libens concederet. I.C. Quid ſentis de illa arbore, quam parieti proximam inſpicis? ſemotâ omni arte diſſimiles ac inter ſe diuerſos producit fructus. ALEX. Idem de malo medica, ſcribit Theophaſtus, ſed rationem ſcire percuperem. I. C. Quia conſumpta certos in fructus priore materia, quaſi ſecundariam manum ex aliâ nouâ nouos aliûs ideæ fructus in naturæ ſcenam exponit. Poſſe vero arborem vnam diuerſos forma fructus edere, eiuſ-

dem rationis eſt,ac ſi quis quærat, cur ſapore diuerſos,cauſa eſt materiæ diſſimilitudo, quæ non æqualiter concoqui potuerit: At cur eodem in fructu partes non ſint eædem,cauſa eſt ſucci diuerſitas & poteſtas multiplex. Eſt enim anima ſimplex & vna poteſtate multiplex & multa: Itaque perfectior anima contrariorum etiam motuum author, quemadmodum ergo poteſtas eſt generādi corticem, frōdes,ramos,flores,fructus,medullas,tegmina, pulpas,ſemina,ſic varias fructuum formas edere poſſe abſurdum non eſt. ALEX. Scitiſſimè cauſam explicas.Sed admirabiliora proferam,ex eodem palmite racemos nigros, & albos pendentes vidi.Petij à Colonis an inſitionis eſſet opus;negarunt.I. C. Quinimo illud me magis in admirationem rapit quod Theophraſtus vidiſſe ſe perhibet, in eodem racemo albos & nigros acinos, vtroſque tamen maturos. ALEX. At quomodo id fieri potuit? I.C.An cum tanto heroe in re herbaria mutationis cauſam ſtatuemus in alimento tāquam in agente,& in vite tanquam in patiente? Subtiliùs tamen ego dicerem,non mutare alimentum,ſed mutari ipſum,& fieri corpus. Vulgata eſt apud omnes Philophi ſententia, Cibum in aliti ſubſtantiam conuerti,quare ſic alibi alimentum definiuimus, id quod futurum eſt hoc,cuius ratione dicitur alimentum, quare ex alimenti diuerſitate colores à viuentibus immutari certum eſt.de pecoribus, Xāti fluuij nomen teſtatur,nam Scamādro ei no-

Arist. in 9. sect.

In 4. de gener. anim. t. 1.

Lib 5. de gener. anim.

men fuerat. Quin & Aristoteles ipse scripsit aquarum mutatione colores mutari in animātibus, præterquam in coruo, alibi, inquit, Potissimum propter aquam ex qua capiunt alimentum, eius enim vsus communis est omnibus etiam siccis ipsis ad alendum, & coruos albos, & perdices, & vrsos agnoscit idem. In Suecia lacus est nigras continens aquas, piscesque alens concolores, Incolarum quoque, qui eis vescuntur, color subniger est. Capitis pediculi, honor sit auribus, nigriores, quia succus ibi pinguior, ad cœteras corporis partes albidiores, quia siccius excrementum, In Catello candido pulices dilutiores, in ruffo fului, in nigro nigriores. Quid remota adduco exempla? In his pisculentis 40. diebus capillos meos nigerrimos euasisse animaduerti, ob quotidianum (ni fallor) spinacæ esum: quare medicamentum accepi ad pituitosos & melancolicos humores vi Agarici, & Rheubarbari detergendos. Atque ita aduenientibus paschalibus cibis crines facti sunt dilutiores, sic ex alimentis colores in animantibus contrahuntur, nec mirum, sicut enim animus ex auditu stolidus, sapiens, malus, bonus fit, alitur enim his, sic corpus cibis cum enutriatur, fit ex eis nigrum, album, rubrum, pallidum &c. Sic etiam pro alimentorum varietate colores in vite discriminantur. ALEX. Eruditissime quidem, sed difficultas adhuc mihi superest, si nigra vitis ad suos acinos trahit succum nigrum, quomodo ex eadem radice seorsim trahit al-

bum? I. C. Forſitan radicis partes diſſimiles ſunt, atque ita ceſſat difficultas. Alex. Quid ſi conformes? I.C. Dicerem, alimentum non ſemper à radicibus ſubmitti, ſed in ramis quoque vigere tum ſuccum, tum etiam ſucci vim mutatricem genitalem, vt patet in ſalignis virgis abiectis, quæ nec defixæ quidem germinant, id quoque inſitionis comprobat experimentum: Quippe ſurculus inſitus etiam alienum trahens ſuccum, nihilo ſeciùs tranſmutat in ſuum. Ratio eſt in principijs vitalibus quæ inſunt in anima, at anima tota eſt in qualibet parte, vt in 2. Amphiteatri libro oſtēdimus aduerſus Hippocratem exiſtimantem, ab omnibus generantis partibus deduci ſemen, ac proinde corpus quod ſemen fabricat, quam ſententiam erroris redarguunt integri homines ex mutilis parētibus geniti. Quare licebit nobis aſſerere, radices non eſſe principium ſpeciei ad formam, ſed indiuidui ad vitam ob alimenti miniſterium, quippe ab eadem radice varios prodire colores & fructus mirum non erit, cum in qualibet viuentis rami parte adſit ſuccus, & vis genitalis ſucci mutatrix. Alex. Quam doctiſſimè, quam elegantiſſime. Sed quia Sol nimis nos excalefacit, propterea quod heſterna die imbribus exoneratæ ſunt nubes, atque ita deletæ: quare ſolijs radijs non ſunt impedimento quominus nos valide feriant, ſub illius Apollineæ arboris vmbra conſedeamus. I. C. Iſtud ego non aſpernabor, nam & Laura olim amaſia mea

fuit,& sicuti laurus semper virescit,ita & amor illius in corde meo? Alex. Ne suspiria,quæso, imo de pectore fundas, quin potiùs mihi rationem reddas, cur huic plantæ nunquam folia decidant. I. C. Poteras hæc subticere,ne cor meum vulnerares, & de alijs plantis causam inuestigare,eiusdem namque generis sunt,Palma,Citrus, Pinus,Cupressus, Ceratia,Picea,Buxus, Ilex , Mirtus , Cedrus, Iuniperus , Abies,Salina,Aquifolium,Taxus, & Andrachren in Græciâ,Vnedon apud nos. Alex.Eia igitur quàm potissimùm perpetuæ horum omnium viriditatis causam assignas? I. C. An perpetuo foliorum honore vigent iuxta Ioannis Mariæ Genochii Clauaro-Genuensis Philosophorum præstantissimi sententiam,quia cœteris calidiores sunt & ficciores? Alex. Perplacet.I.C.Mihi non item. Alex. Quam ob causam? I. C. Nouellæ quidem Amigdali non amittunt hyeme frõdes, cadũt adultis,quæ tamen ficciores sunt,non ergo causa est ficcitas: neque caliditas, frigidam prædicãt omnes Cupressum,hæc tamen semper viret.Alex.Alter Philosophus Genuensis Magister Gregorius Spinola Theologus Carmelita obstructioni id ascribit in suis phisicis commentarijs.I. C. Noui virum illum omnibus virtutibus circunfertum, & Galero sane Cardinalitio dignissimum, eius tamen opinione non subscribo, quinimò è contrariò foliorum casum ad obstructionẽ refero.Alex. Cur ita?I.C.Quia frigus venularum oras,quibus

bus traducitur alimentum, condenſat, atque ideo frondes abſiſtere neceſſe eſt. ALEX. Ego verò dicerem, quibus alimentum perpetuo ſuppeditatur, perpetuam ineſſe frondem: quæ verò arbores amittunt folia, eas alimenti ſentire diſpendium. I. C. Aſſentiri non poſſum, Nam Tauriſani in meo viridario vidi cum puer eſſem, è malis hyemis ſæuitiâ conflictatis ne vnum quidem cadere folium. ALEX. Quid in cauſa fuiſſe exiſtimas? I. C. Ipſius ſucci tenacitatem, quæ ſuo lentore ſibi ipſa ſufficit, quemadmodum animalibus quæ ſine cibo latent hyberno tempore, ſic etiam ipſis in arboribus perpetui folij intelligendum. Quare laurum retinere hyeme frondes aſſerimus non tantum quia ad eas tunc attrahit alimentum, ſed quia calore, lentoréque ſuo ſuccum, quominus aboleatur, in pediculis ſeruat. Vtque generali ad omnes illas arbores reſponſione tibi ſatisfaciam, dico, euenire illis hoc perpetuæ viriditatis præſidium, formæ beneficio, cuius in fide atque clientela eſt ſucci conſtantia, copia, calor, viſciditas & pinguedo: vtque craſſiori Minerua rem expediam, concludo, non paucis perpetui folij cauſam eſſe, quia humor ab arboris matrice ad folium transfuſus non intercipitur, alijs cauſam eſſe vel craſſitiem vel ſucci talis craſſitudinem, vt à frigore neque conſumi, neque prohiberi queat. ALEX. Sciti ſſimè. At dum Laurum inſpicio, maior mihi ſuboritur dubitatio. I. C. Quænam illa eſt? proponas audacter. ALEX.

Theophrasti regula est, fœcundas arbores celerius consenescere. I. C. Ita est, Nam diuturni pensi perpetuatione fatiscunt, quia succus qui debetur matribus, abit in sobolem, atque ita vitæ principia euadunt debiliora. Explico, semen in arbore est quid primarium & perexcellens, sicut in animalibus genitale semen sanguinis pars est elaboratissima, vt ex finis ipsius ad quem semen apparatur, contemplatione innotescit. Dicitur semen arbor potestate, quapropter cum arbor vna multa ferat semina, multas quoque arbores ferre dicetur, ergo sese vna in multis millibus repræsentando, multum amittat sui necesse est. Sed vt subtilius loquar. Fœcunda arbor duplici fit de causa imbecillior. Prima est quasi formalis, quia cum succo abeunte exhalat multum spirituum, simul igitur etiam est materialis, vtraque interna, si abit materia, & forma, cum idipsum Arboris nihil aliud præterea sit, necessum est imbecilliorem fieri. Altera est accidentalis in situ partium, quia fit laxior, causis propterea, quæ extrinsecus ingruunt, noxijs opportunior: patet id etiam in animalibus, quæ nimium Veneri indulgent, ea namque parum viuunt, quare non desunt authores qui passerum nullum excedere bimatum existiment; & memoriæ prodita sunt apud Platonem Atletharum nomina, qui, vt valentiores essent, victoriarum spem in libidinis abstinentia collocarunt. Idem euenit plantis, nam fruges & olera postquam fructum suum

tulerunt; eorum operis, atque vitæ idem finis eſt: at quod his ſemel fit, arboribus ſæpe contingit; Quare Theophraſtus arbitratur, arbores poſt fructificationem quaſi interire, ſed latere nos, quia non ſit vera mors, ſed quies, & otium à labore: Idcirco ſomnũ quoque plantis attribuit Anaxagoras. ALEX. Eruditiſſimè. Sed hac ratione Laurus longiſſimæ vitæ eſſe deberet, vtpote quæ minus fœcunda exiſtit, cur igitur ſecus euenit, vt parum viuat? I.C. An quia Laurus multos non ſolum ſtolones fundit, verumetiam primàrios eoſque ingentes edit fouetque ſtipites non paucos? An laurus vitijs obnoxia eſt propter laxitatem, quare aer facilius in ea laxa ſpatia ſeſe inducit: ſub Lunâ magis, quia tunc aer humidior, ſub Sole citiùs, quia extraneus calor validior: Putreſcit igitur citò laurus, quia ſuccus internus ab externo vincitur. ALEX. Occaſionem nunc mihi ſubminiſtras interrogandi de arborum fructuumque corruptione, quam quia generatio conſequitur, peto à te, vnde in fructibus, & arboribus vermiculi congenerantur? I. C. A putredine. ALEX. At quomodo à putredine, ſi putredo omnis humida in primordijs ſuis, vermiculos autem è ſicco fieri ſcripſit Theophraſt. & experimentum teſtatur, in vetulis enim, & arefactis arboribus ſæpenumero progignuntur. I. C. Id verum eſt, ſed nihilominus ex putredine. ALEX. At quomodo eſt putredo in ſicco? I. C. Quia ſicca naturalem amiſere ſuccum, peregrinum

admisere, quare ex defectu humoris debiti, & aduentu aeris humidi, id quod arbori naturale non est, putredo fit, & ex putredine vermes. Præterea sicca arbor rari corticis est, quare in ea laxa spatia aer facilius sese induit. Insuper exsiccationis causa feruor loci est, calor autem in quacunque generatione etiam spontanea necessarius est. Alex. At quomodo ex siccitate vermes, si in Vere, quod valde humidum est, vermium copia conspicitur? I.C. An cum Theophrasto dicam, non in arboris substantia tunc concreari vermes, sed extra. Alex. At quomodo extra tunc generantur? I.C. A putredine. Alex. At quæ tunc putredinis causa? I. C. Imbres, inquit ille. Alex. At si materia putredinis humor est, & imbres sunt humor, quomodo imbres putredinis effectores? imò materia sunt potius. I.C. Dico, materiam esse internum humorem à calore destitutum, calorem destituere, quia ab extranei humoris impressione extinguitur, extraneus humor imber est, est igitur effector imber. Alex. Perdoctè. I.C. At Pueri nos vocant ad prandium, eamus, si placet, nec enim deerit à prandio differendi commoditas. Alex. Quæso, priùs dic aliquid de plantarum alimento. I. C. Nimis longa quæstio hæc est. Edulia calida mihi placent, his enim lætatur anima, quam cæleste calidum esse dicebat Hippocrates. Alex. Id solum scire desidero, an plantæ marinis aquis alantur? I. C. Plutarchus id pernegat. Alex.

Quam ob cauſam? I. C. Ob craſſitiem, qua ſubire nequeat, ob grauitatem, qua impediatur aſcenſio, necnon ob vim deſſicandi, qua tollitur alimentum, & propter pinguedinem, marinæ autem aquæ pinguedinis argumentum adducit, quòd ardeat. Alex. Satis doctè, vt mihi videtur. I. C. Ego verò nec pili facio has rationes; prima nulla eſt; neque enim tam craſſa eſt, quin per plantæ meatus tranſmitti queat; à grauitate petita ratio perridicula eſt, nam ſi à Sole ſolo tolluntur de mari nebulæ, cur non à Sole, & à plantæ vi? Maris ſalſitate terra grauior eſt, arborum tamen cacumina multa ſunt terra conſtituta, quæ ab imis petita, attractaque radicibus eſt. Pituita, ſanguis & atra bilis ſæpenumero craſſa ſunt admodum, atque etiam ſalſa, nihilominus ſubeunt cerebrum. Tertia ratio aſſerit, à ſiccitate, tolli alimentum, aliqua in parte concedo, non ex toto, modicum tamen nutrimentum marinis plantis ſufficiens eſt ob ſiccitatem, nam & terreſtres animantes, quæ ſicciſſimæ ſunt, pauciſſimo contentæ ſunt alimento, velut Africanæ feræ, quæ rariſſimè bibunt. Eſt etiam inter illas, quæ nunquam bibit, imò eadem, teſte Scaligero, iniectâ in os aquâ, ſtatim interit, vt omittam Spinam Ægyptiam in ſabulo, & excocto, & ſalſo naſci. In ſicciſſimis locis viuere plantas Æthiopia teſtatur. Quot dulciſſimæ ficus ſunt in ſabulonibus, & arenoſis Apuliæ litoribus? Demum nullus eſt qui neget, pingue

esse aptum ad alendnm. quot reperiuntur pingues arbores, frutices, herbæ, oleo resinâ, lacte abundantes. Sanè ex Platano fieri posse oleum experimento compertum est. Alex. Censes igitur ali plantas marinis aquis? I.C. Ita equidem. Nam & maritimæ plantæ maris alimento fruuntur, neque in terram translatæ viuunt. Crescit sanè, atque alitur in mari corallus. Prason Marinum, quod est sub aquis admodum prolixum, si transferatur in aruum, longe breuius fit, quinimo nullum prorsus euadit. Pipones è Venetis littoribus grandissimos suauissimosque Pataui esitauimus. Alex. At enimuero exempla hæc probant, ali plantas in salso, non autem ali salso: ali autem in salso mirum non est, nam in salsâ dulcis continetur: Quare alligatis ad nauigiorum latera lanis exprimitur ad bibendum dulcis exhalatio; Tunc sic, in aqua salsa plus aquæ dulcis inest, quàm in terra sine aqua, at in terris, in quibus aqua non est, nutriuntur arbores, ergo tanto fortiùs in aquâ salsâ. Hinc inferebat Philosophus, pisces in salso quidem, non ex salso ali, sed ex dulci, quare & dulces sunt, ex ijs namque sumus, ex quibus alimur. I. C. Hæc omnia desumpsisti à meis Phisicis commentarijs, quos adolescentulus dictabàm? Quid si autem & salso ali plantas ostendam. Alex. Huius probationem expecto. I.C. Sed interim si placet ad cœnaculum accedamus. Ex ijs (inquis tu) viuimus, ex quibus sumus, at multæ plantæ

ſalſæ ſunt, vt ex Theophraſto, Halimon præcipuè & Edera, quæ ſuâ connatâ ſalſugine necant ſtirpes, ergo & ſalſis enutrientur. Alex. Salſæ hæ ſunt plantæ, quia ſuccos dulces in ſalſuginem mutant: I.C. Et ſi immutant dulces ſuccos in ſalſedinem, nonne admittent ſal ſi nactæ ſint? è quercûs cinere fit ſal, non igitur eius alimento repugnabit quod in eius eſt ſubſtantiâ. Ex ijſdem ſanè aluntur, quibus conſtant animantes: Sed & plantas aliquot non niſi prope mare, quaſi ſalſedinem appetentes ali poſſe Theophraſtus tradidit, addens, Palmam aggeſto ſale iuuari plurimum: quemadmodum & inter olera, betam, braſſicam, rutham, erucam, arethmon ad hortenſes parietes frequentibus vrinis forte perfuſos lætiſſima euaſiſſe deprehendimus. Nimirum maris accolæ ſentiunt à maris affinitate beneficium. Androſtenes narrat, in Tylo Inſula, rubri maris aquâ arbores fieri nitidiores, eamque ab hortulanis peti ſolitam poſt imbres ad irriganda ſata. Quid immoror? Quot inueniuntur plantæ ſalſuginem præ ſe ferentes, veluti matricaria, tenuifolia, ciceris genus, & lupini. Alex. Sed dic quæſo, cur lupini & ciceres fluuiali aquâ meliùs quàm puteana coquantur? I.C. An quia ſubtilior illa cum ſit, in illorum meatus facilius ingreditur ignis vi, ipſamque vim ſimul inferens, calore & humectatione teneritudinis cauſa eſt? An quia

fluuiatilis aqua plus insolata est ? Sanè scripsit Philosophorum magister, pusillos cucumeres, si terra obruantur, grandescere magis, quia minus aeris calore discoquantur? ALEX. At cur quidam ciceres quò diutius coquuntur, eò fiunt aliquando duriores? I. C. Quia quantum inest humoris aerei consumitur, & aqueum terrestre quod reliquum est, coit vt in ouorum coctione fit. Sed heus pueri effundite aquas ad manus abstergendas. Tu verò Tarsi preces ad Deum dirigas.

DIALOG. XXVIII.

Alexander, Julius Cæs. & Tarsius puer à poculis.

TARS.

Hunc nitido precor intuitu
Flecte salutiferam faciem
Fronte serena & irradia,
Nominis vt sub honore tui
Has epulas liceat capere,
Te sine dulce nihil Domine,
Nec iuuat ore quid appetere,
Pocula ni prius atque cibos
Dominicus fauor imbuerit.

ALEX. Pia admodum, & elegans oratiun-

cula. Sed mirum ædepol, quomodo aqua, quæ in ſicco nunc decidit, in rotundam ſeſe contraxit figuram. I.C. Huius rei cauſam reddidit Fracaſtor. Sed heus tu puer Fracaſtorij libellum de Simpathia accipe, & quæ folio.81. verba habentur, perlegas. ALEX. Quid iſtuc rei eſt? Monaſtico more inter prandium lectiones etiam excipiemus? TARS. *In puluere & pennis & alijs ſiccis aqua non conſiſtit, ſed aut elabitur, aut in guttulas rotundatur, rotundatur autem, quoniam duobus modis aqua ſitum naturalem exquirit, vno modo motu Elementi deſcendendo ad locum proprium quando poteſt, poteſt autem cum ſuper aliquo plano ſtatuitur quod contrarium non ſit, & deſcenſum eius non impediat vt ferrum & lapides, & id genus, ſuper quibus coextēditur & deſcēdit aquæ quantū poteſt, alius modus eſt, quum non totum extra mouetur, ſed partes in toto, quærentes conuenientiſſimum ſitum, quod tum fit, cum incidit in ſubiectum quod propellit vndique partes, quod faciunt multa ſiccorum per contrariam ſpeciem, propter quod non motus Elementi fit ad locum ſuum, ſed partium in toto ſeſe apte locantium, quantum expedit & bene eſt, talis autem ſitus eſt cum partes contrarium tangunt ſecundum minimum quo poſſint, & quo magis vnitæ ſunt, & propinquæ inuicem, quæ omnia maximè præſtat orbicularis figura, quæ & in puncto tangit, & breuiſſimas habet ad centrum lineas, propter quod aqua in ſicco incidens conglobatur* ALEX. Barbaræ Fracaſtorij phraſes ſtomachum mihi feciſſent, ni dulcis pueri vox dulcoraſſet. I. C. Cardanum nunc de Subtili-

Fracaſt. de Symph. c. 9.

Card. de subt. l. 2. c. de Mixtis.

tate heus tu puer accipias. TARS. Hic est. I. C. Perlegas in folio ducentesimo nonagesimo octauo. TARS. Excusatum me habeas Domine, nam huius libri lectio Apostolico decreto mihi interdicitur. I. C. Rectè facis, Ego igitur, qui ab Illustrissimo D. meo D. Cardinali Vbaldino omnium bonarum disciplinarum instructissima Bibliotheca facultatem obtinui, perlegam. *Causa cur in puluere, atque etiam in sicco rotunda euadunt, argentum viuum, & aqua est, quoniam refugiunt contactum sicci, at corpus in nulla parte minore potest corpus aliud tangere, quam in puncto, igitur argentum viuum & aqua conantur siccum in puncto tangere, hoc autem manifeste contingit, si rotunda euadant, nam sphera planum in solo puncto tangit; igitur partes aquæ & argenti viui dum super puluerulentam tabulam sparguntur rotundæ euadent.* ALEX. Acuta sanè tã Fracastorij quàm Cardani ratiocinatio. I. C. Falsa tamen nam & gutta cum cadit, in aëre globosa est, at aërem non refugit, non est igitur sicci fuga, si in humido idem fiat. Addam aduersus Cardanum, argentum viuum etiam in aqua conglobari, quemadmodum & in plumbi scobe etiã, at à scobe non refugit, imò ex ea quantum potest colligit, quod nequit, vt censeo, inuitum relinquit, natura enim & sua appetit, & vorat. ALEX. Perdoctè, sed propositum problema quomodo tu dissolueres? I. C. Conglobari aquam in sicco, non quia refugit siccum, sed quia cum sicco iam inijt societatem, quodquam ipsum habet illi det firmitudinem. Est

autem firmiſſima rotunda figura, quia continua eſt & vnilinea. ALEX. Sed linguæ, quæ per tot horas in aëre dearticulando elaborauit, vini mercedem perſoluamus alacriter. I.C. Cur aquæ vinum infundis, non aquam vino? ALEX. Quia mos eſt patriæ noſtræ, forſitan tu patrios mores cum Gallis commutaſti? I. C. O vtinā poſſem omnes, eſt enim hæc Natio Generoſa præ cæteris atque Inuictiſſima. ALEX. Aquam igitur vino infundis? I. C. Ita. ALEX. Quam ob cauſam? I.C. Eſt vini natura leuior, quare fundum non petet, id quod videre licet cum ſenſim immittitur, non ergo bene miſcebitur, ſane non vſque ad minimorum contactum: aquæ vinum innatat, at non vino aqua, quare in Calicis fundo imus potus inſipidus eſt: ſi aqua igitur Gallorum more vino infundatur, natura ſua grauitatis neceſſariò ima petet, & in illa tranſmiſſione optime commiſceri neceſſe eſt. ALEX. Profecto hæc mihi arridet ratio, atque ita in poſterum obſeruabo. Sed quæſo inter pocula & epulas diſquiramus, an in vino aqua diluto duæ ſint formæ, an vna tantum? I.C. Duas dixit Philoſophus, non aliter quam erant in ſuis totis antequam miſcerentur. ALEX. Quomodo hanc comprobas opinionem? I.C. Sunt ibi duæ materiæ, aqua ſcilicet & vinum, & duæ igitur formæ, nequit enim materia eſſe abſque forma, nec duas materias vna forma informare. ALEX. Exiſtimas ne actu eſſe illas duas formas? I.C. Ita. ALEX. Actu Mathematicè. I. C. Minimè, non

enim ſunt terminis præſcriptæ, atque ſeparatæ, ſed ſunt actu naturali, quia ſua quæque ſub propria forma manet. ALEX. Vnde id probas? I.C. Quia vinum ab aqua facile ſeparatur, quod fieri non poſſet, niſi formę ipſæ integræ, ipſæ partes ſub ſuis formis actu naturali ſeruarentur. ALEX. Ego exiſtimabam, potentia tantum eſſe ibi formas illas. I.C. Haud formarum naturæ conuenit, vt cùm actus ſint fiant potentiæ. ALEX. Memini D. Iacobum Aurea nobilem Mathematicum ſcholarem tuum ingenioſſimum, & magnæ ſpei adoleſcentem, retuliſſe mihi te in hac quæſtione aduerſus Ariſtotelem ſentire. I.C. Ita eſt, ſed Luna, quæ in mei genitura eſt apheta, mutabilem me reddit. ALEX. Imo ingenij vigor, quod ad omnia probanda eſt aptiſſimum. Sed quæſo quam aduerſus Ariſtotelem adducebas rationem? I.C. Eas perlegere potes in meis cõmentarijs in Ariſtotelis libros de Generatione. obiter nunc dicam, abſurdum eſſe in vno continuo plures ſtatuere formas, ſunt formæ actus materiæ quiſque ſuæ, quæ materiæ cum ſint à naturâ ad operoſiorem compoſitionem inſtitutæ, factum eſt vt commiſceri queant, pariter & formæ igitur commiſcentur, id quod confirmat exemplum equæ & aſinæ, quorum ſeminum formas miſceri certum eſt, alioquin mulus non generaretur ex eis. ALEX. Perdiſſicilis huius quæſtionis moleſtia bibendo leuetur, & profecto hi ſchiphi vitrei tam candidi ſunt, vt ad bibendum inuitent. I.C.

In l. 1 de Generat. exercit. 39.

Loti ſunt calido cinere qui quidem caloris impatiens exalat ſecumque vitri ſordes aufert,non ſecus atque lixiuium quo lintea emaculantur.eandem ob cauſam, calidam origani vim ad vinum purificandum aptiſſimam dixit Philoſophus. ALEX. Quid ſi hi perdices cicutam comediſſent, poſſent ne nobis officere? I.C. Minimè, non enim adeo vehemens eſt ſuccus eius,quin modico calore ante concepto vis obtundi poſſit, ſane publicus ille nocentiſſimæ fæcis mortalium miniſter Critonem admonebat, ne ſineret Socratem attentiùs diſputare,propterea quod ex illa mentis agitatione caloris aliquid contraheret: vbi vero ille ſumpſit,ortum eſt primũ à pedibus frigus, inde ad crura progreſſum eſt, cumque imum ventrem refrigeſcere ſenſiſſet, debemus, inquit, ô Crito, Gallum Aeſculapio, quem perſoluere ne neglexeris: quare cum noceat cicuta ob frigus,calore vis eius retunditur, non lædet igitur aues quæ calidiſſimæ ſunt,multo minus ipſarũ deuoratores, per ipſarum namque calorem naturalem venenum excoctum eſt atque tranſmutatum. ALEX. Suauiſſimum quidem eſt hoc iuſculum, ſed quid ſi Ancilla loco petroſelini cicutam apposuiſſet,quemadmodum miſerè accidit Frãciſco Trapolino Pomponatij præceptori. I.C. Ah, nimis ne es meticuloſus. ALEX. Scio quid ſum,non quid ero. I.C. Tuæ nihilominus valetudini conſultum volo. Si times, ſume tibi ex acetario rutæ paululum,cuius eſu mu-

nita atque armata Mustella intrepidè Basiliscum aggreditur, atque extra cauernas, in quibus delitescit, protractum conterit, quo demortuo, confestim illa se subducit, pastuque rutæ rursus efficitur, ne ex aëris ambientis cõtagione ac fœditate suffocetur. ALEX. Hebes factus est culter dum hanc vitulinam coxam concidit. I.C. Quid mirum? Calidi est vigorem ferri debilitare. ALEX. Cur ita? I. C. Quia calor soluit & laxat, acies vero in astrictione atque compactione. ALEX. Perpulchra sane ratio. I.C. Imo ego eam negligo, nam & huius citrij succus, qui nihilominus astringit, ferro stuporem (vt vides) incutit. ALEX. A quo igitur aciei vitium fit? I. C. Sanè à calore non dixerim, nam sicut calor differt partes, sic illæ cogũtur frigore, sed à lento calidæ carnis succo, qui lubricam cultri subitionem prohibet. ALEX. Apud Thephrast. legeram, Tiliam calidam esse, iccirco Dalabrarum vim retundere. I.C. Qua ratione calidam dixerit Tiliam plane ignoro. ALEX. Nonne legisti apud historiarum authores, Marcũ Antonium, cùm exactâ ætate nimiam ob proceritatem incuruesceret, tiliaceis assulis thoracem corrigere solitum, propterea quod calore suo fouerent semen. I. C. Forsitan ei pelles deerant ad calorem vel tuẽdum, vel etiam augendum? quare non ob calorem expetitam ad Imperatoris fomenta Tiliam suspicior, sed quia mediocris esset inter rigiditatem & lentitudinem, & ideo ad sustinendum absque læsione vlla peridonea. Sed

esto calida tilia, non recte tamen inde infert Theophrastus, ferrum retundere, nec enim id efficiunt laurus & fraxinus, quæ tamen tilia sunt absque controuersiâ calidiores. ALEX. Quam igitur ferri hebetandi causam in Tilia agnoscis? I.C. Lentorem. Heus puer Citria illa à pane calido amoueas. ALEX. Cur ita? I.C. Ne computrescant. ALEX. At quomodo id fieri potest? I. C. Perlegas puer Fracastorij libellum in fol. 105. Interim ego Cardani locum adinueniam. TARS. *Idem citrijs accidere insperso in eorum cumulum pane, putandum est: attracta enim in panem humiditate eorum atque illic ceu alieno in loco putrescente, principium reliquo datur, vt computrescat qua de causa flaccescunt ea mala.* I.C. Consentit Cardan⁹, sic enim scribit. *Citria seu medica mala calore panis putrescunt celeriter, cum à multis longe calidioribus minus lædantur, calidum enim illud, cum humidum sit, siccare nequit, & ob id putrefacit, ob id par est panis calorem omnia ad putredinem iuuare, sed hæc magis alia minus.* ALEX. Quomodo hi cucumeres, pira, & persica seruata sunt in aceto, quo vinum eius parens corrumpitur? I. C. Propter aceti siccitatem id euenit. ALEX. Cur ita? I.C. Quia internum naturalem calorem amplectitur, arcetque quo minus exeat, eademque potentiâ externi vim, & inuasionem prohibet. ALEX. Profectò esculenta omnia aceto irrorata mihi gratissima sunt, prohibet enim humores infici, ac putrescere. I.C. Caue ne nimius aceti tibi sit vsus, nam cerebro siccitatem

Fracast. de sympath. cap. 11.

infert, & somnum excutit, quapropter aquæ rosaceæ pauxillum admisceri iubeo. Alex. Cur subrides? I.C. Vereor, ne aceti vsus immodicus, quominus in decoram longitudinem adoleueris, prohibuerit. Alex. Ioco, an serio hæc dicis? I. C. Tumetipse diiudices. Depopulatur acetum humorem natiuum, cuius adminiculo in spectabilem, decentemque proceritatem corpus assurgit. Alex. Profectò & vires etiam quotidie mihi conflaccescere animaduerto. I.C. Quid mirum? carnem, musculos, neruos, ossa solida, & quæ lapidosa sunt duritie acetum corrodit, comminuitque. Cleopatra Ægyptij Regina gemmam aceto immersam ac liquefactam absorbuit. Silex aceto septem dierum spatio domitus, digiti attritu in puluerem resoluitur. Hanibal vt Alpes sibi peruias faceret, feruenti aceto saxa dissoluere, ac dissilire coegit. Al. Medice, cura teipsum, cur lactucam tam auidè comedis? profecto oculis officit, ac caliginem infert, incrassat enim, densatque spiritus visorios, atque humorem crystallinum turbidum efficit. I.C. Noxiam hanc lactucæ vim vino retundo. Cæterum frigidæ, humentisque naturæ cùm sit, cerebro quotidianis lugubrationibus ferè exsiccato humiditatem inducit, atque ita somnum etiam conciliat, in venas delata sanguinis feruorem reprimit, atque hepatis cordisque calidam intemperiem mitigat, & Venerem coercet, mihi igitur pudicitiam illæsam tueri cupienti,
gratissima

gratissima est. ALEX. Risum tenete pueri. Nonne præterita hebdomada cuidam nobili matrimonij capistro alligato, lactucæ esum præscripsisti. I.C. Ita est, nam illius cerebrum ex immoderata Venere siccescere contigerat, quare vigilijs conflictabatur. AL. Sed lactucæ frigiditate semen genitale plus satis diluitur, & ad progignendos liberos fit inefficax. I.C. Atque ideò calorificis herbis eius frigiditatem retundendam consului. ALEX. Hæc bouilla caro iucundissima est. I. C. Ego verò ab ea abstineo, crassos namque gignit spiritus, ad Philosophandum parum idoneos, & libentius ad lepusculum hunc degustandum appetitus me allicit. ALEX. Sicca admodum est eius caro & melancholiam fouet. I.C. In tenera eius ætate siccitas non prædominatur, nam multo humido calor obtunditur. deinde Medici mali succo, & saccharo intinctum fieri iussi. ALEX. Hoc tuum mulsum præferam Auerroistarum condimento, sanè Auerroes carnes oleo frictas, aut elixas probabat. I.C. Senex ille Plinianus, foris oleo, intus vino præmuniri se cupiebat. ALEX. Et nos etiam potione corpus refocillemus, & cibum superinfuso liquore maceremus, vt commodius peracta cōcoctione venas subeat; Quàm pulcher est huius vini color. Bibam profectò non raptim, sed sensim, longéque ac productiore haustu. I. C. Sic palatus diutius percipiet voluptatem, & ventriculus vberius humectabitur, ita enim liquor magis adhæ-

rescit, omnésque partes aridas humore imbuit. ALEX. Quæso, mi Iuli, Nectareo hoc liquore spiritus recrees. Profectò tu das epulis accumbere Diuum. I.C. Nec Cretense vinum hoc est, nec Cretensis puer hîc pocula ministrat; sed quia à te tantoperè commendatur, affluenter bibam. ALEX. Sic tibi magis proderit, modicus siquidem potus nec sitim extinguit, nec calorem reprimit, sed magis audaget. Vt enim carbones fossiles in fabrorum vaporario humentibus scopis subinde irrigati, inflammescunt ardentius, sic parciori potu accenditur, non sopitur bibendi auiditas. I.C. Huius colostræ esus non est tibi salubris. ALEX. Quam ob causam? I. C. Quia in frigido ventriculo, quale tuum est, acescit, & præcordia flatibus distendit. ALEX. At cur mihi adolescentulo, & per consequens calidiore corporis temperamento existenti magnarum ægritudinum seminaria ministrauit? I. C. Lac eius est naturæ, vt calore densescat, ac spissetur, quare in æstuanti stomacho promptius coagulatur, aduriturque, atque in nidorosos halitus effumat, capitique grauedinem affert. Et complures ex coagulato lacte, eóque in grumos concreto strangulatos legimus, spirandi meatu per obortum vomitum intercluso. ALEX. At ego cùm colostris ac cremore, alijsque lactarijs me infarciebam, iuxta medicorum consulta, ea vino affatim perfundebam. I. C. In maximum valetudinis detrimentum, vinum etenim

coalescere facit lac, atque in casei consistentiam conglobari, quo cum lædatur stomachus, & repugnantia elaborare, ac cōcoquere nequeat, omnia ad putredinem deuergunt. Alex. Mediolanensem hūc caseum degustare aueo, sed ab eo calculum accersiri certum est ob pingue humidum. I.C. Ideo & raphanos comedas, nam calore, & acrimonia calculum prohibent, calore meatus laxant, & aperiunt, acrimonia expultricem vim stimulant: Et albi vini cum limonis succo paululum assumere poteris. Illud lapides in vesica gigni prohibet, nam vesicæ oras aperit, hic congenitos comminuit: Quare & gemmam in limonis succo liquefactam passim authores testantur. Alex. At quomodo caseum hunc à vermiculis illæsum huc vsque seruasti? I.C. In oleo reposui. Alex. Imo in oleo corrumpi debebat, nam humiditate, quæ putredinem gignit, abundat. I.C. Olei densitas obsistit aeri, & supernatat ambiens humiditatem seruati corporis interiorem, qua non cedente humiditatibus peregrinis, non fit corruptio. Alex. At quomodo hæc pyra vsque ad hunc mensem seruasti? recentissima sanè videntur, modo ab arbore decerpta. I.C. In olla seriatim collocaui, quam operculo accuratè abductam, ac pice ita oblitam, vt nihil vel aeris vel aquæ subingredi possit, in putei profundum æstiuo tempore demersi. Al. Miror quomodo à putredine illæsa custodiueris. I.C. Cùm ab ambiente aere, omni-

Card. de rer. var. lib. 6. cap. 26.

que vitioso halitu sint remotissima, non est quî corrumpi possint. ALEX. Cardani sententia de pomis seruandis anno elapso me fefellit, vereor ne tua etiam me deludat opinio. I.C. Haud memini quæ hac de re Cardanus scripsit. ALEX. Ego referam. *Punica dum adhuc pendent in arbore, demitte in ollam absque fundo, ollam autem demitte rursus sub terram, & terram circa ita congere, ne aer vbi ramo sunt annexa, neque alibi transire possit: sic enim non solum sana, & integra eximuntur quandocunque voles, sed maiora. Quid enim absurdum crescere, quod in propria arbore pendet? aut seruari, cum calor natiuus foueat.* I.C. Haud imputrida sic seruari possunt, terra namque vel imbribus liquefacta, vel Sole, seu vento arefacta, peregrinum aerem admittet; sub aqua secus. ALEX. Veritas sit penes experimentum, sed cur tantopere huic blandiris catello? I.C. Quia meam tuetur vitam, non clamando à latronibus, sed excalefaciendo ab ægritudinibus. AL. Quid audio? I.C. Duo sunt, quæ corpus nostrum fulciunt, vitamque conseruant: calor natiuus, & humidum. Hoc illius est pabulum, & fomentũ. Huius igitur beneficio, & munere ille subsistit. Ambo spiritu vndique perfuso, & connexo in omne corpus diffunduntur, quod, vbi fuerit illorum præsidio destitutum, collabitur, & ad interitum vergit. Quare sedulo nobis prospiciendum est, vt naturalem calorem, humoremq; quàm diutissimè conseruemus. AL. Quomodo id præstabimus? I.C. Et hu-

midum, & calidum reponendo, innatum calorem, eiusque pabulum augeri certum eſt. Al. Imo dubium, illa enim augeri poſſe, nulla mihi ratione probatur. I. C. Has igitur à me excipias rationes: Si manet eadem humidi radicalis, vt vocant, quantitas, non eſt caloris pabulum: ſi ipſum depaſcitur calor, nec augetur, non augebitur corpus: at corpus augetur, ergo & caloris fomentum quod eſt humidum. Præterea, ſi in augmento, aut inter alendum reponitur pars eius partis loco, quæ à calore conſumpta eſt, eaque eſt cum cæteris partibus vniuoca, erit etiam vniuoca forma, quare etiam accidentia: Calor igitur ipſe quoque augebitur; Ad hæc, corpore extenuato, atque refrigerato, alimenti acceſſione calor redintegraſcit. Al. Concedo. I. C. Quæro nunc à te, qui accreuit calor, eſt ne eiuſdem ſpeciei, atque is, cui hic adiunctus eſt? Alex. Minimè. I. C. Erunt itaque duo ſeparati calores actu, quare & duo habeant ſubiecta neceſſe eſt: quapropter & formas duas, nõ enim diuerſorum ſubiectorum vna poteſt eſſe forma, ſed vnius, igitur duo erunt animalia, non vnum. Al. Quid ſi dicam eſſe eundem ſpecie calorem? I.C. Ergo calor radicalis augetur. Al. In contrarium viget robuſtiſſima ratio, quam & ſi tuarum rationum obiectu debilitatam eſſe fatear, ſapienti tamen reſponſione tolli percuperem. I.C. Quò validiora ſunt argumenta, eò alacrius ad ea euertenda excelſi animi accendi ſolent. Al. Si naturalis calor,

eiusque pabulum augeri, & si minuatur, tantumdem reponi posset, non fieret generati dissolutio, quæ dicitur mors. I.C. Consecutio negatur. ALEX. Probo, nam quotidianis supplementis reficeretur ita, vt semper esset integer tantus quantus in primordijs fuerat. I.C. Nego, laborat agens natura, & in agendo patitur: quamobrem tametsi animæ vis est eadem, instrumentum, id est calor ipse, multo vsu debilitatum non potest, quod ab eo iure naturæ exigitur, perficere pensum; quo fit vt primore ætate vegetior, tum quotidiano agitatus opere calor, fiat victus, ac deinde flaccescat. & postremo aboliatur. ALEX. Ita sit, sed quid hoc ad Catellum. I.C. Plurimum, nam & insitum calorem auget, excitatque, quinimo dolorificos sedat affectus: sic in chiragra, ac podagra, omnique atthritide nihil præsentius ad consopiendos, mitigandosque cruciatus etiam acerbissimos, quam catellus membris affectis adhibitus. AL. Vnde id contingit? I.C. Quia suaui, calentique effluxu natiuum hominis calorem languidum exsuscitat, fotuque continuo humorem, qui dolores infert, vel attractione ad se rapit, elicitque, vel digerenti vi, ac discussoria incidit, ac dissipat: quare & meo imbecilli ventriculo robur, ac firmitatem catellus hic mecum accubans suo calore conciliat. ALEX. Dauidis etiam, membra effæta & frigescentia adolescentulæ complexus fouebat. I.C. An scitè fecerit, medici dubitant. AL. Quam ob causam?

I.C. Sunt fœminæ humecta cute, & in nocte sudore perfunduntur, quare refrigerant potius quàm calefaciunt. ALEX. Quid illi igitur sentiunt? I. C. Galeni consilio acquiescendũ. ALEX. Quale illud est? I.C. *Inter ea autem* (ait) *quæ foris applicantur boni habitus puellus est vna sic accubans, vt semper abdomen contingat.* ALEX. Hunc ad vsum non nisi pulcherrimum catellum, qui apud me est, tibi offerre possum. I.C. Gratias ago innumeras, sed dic quæso, est ne tota cutis concolor? AL. Minimè, sed multis, diuersisque maculis variegata. I. C. Non ergo vsui mihi erit. ALEX. Cur ita? I.C. Vt insitio naturæ arborum correspondere debet, ita homini in fouendis membris æqualem per omnia, ac temperatum calorem coaptare cõuenit: Diuersus autem in canino tegmine color indicat caloris, humorisque diuersitatem, & intemperiem. ALEX. Tam acutè res etiam minimas perscrutaris, vt ad sublimarum inuestigationem maiori impetu pertrahar. I.C. Statim à prandio disceptare, mihi iniucundũ est. ALEX. Quam ob rem? I.C. Quia demandati nunc sunt ab anima spiritus ad ciborum concoctionem, quare si ad cerebrum disputationis ergo euocantur, desinent cibos elaborare, & cõcoquere. Hinc Scholaribus, qui pomeridianas frequentant literarias exercitationes, morborum seminaria congenerantur. ALEX. Quid Philosopho exoptabilius, quàm in literis, & pro literis mori? I.C. Pædagogorum hæ sunt persuasiones, quę vana spe teme-

Gal. Ther. lib. 7.

rariæ credulitatis simpliciores irretiunt animos, & constantes etiam aliquando labefactant. ALEX. Eia per Aristotelis Genium te humillime deprecor, vt disputationibus hæc consumetur dies. I.C. Quem his verbis addere putas animum, profecto mihi adimis. AL. Forsitan Peripatheticos Manes contemnis? I.C. Imò vt sacrosanctum Philosophiæ Numen deueneror, cuius de animalium historia responsa dum perlego, reliquorum authorum, inter quos ego infimum locum obtineo, lugubrationes, quisquiliæ mihi videntur. ALEX. Imo tu principem locum obtines, sed hauriamus de Præceptoris fontibus mihi hactenus ignota dogmata, quæ per mundissimos tui ingenij alueos deducta, meam addiscendi sitim explebunt. I. C. Quæso ne te à mensa subducas, ni prius hymnus pro gratiarum actione decantetur. AL. Nulla Deo gratior oratio, quàm suorum operum contemplatio. TARS. puer.

Pastis visceribus, ciboque sumpto,
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo Patri rependat,
Sic nos muneribus tuis refectis
Largitor Deus omnium bonorum
Grates reddimus, & sacramus hymnos.

IVLII
CÆSARIS
VANINI PHILOSOPHI
INGENIOSISSIMI
Liber Tertius

De Animalium Generatione & Affectibus quibusdam

DIALOGVS. XXIX.
De Semine Genitali.

ALEX.

CVm eximius Peripateticorũ Magister exactissimè animaliũ historiam pertractarit, non ero tibi multis quæstionibus molestus in hac pomeridiana disceptatione. I.C. Ille quidem sexcentos mille Philippicos aureos subministrante Alexandrò impendit vt historiam illam describeret; Ego verò pauperculus Philosophus, cui nullus sese vnquam obtulit Mœcenas, imò ne ro-

gatus quidem multoties, nec impendi obulum. ALEX. Ego profecto adolescentulus patrias opes expendi in vnius animaculi vsum. I.C. Non deerunt qui dicãt, te meliorẽ elegisse partem. Sed quid est, quod à me petis? ALEX. Istud in primis me angit, & iccirco hoc primum à te quæro. Vnde animalibus adueniat forma? I.C. Extrinsecus dicunt aliqui. ALEX. Illud noui. I.C. At non assentior ego. ALEX. Quam ob rem? I.C. Quoniam si ita esset, aut nulla esset generatio, aut omnis generatio esset æquiuoca. ALEX. Quomodo nulla? I.C. Quia apud Philosophum generatio ita definitur, vt sit transmutatio cuiuscunque transmutabilis totius in totum. ALEX. quomodo æquiuoca? I. C. Neque enim formam dederit huic catello semen patris sui, sed materiam tãtum: erit igitur Solis filius, sicut & mus, & alia, quorum generatio è fimo aut limo æquiuoca est; neque similis erit patri suo magis quam culex, ab illo namque materiam sine forma accepit, materia vero eadem est in omnibus. ALEX. Perdocte. I.C. Alij dixerunt, extrinsecus quidem aduenire formam, si ei scilicet fuerit materia præparata. ALEX. Tu vero quid sentis? quæ tua est opinio? I.C. hæc omnia nõ placẽt ALEX. Cur ita? I.C. Quia si istud esset verũ, & qualitates, & quãtitates, & numeros, & ordines, & situs ab aliquo intus apparari atque institui necesse esset, totũ denique corpus ipsum fabricari: hæc autem fabrica fit aut à substãtia, aut ab accidẽte. AL. At non ab accidente solo fieri potest,

Ar. 1. de Generat. tex. 23.

nullum enim accidens agit nisi per vim suæ substãtiæ, neque cognoscit accidens, illa vero virtus tam nobilis templi architecta sapientissima est. I.C. Ædificabitur igitur à substatia; at hæc forma seminis est, forma autem seminis si non est anima, bruta res est: at non est res bruta, fabricat enim elegantissimè, ergo anima est. Insuper anima quid est nisi spiritus? hic autem in semine est, spiritu sane nostro informatum est semen, nam anhelantes illud emittimus, hinc illud ad generaionem idoneum dijudicatur quod spumescit quia spirituũ copiam in esse ostendit: Quapropter Poetæ Venerem Maris spuma genitam confinxerunt. Alex. Quid igitur concludis? I.C. Formas, quæ materijs æquiuocis imponuntur, esse in agentis potestate, qualis est muris forma, qui in naualibus quisquilijs putrefactis enascitur, non est enim ea forma in fimi potestate, sed in agentis nempe Solis vi sita est. Vniuocæ autem formæ in materiæ potestate continentur, vt in semine equino equi forma; non enim fit equus ab equino semine per corruptionem sicut è limo putrefacto rana, sed per eius perfectionem, non quomodo fit iuuenis ex adolescente, vir ex iuuene, sed alio quidem operosiore, sunt enim gradus. Alex. Quales sunt hi gradus? I.C. Primus est ex infante puer. Secundus ex animali animal, vt fit in eruca & bombice; Tertius ex ouo pullus; fracto namque putamine corruptum nihil, vt in putrefactione, intus inuenitur, sed perfectũ. Quartus modus remotior est, quippe ex semine, quod

nulla facie terminatur, animal fit; vulgo, quia desinit esse semen, corrumpi dicitur: sed apud sapientes, quia nihil perit, re vera perficitur, Cum enim esset animal in potẽtia, fit actu animal, exit autem potentia hæc in actum, adiuta ab alio generante qui extrisecus est, vt ait Philosophus, atque ita intellexit, à Sole & homine hominem generari: Quinimo addam, in canino semine esse canis animam non modo in potentia, vt loquuntur, propinqua, sed actu, non sensu perceptam per functiones, sed ab intellectu per rationem. Alex. Quænam ratio illa est? I. C. Audi. Generat arbor cum producit semen, sed non generatur arbor cum à semine pullulat, emortuâ enim amigdalo, si seratur Amigdalum, fit ex eo Amigdalus arbor, Sic canis non gignit cum Catellus enascitur, sed cum semen gignit, quod manifestum est; nam in ipso coitu multi obiere ante seminis vllam penitus in vtero dispositionem, aut effectionem; si Canis igitur canem generat, cum semen gignit, igitur in canino semine canis anima actu est. Alex. At si canis anima esset actu in semine, canis semen esset canis. I. C. Concedo, est enim canis imperfectus, carens tantum articulationibus. Canis namque & canis semen sunt vnũ numero in substantia, solis differunt accidentibus, quòd qualia habet alterum, alterum non habet, quemadmodum triticum in terra productum à semine, non differt ab eo quod erat in spicâ nisi in accidentibus. Alex. Sentis igitur in tritici semine inesse animã? I. C. Pro-

Ar. 12. Med. t. 15. & in 2. Phys. t. 12.

cul dubio. ALEX. Quando ſeruatur per annum integrum, quomodo otioſa eſt efficiens cauſa? I. C. Egovero pernego eam eſſe otioſam. Otioſum enim id dicitur quod cum debet aut poteſt, non agit: At illo tempore ſeminis anima non habet aliud agere, quàm viuificare materiam illam, quod & facit. Fabricare autem non poteſt, quia extra matricem ſuam eſt, nempe extra terræ ſinum, ſic arboris anima, nihil ædificat hyeme, opus enim habet adiumento. ALEX. Satisfeciſti, ſed adhuc habeo quod obijciam. I. C. Et ego quod reſoluam. ALEX. Si ſemen eſt animal, ergo nulla dabitur generatio. I. C. Id quidem concedo, cum enim oritur, ſeu potius oriri videtur animal, tunc non eſt generatio, ſed formæ tantum promotio ad officia exercenda, eſt namque actu intus forma canis in canino ſemine. Sanè extrinſecus non aduenit actualis forma vt probauimus; nec educitur per præparationemè materia, quia pręparatio fit particulatim, quare formæ pars alia poſt aliam educeretur, eductio enim motus eſt, omne autem motum diuiſibile eſt. ALEX. Siſte paruper, & audi. Si anima eſt in ſeminé canino, ergo animarum plenus eſt canis, quippe & ſeminum plenus eſt. I. C. Conſecutio negatur, vnam canis habet animam, quæ plurium ſufficit generationi; ſic in ramis oleæ, in quibus multæ ſunt taleæ, vnica tantum anima eſt. ALEX. Eritne igitur catelli anima canis patris animę pars? I. C. Maximè, ALEX. Diuiditur igitur. I. C. Quid im-

plicat ad materię diuisionem diuidi materialem animam? Alex. At si diuiditur, igitur animę medietas erit in cane generante. I.C. Imo tota anima, est enim tota in qualibet sui parte, id quod in plãtis manifestum est; Addam subtilius, ab anima animam gigni sui promotione, eadem sane ratione, qua in accretionibus inducit sese in alimenti materiam nouã: quemadmodum à lampadis flamma, flammam excipimus, illa nihilo secius integra remanente. Alex. Subtilissimè profecto ratiocinaris, sed quid Aristristoteles super hac re? I. C. Is procul dubio agnouit in semine animam quę sui
t. 80. domicilij est architecta: In secundo Phis. Se-
t. 5. men ponit pro causa efficiente compositi: in primo de generat. animalium, ait potestatem seminis dare formam, veluti lignarius faber dat lecto. In secundo vero, vult seminis vim
t 7. esse corporis conditricem: In septimo supre-
t 9. mę Philosophię inquit, semen est sicut artifex.
t. 28. Habet autem artifex formam in sua potestate, non extrinsecus excipit. In alio contextu, spe-
t 31. ciei causam in materia esse profitetur, &
t. 12. alibi, motum ad generationem dicit à facultate fieri quæ in semine inest, & in lib. 8. in semine statuit principium mouens. Alex. At enimuero mihi non arridet hæc sentẽtia, nam vniforme nonnisi vnicum opus facere potest: semen autem est vniforme, ergo non nisi vnicam habet actionem. At in animalis formatione plures sunt actiones, non igitur à semine illæ prouenιunt. I.C. Quid si tibi maiorem in-

ficior propositionem? Solis sanè corpus vniforme est, diuersa tamen efficit: anima ipsa vniformis est, & simplex, diuersa tamen potest, imo contraria facit. Sed transeat, nego semen esse vniforme, vt patet ex ipsa materia vnde excoquitur quippe ex sanguine, sanguis autem ipse vniformis non est, quare ab omnibus mēbris detergi semen censuit Hippocrates, id quod licet Philosophus improbet, omnium tamen membrorum principia in seipso cohibere confitetur, iccirco mutilum hominem integri hominis parentem esse. ALEX. Perdoctè, sed adhuc altera eaque per dificilis tibi restat dissoluenda obiectio. I. C. Quænam illa est? ALEX. Si anima fabricaret sibi corpus, indigeret instrumento, at nullum est instrumentum, non igitur fabricat. Minor probatur hac ratiocinatione; non à te configurari potest instrumentum aliud quàm spiritus: at spiritus est seminis pars, non erit igitur efficiens instrumentum, sed materia. I. C. Maior est falsa, nullo eget anima instrumento ad formandum; si anima mouet spiritum sine instrumento cum mouemur, cur non poterit sine instrumento figurare? si terra ipsa descendit sine instrumento, cur animæ tam diuinæ ac potenti temere instrumeutum attribuere audes? Sed paulo mitiùs procedentes, minorem dicimus esse falsam, anima namque primis vtitur qualitatibus ad qualitates secundas, est namque semen non solum quid, sed etiam quale: habet igitur calorem, non à matrice (is enim conseruat

tantum) ſed ab animali puta cane, vnde emiſſum eſt, eundem inquam calorem numero, ſed non totum. Hic calor, ſeu ſpiritus (idem enim eſt ſecundum Hippocrat.) diffuſus in omnes partes, agit in alias ſeminis partes, à quibus & ratione diuerſus eſt, & re ſeparatus, ſicut ignis qui in partes interiores ſeſe inducit luti, quod coquit vt teſta fiat. Quid miraris? nonne in corpore quoque iam perfecto ſpiritus agunt in humores, quorum tamen partes ſunt, non eſt igitur (& ſic tuæ minoris probatio corruit) ſpiritus pars corporis, quæ formatur, tametſi eſt vna in maſſa veluti coagulum in lacte, ſed eſt in corpore ſeminis ſicut agens in patiente, non ſeparatus loco, qui ſenſu percipiatur, ſed intellectione. Si ſpiritus innatus calorem habet & humorē, & calor humorem carpit atque depaſcitur, & per conſequens deſtruit, quanto commodiùs architectus ille in corpus aget quod perficit? ALEX.. Gratias ago tibi ingentes, quod ita quæſtionem hanc pertractaſti. I. C. Eas perſolui mihi cupio gratias, vt intelligas me de vegetatiuâ & ſenſitiua anima locutum eſſe, non de rationali, quam non à ſemine, ſed à Deo infundi credimus. quod cum altiori repeto cōtemplatione, humanam deplorare cogor, miſeriā: Nequit humanum ſemen hominem generare, eſt enim homo per formam, forma autem à Deo infunditur, at canis canem ex ſeſe ipſo gignit, quare catelli ſemen meo ſemine præexcellentius erit? ALEX.

Quid

Quid ad te? Sed putas ne ad animalis generationem fœmineum ſemen neceſſarium eſſe? I.C. Maximè. ALEX. Cur ita ſentis? I.C. Mulier in ipſo concubitu ſemen emittit, quinimo etiam cum nocturnâ Venere in ſomnis eluditur, ſperma eiaculatur. In fœminâ diſſectâ, & teſticulos vidi, & vaſa ſeminis, vbi magna illius aderat quantitas, quæ iam albeſcebat. Nunc igitur ſic argumentari poſſum. Semen à Natura ordinatum eſt ad generandum, at in fœminis appoſuit, illud igitur ad generationis vſum ordinauit ſapientiſſima illa Magiſtra, quæ nihil fruſtra operatur. ALEX. Scitiſſimè dijudicas, ſed obiectiones tibi proponam, quas Ariſtoteles in ſecundo de Generatione ſcripſit, & quodammodo aduerſus tuam ſententiam dictauit. I.C. Quamuis eæ ſint Ariſtotelis, nec pili tamen eas facio, in ijs enim in quibus liberum vniuſcuiuſque iudicium eſt, nunquam ero addictus iurare in verba Magiſtri: Addo quod etiamſi mihi amicus ſit Ariſtoteles, magis tamen amica veritas, vt ille ipſe inquit aduerſus Platonem. ALEX. Animoſè quidem, ſed nunc videbo an eas obiectiones euertere valeas? In omni rerum procreatione eſt aliquid vt efficiens, aliquid vt materia, quæ quamuis in fruticibus vnum idemque eſſe videantur, forma tamen, & rationis dignitate, longè latéque diſtant: in perfectioribus autem animantibus, vt hæ facultates ſexibus diſtinctæ

apparent, ita efficientis & patientis, tum naturæ, tum corpora diuersa sunt: quocirca cum sit mas efficiens, fœmina verò patiens, hæc ad procreationem non verum semen, sed materiam duntaxat conferet. I. C. At enimuero ratio hæc meam fouet sententiam, asserit enim vtrumque maris & fœminæ sexum in fruticibus miscuisse naturam, eo quòd sola mascula facultas (licet terra materiam ei conferat) non satis sit, quæ in stirpibus procreationem efficiat. Quod si ita sit in plantis, multo magis in præstantioris ordinis animantibus, necessum fuerit maris ac fœminæ vires coniungi, non iccirco duntaxat, vt fœmina materiam suppeditet, sed vt copulatis, atque confusis amborum viribus, semen vnum ex ambobus procreationi aptum proferatur, quod integris absolutisque viribus præditum tanquam opifex in subiectam materiam incumbat. Illa verò tua verba, quæ communiter vsurpantur in scholis (mas scilicet est efficiens, fœmina patiens) mihi non probantur, nam & ipsum masculum semen non solum ad agendum potentiam habet, sed etiam ad patiendum, quippe in libro de Principijs, de Motu, de Cœlo, de Generatione probatum est à Philosopho, omnia naturalia composita esse ex actu & potentia, quare vtrumque in se habebit principium, à formâ quidem agendi, à materia verò patiendi. ALEX. Alia Philosophi ra-

tio ea eſt, ſi fœmina ſemen gerit fœcundum, cum alterum principium nempe materiam contineat, poterit citra maris congreſſum, ex ſeipſa fœtum edere ; at conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. I. C. Imo ſequela maioris propoſitionis eſt falſa, eſt enim fœmineum ſemen fœcundum, non ita tamen, vt ipſum ſolum vim habeat efficientem, ſed vbi mutuâ ſubſtantiæ familiaritate, & amicitia maſculino ſe copulat, ad generandum confert, alioquin nec virile ſemen dicetur fœcundum, cum ipſum ſolum non ſit generationis efficiens. Alex. Adducitur & pro Philoſopho ratio hæc, multæ ſunt mulieres quæ ſine vlla coitus voluptate à viri ſemine concepiſſe aſſerunt. I. C. Hypocritarum muliercularum cantiunculæ hæ ſunt. Alex. Sed quid dices ad hæc, in piſcium genere cum fœmina oua depoſuerit, mas deinde illa conſperget, & quæcunque ſemen iſtud attigerit, vitam aſſumunt, reliqua verò irrita, & à maris calore deſtituta contabeſcunt. I. C. Hæc ratiocinatio probat quidem maſculum ſemen ad generationem requiri, non tamen ipſum ſolum illam efficere: Opponam huic exemplo alterum è diametro pugnans. Sunt quidam piſces qui abſque maris ſemine ex ouis ſolis generant. Alex. Nullum mihi eſt & Galeno, quem multoties perlegi, aliud argumentum, quod pro Ariſtotelis ſententiâ adducam. Per-

cuperem tamen te illius tutelam disserendo suscipere. I.C. Quibus ille innixus rationibus fœmineum semen à generatione seclusit in medium proponam tam acutè, & subtiliter, vt posteritas in solutione sit non parum elaboratura. Arrige igitur aures Pamphile, id est omnium abstrusarum quæstionum curiosule amator Alexander. Vulgatam in scholis esse propositionem illam non ignoras; species non miscentur. ALEX. Quomodo id probas? I.C. Si miscerentur, fieret, vt essentiæ intenderentur & remitterentur, quod est impossibile. ALEX. Quamobrem? I.C. Quia essentia omnis impartibilis est. ALEX. Perge. I. C. Ex duobus entibus per se, non potest vnum ens per se fieri. ALEX. Qualiter probatur hoc à Peripateticis? I.C. In omni generatione fit corruptio, vt loquuntur, à termino à quo, ergo generatio non nisi duabus aut pluribus corruptis substantijs, potest vna fieri, sicut è putridis mistis animal: Ex duabus igitur formis tanquam ex partibus non potest vna forma fieri, sed illis abolitis vna potest introduci in eam materiam quæ illarum formarum fuerit. ALEX. Prosequere tuum argumentum. I.C. Semina sunt rerum principia per se, quia in canino semine est materia, & forma futuri Canis, nec aliud semini additur quam organorum expressio, quæ confusa prius erant, quare canis est id quod erat se-

men, ſed non quomodo erat. ALEX. Quid inde concludis? I. C. Ex duobus ſeminibus non fit animal. Idque confirmatur hoc argumento. Sicuti forma non poteſt eſſe niſi vna vniuſcuiuſque rei, ita principium continens ipſam formam, non poteſt eſſe niſi vnum, at hoc principium eſt ſemen, vnum igitur ſemen. Sanè forma ſimplex eſt & indiuiſibilis, ex duobus igitur componi nequit, at componeretur, ſi è maris fœminæque ſemine prodiret. ALEX. Subtiliſſimè profectò. I. C. Eſt & aliud pro Ariſtotele argumentum. ALEX. Vnde illud deducis? I. C. A plantarum ſimilitudine, in earum enim ſemine vnum tantum eſt generationis principium, idque ex nullâ coitus participatione, quia terra matrix eſt. ALEX. Legi ni fallor hoc argumentum apud Ludouicum Viuez. Sic enim ille loquitur. *Nec aliter viri ſemen, & materia fœminæ ſe habent quàm granum ſeminis ſtirpis alicuius, & terræ ſubſtantiâ. Vis enim procreandi hoc genus arboris eſt in ſemine, moles autem qua arbor alitur augeturque, ex facultate terræ eſt.* I. C. Quam longiſſimè abeſt hæc probatio à mente Ariſtotelis, qui matricem appellat agrum, Viues autem Materiam fœminæ, at Materia fœminæ non à matrice eſt, vt à terra humor, ſed à venis. ALEX. Quid Viues ſenſerit, parum curo. Attamen ſi tu velis Peripateticam tueri ſententiam, vnum ego duntaxat proponam argu-

mentum, quod vix diſſolui poſſe credide-rim. I.C. Eia hilari proponas animo. ALEX. Si à ſolo virili ſemine fieret generatio, non poſſet concreari femella. I.C. Iſtud verò tibi nego, non enim à ſexu ſexus fluit, ſed forma eadem in vtroque, materia verò ipſa in matrice variatur. Cannabis ſemen & ſpinnachiæ ſatum, partim maſculas, id eſt, ſteriles, partim fœminas, id eſt, ſementiferas edit ſtirpes, ab vna tamen matre. Planiùs in Erytinis quos omnino Ariſtoteles negat habere marem: ex quo mihi planè perſuadeo, vtrumque ſexum in vno ſexu cohiberi: de piſcibus ijs, quibus nullus eſt ſexus, quid dicendum? in illorum ſanè generatione non fit diſcuſſio ſeminis ad hoc vel ad illud, ſed promiſcua; quare vt neutrum, & vtriuſque ſaliua purpuræ, ex vtriuſque anguillæ mucco: Ita vtrumuis ex altero. ALEX. Acutiſſimè, ſed quia piſcium generationis mentionem feciſti, luculentius quæſo eam explices. I.C. Libentiſſimè.

DIALOG. XXX.

De Piſcium Generatione.

ALEX.

DIC igitur quo pacto generantur piſces. I. C. Quidam ex putredine, vt de Tinchis & Anguillis apud Naturæ conſultos compertum eſt. Sanè in paludibus vbi nec fluuiorum nec maris acceſſus vllus, Tinchæ adinueniuntur cõplures. In ſtagno Magalone ex equino cadauere anguillas innumeras procreatas ſcribit Rondeletius. Addunt ſapientes, ex anguillæ ſaliuâ alias concreari, quod ad ſpontaneam generationem referunt. Eſt enim pinguis admodum, & putredini obnoxia; Nos aliquando in vitrea pixide Soli expoſita anguillam ſeruauimus, & ex craſſa ipſius ſaliuâ Solis calore adiuta vermiculi prodiere. ALEX. Laudo curioſitatem, & naturæ opera admiror. I. C. Alij ex maris ſpuma congenerantur, vt Apuæ, ſeu Aphyæ. ALEX. Forſitan habent putredinem pro parente. I. C. Non magis quam ſal habet ipſum mare, in ſpuma ſalſa putredo non eſt. ALEX. Quomodo igitur ſpuma eos progignit? I. C. Admixtâ pluuiâ, *Ar lib. 6. anim. Plin. l 31. c. 8.*

multoque aere in ſpuma concepto Cœli vis ſeſe inducit, atque interna fœcundat. Propterea obſcuriſſimis,& maximè impijs ambagibus apud prophanum vulgus Trimegiſtus profitebatur, Deum eſſe marem ſimul & fœminam. ALEX. Imò & Turcæ hanc Chriſtianis obijciunt calumniam : hinc impius Mahumetus negabat Deum habere filium, quia non habet vxorem, nec idem eſt maſculus & fœmina. I. C. Alij ex arborum frondibus gignuntur. ALEX. Quid ais? I.C. Arboris cuiuſdam Inuernæ fluuio imminentis, quotquot in eum frondes collapſæ fuerint, piſcium formam induunt, piſces viuunt deinceps. ALEX. Accidit ne iſtud vi fluuij, an ipſius arboris? I.C. Arboris potiùs quàm fluuij crediderim. ALEX. Vnde id diiudicas? I.C. Nam quæ frondes in terram cadunt, ſtatim facta animalia pennata euolant. ALEX. Admiranda audio. I. C. Quid mirum? vt in terra vna planta mutatur in aliam, triticum, & linum in lolium, ſecale,quam Tipham Theophraſtus appellat, in frumentum, Zea in auenam, Siſimbrium in mentam, braſſica in rapum, & alia apud Theophraſtum : ſic & ſupra terram plantæ gignunt ex ſeipſis animalia. ALEX. E putrefactione id quidem quemadmodum in fructibus variæ innaſcuntur beſtiolæ, in tritico gurguliones, in nucibus vermiculi. I. C. Minimè, ſed quaſi ſemina quædam fouent ad generationem : ex oblongiuſculis lentiſci folliculis volucelli

prodeunt, ſicut in Vlmorum quoque veſicellis non abſimiles ijs: quapropter Arabes Vlmum appellant arborem cimicum; E Therebintho culices fiunt, è medulla cardui fullonis vermiculus fit, quem ad quartanas remedium prodidit Dioſcorides. ALEX. Eruditiſſimè. Sed putareſne, ô ſupreme Philoſophorum Dictator, eum errare qui diceret, fluuij potiùs quàm arboris vim illam eſſe, vt frondes conuertantur in piſces? I. C. Minime, ſi enim Albertus perhibet apud Gothos eſſe fontem qui omnia in eum immerſa conuertit in lapides, quid vetat aſſerere, adeſſe etiam aquã quæ frondes conuertat in piſces? Iohannes Maria Ginochius familiaris meus dilectiſſimus omnium bonarum diſciplinarum inſtructiſſimus Doctor narrauit mihi Pataui, vidiſſe ſe in menſe Iulio pluuialis aquæ guttam, quæ illico in terram cum cecidiſſet, conuerſa & mutata fuit in ranam. ALEX. Parum abeſt quin & ego ſtupore attonitus lapideſcam. Sed bono animo ero, proſequere quæſo alias piſcium generationes. I. C. Alij ex ſemine per genitale membrum profuſo velut quadrupeda progignuntur, vt Balena, Delphinus, Vitulus alijque ingentis molis, multoque referti ſanguine, & reſpirationis beneficio fruentes. Eis namque dedit natura renes & veſicam, cum enim abũdent ſanguine, nec in plumas & ſquamas abſumatur, excerni neceſſario debebat, quare renibus & veſica eis fuit opus, ſunt autem in ipſis renes diuiſi, quoniam ob virium

imbecillitatem, haud aliter posset calor aqueū humorem cōcoquere & segregare. AL. Balenę membrum genitale ad 13. cubitorum magnitudinem visum à multis Cardanus refert. I.C. Dignum, vt dicitur, patella operculum. Nā & Scaliger ait, Balenæ vuluā ad octo patere pedes. ALEX. Delphinus more humano coit, & generat, teste Plinio, qui sic scribit. *Cæterum & alios affectus humanis persimiles Delphin habere cernitur, adeo vt curam mortuorū habere credatur, infirmos gestare etiam, & adultos comitari, nōdum tamen firmâ ætate & viribus: concumbere humano more & lactare filios ipsa cōstructio animalis ac sexuū insignia edocent. Coniugia quoque inire creduntur, & vna vni adhærere societatis quoque & misericordiæ experimenta dedisse feruntur.* I.C. Fabulosa hæc sunt, nam acutam ratiocinationem piscibus adesse non credo, ob nimiam organorum humiditatem. ALEX. Imò asserit Cardanus humidissimos esse sapientes. I C. In nostro Amphitheatro hisce verbis ferulam minitati sumus, sed prosequamur. Pisces alij gignunt ex semine, non tamen penis ministerio, carent etenim, sed affricatu solo: Alij auium more ex ouis generātur, vt fluuiatiles fere omnes celebriores, quemadmodum est Perca, & Lucius. Sed triplici cum discrimine, quidam ex femellæ ouis & maris semine intus effuso, vt pulli ex Gallinæ ouo & gallinacei semine. ALEX. Vnde hoc deprehendis? I.C. Piscium oua igni exposuimus, atque eius segregatiuā facultate quid album prodijt è vitello distinctum, quod semē

Card l. 7. de rer. var. c. 37. fol. 331, Scal in Card. exer. 104. fol. 309.

esse arbitrati sumus. Alij pisces nec fricant quidem, sed expulsa oua semine aspergunt teste philosophorum principe Scaligero. Alij ex ouis sine semine generantur, vt Phoxini vulgo dicti fregaroli, seu Pardelli à colore, biatulæ, passeres, rupelliones &c.. ALEX. Sed vnde hoc conijcis? I.C. Quia licet sint paruuli, ouis tamen repleti adiuueniuntur. ALEX. At quomodo ex ouis sine semine gigni queunt? I.C. Quid miraris? si ex sola putredine pisces aliquos congenerari supra probauimus, quanto faciliùs ex matris ouis, quibus & aquæ calor fortasse loco patris est. Hæc sunt quæ de piscium generatione proferre possum. ALEX. At quomodo congeniti sunt pisces illi, qui humanam figuram præ se ferunt, vt ex historia Pliniana constat & ex recentioribus variæ circumferuntur narrationes, Cardanus sic scribit *Quæ vero de piscibus humanâ formâ præditis partim supra fidem sunt, velut quod Cornelius Amsterodamus in oppido Edano Pomeranicæ regionis post sæuas maris tempestates eiectam mulierem refert, mutam & salacißimam, quæ plurimis annis superuixerit. Nereidem vero vidisse Theodorum Gazam, & Trapezuntium muliebri forma pube tenus, reliqua locustæ similem, sed tamen scammis obductam, non supra fidem est, cumque & lachrymas emitteret redditam à Gaza mari, fieri potest, neque enim hos homines facile mentitos suspicer. Similiter & Episcopi, & Monachi & leonis effigiem inter tot varia Pelagi monstra apparuisse, modo res ipsæ vt sunt referantur, nō negauerim.* Hęc ille vir sapiētissimus, nec

Card. de rer var l. 7 c. 37 fol. 366.

valde credulus superstitionib⁹ vt in sui genitura testatur, & alibi. *Quod ad mõstra verò attinet in Orientali parte Indici maris, boreale quidem appellãt, iuxta caput sancti Augustini, plures pisces humana forma inueniũtur.* Addam ego in Thicnim Scythiæ fluuium maximum, qui in arcticum Oceanum erumpit, & in Colhan fluuium Regni Crachin pisces humana propemodum effigie adesse, vt & Scaliger testatur, & Belgicus Nauclerus Absterodami mihi retulit. I.C. Nugæ & fabulæ hæc sunt omnia, sed ne respondẽdi onus subterfugere videar, ita dicam. An piscis huius, qui humanam refert ideam, mater hominem deuorauit, & semen igitur quod in eo erat: Quare ex illo concepit eique similem peperit fœtum. An (quod vix credo) humano semine conspersum edulium aliquod in nauigio deuorans piscis, animal genuit ad formam, quæ in semine continebatur. A cuiusdam mulieris dissecto corpore bestiolas muribus non absimiles exemptas fuisse Lemnius testatur, id quod accidisse credidit, quia sorices cum passim oberrant, cellasque promptuarias depopulãtur, aliquando excremento seminali commacularunt esculenta, quę cum à famulis non abluantur à sordibus, & membranulis non ademptis à dominis esitentur, calor natiuus in materiam elaborandam occupatus, non aliam speciem, quàm pro subiectæ materiæ ratione affinxit, itaque insita vis naturæ sui generis animal efformat, moliturque humida illa substantia opifici obsequente, ac sequaci, ac

In lib. 7. de rer var c. 38. ita sequitur.

ſponte, nulloque animantiũ cõgreſſu ac cõcubitu illam molẽ homini perſimilem enatã dixerim ex humore quem circumfuſus aëris calor ſpiritu, vitaque imbuit: nihil mari fœcũdius quòd craſſioris ſit ſubſtantiæ, ac ſpiritu calorifico vndique ſuffuſum. An piſcium oculis dum Venerem perficiebant, obuerſata fuit hominis imago, adcuius ideã concurſantibus vndique humoribus, quos imaginatiua facultas habet obſequentes, fœtum effinxerunt. An aſſeram, piſces in homines mutatos? ſane ſi vna planta poteſt in alteram immutari, vt triticum in lolium, braſſica in rapum & in ſinapim aliaque apud Theophraſt. ſimilia pene innumera, Cur non vnum animal in aliud? ſi ſemen aſini in Equæ Matrice immutatur vt fiat mulus, quid implicat & piſcis ſemen immutari vt fiat homo? Ex animalium hiſtorijs conſtat vnum animal tranſmutari in aliud immeditate, vt erucam in papilionẽ, ex verme in volatile animal. Non dicam Auicennæ, Alberti, & Pomponatij teſtimonio compertum eſſe auem in lapidem tranſmutatam, ſed vnâ cum præceptore meo Bartholomæo Argoto Carmelita viro optimo, & ſapientiſſimo, & in concionibus noſtri Seculi phœnice, idem ego vidi Neapoli in celeberimo Ferdinãdi Imperatori Muſæo: Ergo longè faciliùs duo animalia inter ſe ſpecie diſtincta tranſmutari poſſunt. Sed ne ſcholaſtici noſtras irrideãt ſpeculationes confirmabimus eas authoritate diui Auguſtini, cuius Logicam ſubtiliſſimam illi profitentur

Thsph. l. 4. de cauſ plan. c 6.

nescio cui Ambrosiano innixi testimonio: an Diuus Augustinus libros Aristotelis vnquam perlegerit, Cardanus negat, non ego. Augustinus vult, Magos Pharaonis immutasse virgas in serpentes vi dæmonum, at idem fatetur nihil operari dæmones nisi applicando actiua passiuis, ergo agentia sunt naturalia, quæ virgas in serpentes conuertere possunt. At longè difficilius est ex virgis serpentes efficere, quàm ex pisce homines, magis enim (inquit Pomponatius) inter se distant materiæ, sed factum est primum naturaliter per diuum Augustinum, ergo & alterum naturaliter potest fieri? An verò ad sydereos influxus monstra hæc referemus cũ Ptolomæo, qui ita scribit, *Si in humanis signis luminaria deprehensa sunt reliquis sic habentibus humana sunt quoque quæ generantur monstra.* ALEX. His tuis rationibus magnam facis studijs nostris accessionem. I. C. Sed tu, quæso mi Alexander, quid de his arbitraris? ALEX. Forsitan humanum cadauer piscis deuorauit, quapropter ex illius substantia congenitum semen quid sibi simile generauit, hominem scilicet, aut quasi hominem. I. C. Fabella hæc est, mihi ignoscas, cibus enim in aliti substantiam conuertitur, quare in piscino semine piscis substantia est, non humani cadaueris, hoc enim in illius substantiam iam transmutatum erat: sane si ita esset, perdices & capones ego gignerem, quippe his sæpissimè vescor. ALEX. Dicam igitur, ex humano semine dulci affricatu in mare proiecto à

Aug. sup. Gen. ad lit.

Ptol. de Astr iud. cap. 8 t. 20.

Barbaro remige congenitum esse piscem aliquem patris simulachro persimilem. I. C. Nugæ, seminis spiritus illicò in aere euanescunt, & inefficax illud redditur ad generationem: quam ob causam & qui longam habent mentulam, vt plurimum sunt steriles, nisi calidam subagitent iuuenculam cuius calore foueatur semen ne elanguescat dum per longos canales traducitur.

DIALOG. XXXI.

De Natura Piscium.

ALEX.

DE Piscium Natura nunc differamus. I. C. Libentissimè. ALEX. Scire percuperem, num Empedoclis secteris opinionem, qui piscium naturam dicebat esse igneam. I. C. Minimè. ALEX. Ego verò maximè. I. C. Quæ te mouent rationes. ALEX. Audi, ad frigidissimum elementum natura illos ablegauit, calidissima igitur erat ipsorum cõcretio, sanè non nisi ad temperandum ipsorum calorem detrusit in aquas. I. C. Antecedens est à veritate alienũ, nõ enim vt Empedocles somniabat, in sicco creauit Natura pisces, atque in humorem deinde transtulit, haud enim Natura sui est dissimilis, quare cùm nunc ijsdem in locis, in

quibus generat, & ſtatuat, & alat,& conſeruet,idem quoque initio feciſſe videtur. Præterea, quomodo manſiſſent in ſicco piſces? profectо nunc ſine interitu manere nequeũt, conſecutio etiam argumenti longè diſtat à vero;nam habitudines cõſeruari ſimilibus, aere, victu,exercitio, alijſq; & Galenus ſcripſit, & ratio ſuadet. AL. Sed quid dices ad hoc? argumentũ de generatione ad cõſeruationem validiſſimũ eſt(lex enim eadem cõſtituendi,&cõſeruãdi, cõſeruatio nãq; eſt generationis quaſi perpetuatio quædam)at generatio fit contrariorum & concurſu & occurſu, & pugna, ergo & conſeruatio etiam fit è contrarijs;at locati locus eſt conſeruatio, igitur & locus erit locato contrarius:aqua igitur, quæ frigida eſt & humida,cùm ſit piſcium habitatio,neceſſario erunt piſces contrariæ naturæ, ac proinde calidi,etſicci I.C. Maior argumenti propoſitio militat aduerſus te, & Empedoclẽ, ſi enim eadem eſt generationis, & conſeruationis ratio,& natura genuit piſces in ſicco,non debebat è ſicco transferre in humidum,conſeruationis ergo.minor falſa eſt,in generatione nãque omnia miſcentur, & vnum fit,alioquin non ſuccederet generatio,tertium enim fieri nequit ex duobus actu exiſtentibus,contraria verò quàm maximè diſtant,&in vnum coaleſcere nequeunt,non fit igitur ex contrarijs generatio,quare nec mulus naſcitur è contrarijs, ſed diuerſis,equino ſcilicet,& aſinino ſemine,

Gal.in.3.art.

quæ

quæ ita in vtero miſcentur, vt vnum fiant actu ſemen, ex quo deinde mulus progignitur. ALEX. Illa verò ratio ad Empedoclis, & Meneſtoris ſententiam comprobandam mihi videtur efficax, quæ à piſcium fœcunditate deſumitur. Animalia quò fœcundiora, eò calidiora, at piſces ſunt fœcundiſſimi, ergo & calidiſſimi. I.C. Maior vera non eſt. Quid Aquila, Accipitri, vulture, oſſifrago, aliiſque rapacibus infœcundius? calidiſſimæ tamen illæ ſunt, vtpote carniuoræ, & guloſæ, quia caloris copia plus coquunt, ideò plus appetunt. Arbores eæ quæ pro fœminis habentur, ſunt fœcundiores, ſed fœmina acclamatur ab omnibus frigidior in animalibus; ergo per proportionem etiam in plantis. Eadem igitur erit fœcunda, & frigida. Septentrionis accolæ longè ſunt Orientalibus fœcundiores. ALEX. At Ariſtoteles aſſeruit, igne vti naturam & tanquam materia, & tanquam inſtrumento. Et ex eodem conſtat, ab antiquis generationem omnem fuiſſe igni attributam. I.C. Nõ ignem in generatione Natura expoſcit, (ignis enim euocat omnia; generans intromittit. Exſiccat ignis, ad generationem humido opus eſt, vt partes inuicem conglutinentur; ignis ſeparat, diuiditque: generatio partium adheſionem requirit eam, vt actu vnum fiant) ſed moderatum exigit natura calorem. Sunt autem fœcundi piſces, non ob innatum, ſed aduentitium calorem, mutua namque attritione concipiunt, quare prætenue humidum, quod in

Ar inl. de Myſt. affect.

Ar l 1 de Gener.

ijs ineſt, attritu attenuatur magis, & propterea aereſcit, & per conſequens incaleſcit. ALEX. Aliam tibi proponam obiectionem deſumptam à plantis calidis, quæ in aquis, & frigidis locis naſcuntur: Iuncus odoratus, & Calamus, non hic noſter Acorus, id eſt Aire indigenis, aut Boſtuorce, aut zeli Tattarſci, quod ſonat herbam ſchyticam, ſed verus Calamus, qui eſt arundo, & vocatur ab Arabibus, *Caſſab aſſeri*, à Perſis, *Caſſab alderira*, ſimiliter & Ciperus oriuntur in aquis; ſunt autem plantæ adeò calidæ, vt frigoribus ita reſiſtant, vt ne gelaſcant: in frigidis locis proueniunt pinus, abietes, cedri, Iuniperi. Edera ſub Septentrionibus frequentiſſima eſt, cuius caloris efficaciam ſpectare licet, nam & niues excutit hyeme, non enim illæ ſuper ea durant, vt omittam illud ederaceæ caliditatis inditiũ, flexuoſitatem, inquam, contorquentur enim ob medullæ calorem, quare & noſtras hybernas lugubrationes propè focum patefaciunt, contortæ librorum noſtrorum membranulæ, quemadmodum & pueri, qui mihi pocula miniſtrat, innati caloris copiam præſeferunt contorti crines. I. C. Concedo plantas calidas naſci in frigidis locis, non tamen inde ſequitur, piſces, quia naſcuntur in aqua, eſſe calidos, naſcuntur enim in calidis calida, & etiam frigida, ſic in frigidis frigida, & calida.

DIALOG. XXXII.

De Piscium Spiratione.

ALEX.

SCire cupio, an pisces aerem sub aqua spirent? I.C. Negat Aristoteles. ALEX. Quam ob causam? I.C. Si aer (inquit ille) à piscibus traheretur, bullæ apparerent ad superficiem subeuntes, veluti vbi quis inuitam sub aqua testudinem diutius continet: at non conspiciuntur bullæ, non atthraunt igitur, neque spirant pisces aerem. ALEX. Branchiarum rima adest in piscibus, per quam exceptus ore aer egreditur. I.C. Si per rimam egressus est aer, ostende mihi eum in bulla. Nam quare non petet locum suum, veluti cùm è subterraneis cauernis exit. Si discedere potuit, atque sese ex aquæ complexibus in piscis faucibus expedire, cur quod facilius est iam liber non sese efferat extra illum carcerem ad locum suum? Præterea, ait Philosophus. ALEX. Quæso ab eius supersedeas rationibus, nam legi in historijs, & meis si potes satisfacias obiectis. I.C. Vt veterum Philosophorum deliria sunt ab illo veritatis Hercule tanquam monstra debellata, sic & moderno-

rum audaciam retundere, atque comprimere ego aggredior. Alex. Ne irascaris. Animantium vita sine spiratione constare nequit, at pisces sunt animantes, igitur necessariò spirabunt. I.C. Maiorem propositionem Aristoteles pernegat, nam insecta animantes sunt, nõ tamen spirant. Al. Quomodo id probat? I.C. Si spirant, quomodo in duas partes diuisa viuunt in vtraque parte? Alex. Non debebat hoc ab Aristotele quæri, cùm dixisset, insecta ob modicum calorem satis habere per transpirationem refrigerationis ab aere circumfuso. I.C. Imò debebat quærere, quoniam necessariam esse spirationem veteres asseuerabant. Alex. At ego Philosophi obiectioni sic occurro, eorum etiam animantium, quæ spirant, sectæ viuunt partes, vt serpentes. I.C. Hoc facit magis pro sententia Philosophi aduersus Priscos, ipse enim negat, omni vitæ necessariam esse spitationem; quod vt melius percipiatur, altius mihi repetenda res erit. Spirationem quatuor de causis Natura instituit, ob refrigerationem, humectationem, fuliginum expulsionem, & spirituum restaurationem, nempè ad substituendos alios eorum loco, qui consumpti sunt: at aquatilibus aqua eiusmodi vsus præstare sola potest, nõ est igitur illis necessaria spiratio aeris. Al. Minoris probationem à te expecto. I.C. Accipias. Aqua spiritus internos excalefactos conuenienti suo frigore temperat, & introrsum attracta cùm fuerit, pars quæ iam concalefacta, impu-

raque reddita erat, exit per branchia, vel per fiſtulas, vel per foramina, atque ita qui remanent ſpiritus, fumis igneis liberantur, quare & humectatio ſimul contingit refrigeratio, atq; purificatio: noua ſpirituum generatio piſcibus fit ab aqua. ALEX. Proba hoc. I.C. Quemadmodum à cibo conuenienti animans alitur, ita & animantis ſpiritus à conuenienti materia fiunt: quibus aerei ſunt ſpiritus, ijs aer materia ad reparationem. Piſcibus aquei ſunt ſpiritus, hinc obtuſos habent ſenſus, quare aquea ſubſtantia eis data eſt, cuius per fauces ad cor introductæ pars animatur, non ab aere, ſed ab illa Cæleſti vi, quam viuificum appellant calorem. Sed quia video te ſubiraſci, admittam tuum argumentum, quod tale erat; Piſcis animal eſt, ergo ei ſpiratio neceſſaria. ALEX. Quid ad hoc? I.C. Concedo totum. ALEX. Igitur aere opus habent. I.C. Nego cōſecutionem, non enim ab aere ſolo frigus, non ab aere ſolo tenuitas ad ſpirituum accedens naturam. Vtrumque hoc ab aqua etiam, nec ab igni minus, ſi in igne ſunt animalia, vt quidam Dæmones corporeos ſtatuerunt: aeris ſpirationem pulmone tantum prediꞇis animalibus neceſſariam dixit Philoſophus, quam ob cauſam Delphin & Balena aerem ſpirare creduntur: mirum tamen eſt, quomodo Delphin diebus canicularibus ſub aquis lateat, vt hiſtorici referunt, cùm vel tum maximè propter æſtum plurima ſpiratione egere deberet. AL. Argumenti noſtri retia erūpere dum niteris,

magis es irretitus. I.C. Non puto. Alex. Cōcessisti pisces admittere aquam per os, reddere per branchias? I.C. Maximè. Alex. Ergo & aerem spirant. I.C. Nego consequentiam. Alex. Probo, nam in aqua aer cōtinetur. I.C. Retia hæc muscas forsitan, non Aquilas capiunt: aer in aqua continetur ita, vt nullo modo possit in piscium faucibus ab ea aqua separari, atque extendi: nulla est machina, quæ percolet ipsum: nullum est prælum quo exprimatur ab aqua aer ille: nullo quallo, nullo fisco, aut cribro à recepta aqua separabitur aer: quare etiamsi cum aqua sit aer, nō tamen aerem ab aqua separatum trahunt pisces, sed aquam, quemadmodum aer, quem nos haurimus, non est purus, sed (vt loquuntur) elementatus, & per consequens aqua mistus, & tamen aquam non trahit homo, sed aerem: quod vt rectius percipiatur, quæro à te, an aqua, & aer sint duo corpora, vel vnum mistum? Alex. Quid hoc facit ad argumenti dissolutionem? I.C. Plurimum, nam si sunt duo corpora, exibit aer ad locum suum superiorem; at non exit, non enim apparent bullæ, nō est igitur sub aqua aer: quare qui sub aqua sunt pisces, non spirabūt aerem: Si aer & aqua sunt vnum mistum, non erumpet aer ex aqua, sed ne separabitur quidem in ore piscis; quin per branchias, si alterutri egrediendum est, facilius transmittet quod tenuius est. Tenuior autem aer: aqua igitur remanebit, aer abierit, at non abit, peteret namque suum locum su-

periorem, at non petit, quia bullæ non conspiciuntur. Alex. Quid verba audiam, cum facta videam. Si pisces in vas oris angusti aquę semiplenum inijciantur, tanta illis est fruendi aeris innata cupido, vt certatim alius alium supernatare nitatur, proximi vt aeris vsuram capiat. I.C. Longè aliter se res habet: tentant illi miseri exitum, igitur quâ vident aqua vacare, sibi rati fore aditum ad loca liberiora, ascendunt ad vacui speciem. Cæterum vel minimo aeris momento attracti refugiũt. Alex. Quinimo vbi aeris beneficio priuantur, statim intereunt. I.C. Nego. Alex. Probo, si aquæ plena peluis manu vel alio obturetur operculo, pisces qui intus sunt, ilico morientur, fraudati aere scilicet. I.C. Assentiri tibi nõ possum, inclusi enim ego gratia puerili, & per totum diem superstes fuit Aurata Tarentina. quid miraris? nonne Hirundines in vasis claussis annos integros sine aere viuunt? nonne cõglaciatis amnibus per multa millia passuum nullus subtus piscis exanimatur? Quid si concedam in obturatis vasculis interire pisciculos? Alex. Inde inferam, quoniam aere priuati sunt. I.C. Illationem pernego, nam & ostreæ in aere intereunt sine aqua; nec mirum, cùm enim nihil penè aliud sint quàm cõcretus humor, absque humore durare nequeunt. Alex. Quam tu igitur assignas causam piscium interitus in conclusa pixide? I.C. Quia separata ab aere aqua exuit naturam suam necessario: conseruatur enim ab aere non corrupto, quasi

Ar. in l. 4. Phys. lib. 2. Cæl. t. 74. & 4. cons. t. 23. 35.

à forma superiore, vt à sapientum Dictatore, in sapientiæ tabulis scriptum est. ALEX. Subtilissimè, sed aliam modo attingamus quæstionem. I.C. Aristotelis sententiam à tuis obiectionibus vindicasse mihi sat est.

DIALOG. XXXIII.

De Piscium Nutrimento.

ALEX.

QVibus aluntur pisces? I. C. Hoc ipsum mehercle est, quod à te petere iamdudum decreueram. AL. Ego, aqua sola nutriri pisces dixerim, sanè Apuarum genus hanc comprobat veritatem, quam ob causam Aquarellas nonnulli vocant. Ad hoc, si solo aere victitat Chamæleon, Auis Manucodiata, & Canis læuis, quid vetat asserere pisces sola aqua vesci? I.C. Vno ali nos Aristoteles negat: alit aqua non vt simplex elementum, sed mixta, quare pluribus ali dicetur, qui aqua vescitur: omitti igitur à te poterat illa particula *Sola*. An Apuæ sola (vt tu loqueris) aqua victitent, non disputo, cum nec ego contradicere, nec tu probare possis, nemo sanè nostrum id vidit, sed ab illis ad reliquos pisces argumentum deducere haud debebas.

Ar. in 2. de Generat.

eas enim ex maris ſpuma naſci traditum eſt, quare & ſola maritima aqua ali nemo mirabitur, cùm ſcriptum ſit à Philoſòpho, ijſdem nos ali, quibus cõſtamus. Chameleonem inſectis veſci iã ex aliorũ experimẽto didicimus. *Iohannes Landius* (inquit Philoſophorũ Princeps Scaliger) *in vltima Syria cùm eſſet, ait ſe vidiſſe vnum è quinque, quos emerat Chamæleonibus linguæ repentino, momentaneoque iaculatu, muſcam, quæ in eius eſſet pectore, legiſſe.* Manucodiatam ſolo aëre victitare tibi perſuaſum eſt, ea ni fallor ratione, quia cùm volans nunquam viſa ſit, tam altè agere creditur, vt hominis fugiat viſum, qua in Regione animalia nulla nota nobis, quibus ali queat. ALEX. Vnde hanc meam rationem expiſcatus es? I. C. Ab optimo, Doctiſſimoque viro Hieronymo Morauio, illuſtriſſimi Legati Veneti apud magnæ Britanniæ Regem Saccellano familiari, imò & confeſſario meo per id tempus, quo Londini comoratus ſum: ille quidem in mutua diſceptatione mihi retulit in ea te eſſe opinione, cui & ille ſubſcribebat, ego verò non item, nam in nocte forſitan ima petit, in die alta ob timorem. Præterea, ad quem vſum Manucodiatæ, & Chamæleoni datum eſt à Natura roſtrum, ſi ſolo veſcuntur aëre? ſatius fuiſſet, vt ſine oſſeo mucrone os in ſummo vertice haberent. Quadrupes indicus, quem tu aliorum more Canem læuem nominaſti, non aëre, ſed rore veſcitur, ros autem alit, nam tenuis cùm ſit humor ſubit, quare dum attrahitur à

Scal. l 15. exoter. exerc. exerc 196. parag. 4.

Sole percoquitur, atque ita aliquid sibi comparat non modo ad alimentum, sed etiam ad generationem, quamobrem animalia quoque ex eo progignuntur: Sol calefaciendo agit, vt sit quasi forma humor, qui sola erat materia, Solis namque calor & animat, & animas sua conseruat similitudine, clarius hæc innotescent è roris definitione à nobis alibi tradita. Ros est pars humidi tenuior à Sole sublata, neque dum in aërem immutata, quam iccirco nocturnum gelu circumuentam cogit in guttas. Sed omittamus hæc, dic sodes, salsa, an dulci aqua nutriuntur pisces. ALEX. Dulci, quæ in salsa continetur, quam ob causam pisces dulces sunt. salsedinem verò à maris aqua exprimi posse iam est à te supra ratione, & experimento comprobatum. I.C. Ego verò sentio ali pisces maritimæ aquæ dulci, salsaque portione, sanè in sulphureis aqueis, vbi nulla inest dulcedo, apud Budam, celebrem Pannoniæ vrbem pisces ali, Cardanus testatum reliquit. ALEX. At maris aqua sicca admodum est, à vi tamen desiccandi tollitur alimentum; I.C. Nego, spina Ægyptia in sabulo & excocto & salso nascitur & alitur, aliæque plantæ, quas superiori libro recitauimus. Capitones, labeones, & mugiles aluntur limo è quo in stagnis marinis, atque in æstuarijs paululum aliquando cum ego curiosus gustassem, adeo salsum comperi, vt mihi fauces vri viderentur. ALEX. At Hipp. salitas carnes ad alẽdum parum idoneas censuit, quia sale consumitur humidum,

Card. l. x de subt. cap. de animal. perfect. fol. 581.

quo nutrimur. C. I. Aliter censuit Cardanus, nam salis pinguedo non parum ad nutritionem confert. ALEX. Siue salsa, siue dulci aqua pisces alantur, mea parum refert: sanè vtraque opinio meam fouet sententiam, sola aqua nutriri pisces. I. C. Cur addis, *sola*, profectò etiam herbis quæ in maris fundo sunt, nutriuntur, & arena quoque, quia Auratam Tarentinum dissectum lucidissimis arenæ grumulis, differtum vidimus: mortuorum quoque cadauerum maximè piscium piscibus alimẽtum sunt, cum enim pisces mortui fluitent, nullaque eorum cadauera inueniãtur, ab alijs deuorari verisimile est, esu mutuo victitare lucios, à nobis deprehensum est, qui minusculos in maiorum vẽtre anno elapso Lugduni vidimus ALEX. Experimenta hæc si vera sunt, tuam comprobãt opinionem, meæ verò obratiocinationi adstipulatur id quod vidisse se Rõdelletius testatur, pisces videlicet in pixide per tres annos, seruatos incolumes solius aquæ alimentum percipientes. I. C. Quis scit, an pueruli miseratione commoti panis micas, vel quid aliud edulij inscio Domino inijciebãt? ALEX. Subterfugium hoc tuo nõ est dignũ ingenio. I. C. Dicam sic. An quotidie (vt ille refert) noua cùm apponeretur aqua, ex pingui eius portione victũ sibi quærebant, præsertim si salsa erat, hæc enim pinguior. ALEX. Quid si dulcis fuerit? I. C. Eius terreo enutriti sunt, aqua enim pura non datur, quare ex eius limo, cænóque cibum sumpsisse censeo, sanè tinchæ in luto pinguescũt. An fortassis in ligneo vase inclusi erant pisces?

Alex. Quid inde? I.C. Lignum in aqua putrescit, cuius putrefactionem vermiculorum generationem subsequi quotidiano constat experimento, vermes igitur piscibus erant pabulum. Alex. Quid si in vitrea pixide seruabātur? I.C. Forsitan crassos humores, & flegmata ibi euomebant, aptissimam sanè ad vermiū effectionem materiam, quæ Soli exposita, formam ab eo sibi comparauit, atque ita vermes prodiere, quos pisces illi depascebantur. an dicemus vitreum vas esse porosum, quare miseri illi captiui attrahere poterant pingue terræ humidum circumstās: profecto ostreæ ipsæ saxis hærentes, vbi maritimus humor, quo illæ alebantur, abierit, vesci creditæ sunt pingui aëre ambiente, quem captant hiātes. An quod verisimilius est complures pransi, & cœnati ad eos inuisendos accedebant, quare horum anhelitus per vasis poros ad pisces transmissi alimenti materiam subministrabant, quemadmodum & circumstantium eduliorum odores idem efficere potuerunt? Democritus quidem solius panis recentis odore per tres insuper dies vixisse fertur. Alex. Quæ subtilior, quæ nam doctior excogitari responsio poterat. profecto si Atheniēses scholæ differentem te semel audiuissent, à suis Dictatoribus in te illā trāstulissent gloriam. I.C. More tuo es in amicis dilaudandis immodicus. Alex. Virtutis honos sit necesse est. Sed hæc de Piscibus dicta sufficiant, Nunc in gratiam auicularum, quas in prandio esitauimus, de ipsarum generatione

instuatur qaæstio. I.C. Ipsæ vero carnes nunc in nostro corpore corrumpuntur.

DIALOG. XXXIV.

De Auium Generatione.

ALEX.

QVot modis aues congenerantur? I.C. Quatuor. ALEX. Quis nã primus est? I.C. Ex ouis. AL. Quibus ex oui partibus? I.C. Hippocrates Medicorum Præceptor eximius censuit ex oui luteo fieri pullum, ab albumine vero cibum sumere. è contra Peripateticorum Princeps existimauit, ex albo nasci, & luteo nutriri, cui opinioni aliquando fauebam. ALEX. At quibus persuasus rationibus? I.C. Quia pullum perfectum vidi absque vllis albi reliquijs totum à vitello circumstante obsessum. Insuper Anatis indicæ ouum ad Solem inspiciens, in summo fastigio eandem deprehendi nigredinem, quæ in earum rostris est. ALEX. Habes ne nunc aliquid, quod Aristoteli obijcias? I.C. Maximè, nam in libris de animalium generatione scripsit hæc verba: *Vbi ouorum vitella membranis distinguntur, duo inde pulli, vbi vero duo vitella non dissepiuntur, sed vnum sunt continuum, nascuntur monstra corpore vnico & vno capite, cruribus & alis quaternis.*

Alex. Experimento id verum esse nobis comprobatum est. I.C. Esto. Ego tamen sic Aristoteli obijcio, si albumen vnum, vitella gemina gemellos pullos edunt, ex vitello igitur oritur pullus non ex albumine; at si ex albumine pullus fit, quomodo ex vno albumine fiunt pulli gemini? Præterea si fit pullus ex albumine, nobilius igitur albumen erit quàm vitellum, si vitellum cibus tantum est, quare igitur vitellum in loco nobiliori collocatum est, in medio scilicet, albumen vero pro stipatore, aut munimento habetur. Rectè confutas, sed Cardani nostri sententia quæ fuit? I.C. Ex vitello nasci alas & crura, & albumine reliquum corpus. Alex. Libentius ego vulgo assentirer, à vitello pennas fieri, verisimile namque est ex terrestriori eius parte illas concreari, & ex tenuiore cibum suppeditari, vel potius Galeni placitis adhærendo, ex luteo carnes, ex candido ossa & neruos. Sanè Galenus profitetur ex menstruo sanguine confici nostras carnes, ex semine ossa, neruos, venas &c. sed quo rationis stabilimento suam Cardanus tuetur opinionem? I.C. *Quia pulli*, inquit, *Qui ex ouo, cuius lutea duo sunt, absque sepiente membrana, capite vno, sed quatuor alis, & totidem pedibus nascuntur, arbitrãturque prodigium esse, quale olim Mediolani contingit.* Alex. At quomodo ipse nouit gemina ibi fuisse vitella & membranas abfuisse? I.C. Ego vero sic à Cardano quærerẽ, quomodo duo sunt vitella, si nullo septo herciscuntur? Alex. Tuã igitur nunc sententiam nobis proferas. I.C.

Card l. 12. de subt c. de hom. nat fol. 660.

Ea est, ex galli ſemine, quod in ouo est pullum generarari, quandoquidem ex ijs duntaxat ouis pulli generantur, quæ gallinacei ſemen cōtinēt, nec adeo debile illud eſt, vt vitelli & albuminis ope indigeat ad pullum efformandū. Alex. Sunt qui dicant ex oui putredine generari pullum. I.C. Mentiuntur, fracto namque putamine corruptum nihil intus inuenitur, ſed perfectum, corruptum intelligo ſicut in putrefactione. Alex. Eſt ne alius auium procreādi modus? I.C. Maximè. Apud Belgas ſunt Corniculæ, quas monedulas vocant petræas, quod in excauatis petris, non in arboribus nidulentur, vulgo *Steneame*, hæ non cæterarum alitum more in dorſum inſilientes, cōpreſſoque fæmellæ corpore Venerem perficiunt, ſed cōniuentibus, fixiſque oculis ſe obtuētur atque ita fæmina ex maris oculis lachrymas, ac roſidas guttas cōtinuo obtutu elicit, quas abſorbet, & ſic concipit. Alex. Mira narras, & non credenda. I.C. Parum abeſt à vero ſuſpicio. Alex. Audeſne fabellam hanc veritati cōſtituere aſſeclam? I.C. Placido animo rationes excipias: ſeminis materiam è cerebro ſuppeditari apud non ignobiles Philoſophos receptū eſt: ſanè qui aliquam in cerebro offenſionem accepit, infœcundus redditur, hinc fit vt ijs venis, & arterijs, quę pone aures ſunt reſectis, aut exhuſtis fœcunditas adimatur, vt de Schytis Hipp. prodidit, forma ſeminis quæ illud efficit ad generationem idoneum, ſpiritus eſt per totum corpus diffuſus: quapropter ſpumeſcens

ſemen, eo quòd ſit ſpiritib⁹ plenum, efficax ad ſobolem dixere ſapientes, fieri ergo poteſt, vt in illarum auium cerebro ſeminis exiſtens materia, ibidem ab euocatis eò ab imaginatiua facultate, cui omnes inferiores potentiæ exancillãtur, ſpiritibus fuerit (vt ita loquar) animatum & eorumdem concurſu, & agitatione colliquefactum, & propterea ad oculos, qui cerebro ſunt affines defluxit, atque inde fæmella auidè eliciens, concepit. ALEX. Acutiſſima quidem, ſed à veritate alieniſſima obraciocinatio, neceſſe enim eſt ad hoc vt ſemen fæcundum ſit vt in teſtibus aliquandiu commoretur. I. C. Fæcundum profundunt ſemen ſerpentes, & piſces, quibus tamen ſunt à natura denegati teſtes. ALEX. Caſtrati verò nõ generant. I. C. Hoc ideò euenit, quia exectis teſticulis vaſa ſeminis intro ſe contrahunt, occluduntur que viæ, per quas exire ſemen non poteſt. ALEX. Teſtes igitur, quibus inter principes partes primum locum cõceſſit Galenus, nulli vſui eſſe tu arbitraris? I. C. Galenus qui ridiculè cordi teſticulos prætulit, poterat eodem ſuæ philoſophiæ periculo anteferre Regem ſtipatori: teſtes (inquit Ar.) melioris duntaxat vſus gratia conditi ſunt. Illi quidem ſemini materiam non conferunt, vt pote quæ ex corporis alimento rapta, hauſtaque eſt ſecundum Ariſtotelis placita: neque formam, licet enim ſeminis materia vaſorum, teſtiunque vi exquiſitè adeò coquatur, vt craſſior, albiorque euadat, nequaquam tamẽ ſemen inde abſolutam

Ar. 1. de Gen. an c. 4.

ſolutam fœcunditatis naturam conſequi poteſt, niſi magna vbertate vndique ſpiritus influant: quare titillatio vehemens tunc corpus vniuerſum eximia voluptate afficit. ALEX. Nulla igitur eſt teſtium efficientia? I.C. Ea ſanè eſt quòd materiam ſeminis concoquunt, ac planè in alteram ſpeciem conuertunt, & ſic ei formâ quodammodo tribuere videntur. Quinetiam ſuo illi calore ſpiritus, quos ex corpore acceperunt diligenter ſemini commiſcent & inſerunt: hoc idem opus elaborare, & abſoluere poterit anima in cerebro, poteſt enim eò illa magiſtra, & opifex, quæ in qualibet parte tota eſt, ſpiritus procreationis miniſtros euocare: ſanè animæ imperio materialia inſeruire Auicennas oſtendit. ALEX. Eſto, ſed quomodo fæmella ore concipere poteſt? I.C. Interroga Naturam, ipſa tibi reſpondebit, eodem modo concipere Galeum, Sepiam, Squillam, locuſtam, & Polypum piſces. ALEX. Subtiliorem à te expectabam reſponſionem. I. C. Accipias igitur, fœminam ad generationem actiuè, vt loquuntur, concurrere, locupletiſſimo conſtat experimento, ſemen enim quod nonniſi ad procreationem natura ordinauit, in coitu effundit. Fœmineum verò ſemen generat (vt dici ſolet) animal, non modo vbi maſculino permiſcetur, verum etiam vbi viri calore, atque ſpiritu fuerit elaboratum: quod manifeſtum fit eorum animalium exemplo, quę nullo profuſo ſemine, ſui corporis calore, & ſpiritu ge-

nerant, vt insecta ferè omnia, & piscium complures species: nil mirum igitur si Cornicula proprij seminis vi, quod à maris spiritibus per oculos vibratis fouetur, concipit. Virgilius Poëtarum lux ita scribit.

Georg. 3.

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,
Continuoque auides vbi subdita flamma medullis,
Verè magis (quia verè calor redit ossibus) illa
Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leues auras, & sæpè sine vllis
Coniugijs vento grauidæ, mirabile dictu
Diffugiunt.

Si equæ concipere valent ad leues Zephyri auras, cur non & Cornicula auis ad maris spiritus, atque afflatus? Si puella nubilis, cui amasio frui negatum est, illum tacitè fouet gremio, illum mente etiam absentem concipit, ita vt ex crebra imaginatione collectis humoribus, qui conceptui inseruiunt, massam quandam informem concipiat, cur Cornicula ob amãtis præsentiam vehemẽtius cõmota spiritibus ab oculis, qui sunt in amore duces, eiaculatis, adiumentum præstantibus concipere nequibit? ALEX. Qualisne alius est auium ortus? I.C. Ex putredine. ALEX. Quomodo id probas? I.C. Ipsa Natura teste locupletissima. In Oceano Britannico Auis est anatis facie, Aremorici Cranbrans, Britones Bernachiam vocant, hæc à putredine naufragiorum procreatur, pendetque rostro de

Illis putridis reliquijs, quoad absoluatur, mox perfecta decidit in subiectas aquas, vnde sibi statim victum quærat, idque vidisse se testatur duobus in locis vir Optimus & Sapientissimus Scaliger. ALEX. Vix equidem possum animum inducere, vt istud credam. I.C. Nonne ex naualibus quisquilijs murem generari credis? ALEX. Maximè. I.C. Cur igitur ex ijsdem auiculam gigni posse negas? Sanè inter perfecta animalia mus à Philosopho recensetur. At si Sol dat in fimeto animam, vt fiat mus, cur non dabit vt fiat auis? ALEX. Sed concipisne alium modum, quo generentur aues? I.C. Ita, per transmutationem rei alicuius in illas. Francisco Galliarum Regi allata fuit concha cum auicula intus pene perfecta, alarum fastigijs, rostro, pedibus, hærente extremis oris ostraci. Viri docti de re tam mirabili responderunt, ostræum ipsum mutatum in auiculam. Consona est responsio hæc Alberti magni placitis. heus puer adfer huc nobis Alberti libellum de Mineralibus, & opportune hic locus adest; *Frequentißimè in aquis generantur lapides ex eis, expertum est enim in mõtibus Pyreneis esse loca quædam, in quibus aquæ pluuiales conuertuntur in lapides, & retinent figuram lignorum, & aliquando natæ plantæ in aquis, & æquoribus illis ita sunt vicinæ lapidum naturis, vt ad modicum exsiccatæ in aere lapidum formam assumant, & huius rei signum est lapis, qui dicitur corallus, qui absque dubio ex lignis generatur & plantis, aliquando enim tempore nostro in mari*

Scal. de subt. ad Cardan. exer. 59. paragraf. 2. & in lib. 1. de Plant. fol 80. col. 2. in lit. D.

Albert. lib. 2. de Mineralibus c 7.

Danico, iuxta Ciuitatem Lubecensem inuentus est magnus arboris ramus, in quo erat nidus, & aues perierant in nido conuersæ in lapides, erant autem parum ad rubedinem declinantes, quod aliter esse non potuit, nisi quia procellis vel vndis euulsa arbor, tempore quo in ea fuit nidus & aues, in aquam ceciderunt, & postea per virtutem loci, in quo iacebant, in lapidem vniuersa fuere conuersa. Est autem in Gothia fons quidam de quo verisimile traditur, quod omnia quæ merguntur in ipsum, in lapidem conuertit, ita vt huius rei famâ increbrescente ad eum misit Imperator Federicus Chirothecam sigillatam, vt veritatem probaret, quæ cum per aliquot dies medietas corij, & medietas sigilli mersa esset in fonte medietates sigilli & corij conuersæ sunt in lapidem altera medietate corij m[illegible]ente integra. Refertur & veraciter à fide dignis quod guttæ, quæ ex impetu casus eiusdem fontis sparguntur super ripam fontis conuertuntur in lapides guttarum eandem habentes quantitatem, cum tamen aqua quæ sic fluit non conuertatur in lapidem, sed continuè fluat. Sed legamus in capite vltimo eiusdem libri. *Admirabile omnibus videtur quod aliquando lapides inueniuntur habentes intus, & extra animalium effigies. Extra enim habent lineamenta, & quando franguntur inueniuntur in eis intestinorum figuræ, & huius causam Auicenna eam dicit esse, quod animalia secundum se tota aliquando mutantur in lapides.* ALEX. Nihil dictu facilius, sed profecto factu hæc impossibilia mihi videntur. I.C. Profectò non mihi, nam si influxu syderum, soli Natura, Cœlique am-

bientis qualitate vna planta mutatur in aliam, vt calamentum & sisimbrium in mentam, abscissum in sisimbrium, rapus in brassicam, ocimum in serpillum, petroselini semen in alliaria, cur non & vnum animal in aliud; si vnumquodque animal in cadauer transmutatur, quanto faciliùs in aliud animal. ALEX. Nulla ibi mihi videtur transmutatio, eiusdem enim substantiæ est os & caro in homine viuente, & in cadauere. I. C. Minimè, vna est in viuente forma qua vnum est. Hoc os Iulij Cæsaris viuentis viuens est, & vera hæc est prædicatio, hoc os est viuens Iulij Cæsaris viuentis, vbi ero cadauer, abierit forma, tunc corpus illud non erit id quod nunc est numero, ergo neque partes eius quæ vnum erant per id, per quod illud vnum erat ens, & tale aliquid ens. Sanè viuens, & non viuens differunt ac distant, at caret cadaueris os ea forma, qua erat viuens, ergo non idem est. Quinimo tibi neganti eandem esse materiam in omnibus, nego nunc eandem esse materiam viuentis hominis & cadaueris. Nam si materia Iulij Cæsaris non est materia Equi, quia sunt sub diuersis formis, multominus erit cadaueris materia eadem numero, quæ fuit viuentis, longè enim magis distant, quàm materia Cæsaris & Equi. Hæc enim sub propinquiore sunt genere, quippe sub animali, illa sub remotiori, nempe sub corpore. ALEX. Vt tibi facile est omnia probare, ita mihi difficile credere, ad aliam igitur deuenia-

mus quæstionem. Iul. Cæs. Quænam illa est?

DIALOG. XXXVI.

De Apum Generatione.

ALEX.

SÆpenumero dubitaui de Apum generatione, ignorans vnde generentur? I. C. Quid super hac re Mantuanus Homerus censuerit, iam tibi notum est. ALEX. Ita quidem, sed versibus ille ludit, non contendit rationibus. I. C. Hic est mos Poetarum. Sed Cardanus Philosophus subtilissimus è melle Apes progigni credidit. ALEX. Profectò non ex melle, quatenus mel est fieri potest generatio, esset enim semen Apis, quod dictu ridiculum est, quare, vt arbitror, de melle putrefacto Cardanus loquitur, atque ita eius adhæreo sententiæ. I. C. Vtrumque iudicium tuo est indignum ingenio, sic enim ille loquitur, *ex mellis præcipua substantia, quæ tenuissima est & sicca ac calida gignuntur apes*; Atque ego sic infero, si è mellis parte optima, non igitur ex putrefacta, neque ex melle putrefacto Apes congignuntur, non enim mel putrefit, sed prohibet putrefactionem, vt ipse Cardanus alibi scribit, *Arborum surculi in melle sepulti*

Card. l. 9. de subt. c. de animal. fol. 503. & l. 7. de ver. var. c. 28. fol. 219.

seruantur, quia mellis humidum tenue est dulce ac temperatum, non pingue, non putredini obnoxium; Quæ sententia etsi vera sit, ratio tamen est falsa, pinguia enim rancida fiunt, non putrida; Sanè oleum, lachrimæ & gummi quæ pinguia sunt, nō solum non putrescunt, sed etiam summa fide deposita seruant: nec è pinguium genere ego mel eximam, quemadmodum nec ipse Cardanus in secunda editione à pinguium societate illud abdicauit. ALEX. At si non ex melle generantur Apes, vnde igitur illarum ortum deducis? I. C. Ex coitu, quis enim obseruauit intus, esse Apes coitus expertes? ALEX. At quomodo hanc Cardani rationem subterfugies? I.C. Quænam illa est? AL. Formauit natura apes ad ceram, & mel efficiendum; itaque & sollicitæ semper esse debebant ad volandum, flores colligendum, cito redeundum, celeriterque opus perficiendum, quare non oua incubare poterant, absque naturæ finis dispendio. I.C. Hoc verò postremum nego, nam & eas cum ouis volare posse suadet bestiolæ exiguitas, ouorum enim proportio corpori respondebit. Quid mirum nonne volat perpetuò hirundo cum suis ouis inchoatis? Addam ex Aristotele, insectorum oua momento edi atque perfici. ALEX. Ego pudoris ergo venerem apibus adimerem. I.C. Non recuso, non enim coeuntes deprehendi vnquam, attamen appetitum propagationis non abstulerim. AL. Grata mihi foret sententia hæc, si ratione aliqua confirmares. I.C. In

Arist in 3. de Gener.

Erichrinis sexus altera pars sola est, quæ sine mare in sese oua concipiat: in quibusdam neutra, vt in Anguillis, & purpuris, è quarum saliuâ, non coitu purpurillæ suboriũtur, ita apes genitale quiddam in cellulis ponere par est, è quo apiculæ progignantur: ex rore & Sole vermiculi generantur in folijs, Papiliones, Aranei, Cinædi, Limaces, Erucæ in brassicis, lactucis, vitibus, &c. nec ex putrefactione, nam neque fabas esse putridas, cum in ipsis bestiolæ gignuntur, certum est, quanto commodiùs lectus ros ille, atque fotus calore parentis genitalis, tanquam ab Architecto in schadonem animabitur?

DIALOG. XXXVII.

De Prima hominis generatione.

ALEX.

SEd missas faciamus Apes, & dic sodes quomodo primus homo formatus sit? I. C. Diodorus Siculus prodidit primum hominem fortuito è limo terræ genitum. ALEX. At si ita est, cur post orbis primordia, quæ à quingentis mille annis Atheus ille deducit, ex huiusmodi procreatione nullus extitit genitus? I C. Non desunt & alij qui hãc fabellã pro vera historia crediderunt: siderum

enim conuentu asserunt fieri aliquando posse formas quæ in materia ita imponantur, vt homines ad hunc modum nasci queāt. Al. Quibus Cœlorum circumactionibus id hactenus fieri compertum est? Aliquādo sanè extitisset: forsitan si cum mendacibus Græculis Deucalionis & Pirrhæ saxa admittamus? I.C. Hieronimus tamen Cardanus huic videtur adhærere sententiæ, nam in hæc verba prorumpit. *Nec solum tam minuta, sed & maiora animalia è putredinie, imo omnia credendum est originem ducere, cum iam de muribus constet, & pisces in aquis recentibus sponte generentur.* Alex. Egregium sane Cardani argumentum, mus è putredine potest nasci, ergo & homo potest. I.C. At subdit ille. Namque cum putredo præcesserit pingue separatur à cinere, calorque confestim animam infundit illi materiæ aptam. Alex. Non deest vbique magna putredinis moles, cur igitur nunquam ex putri ortus est bos, vel equus? I.C. Imò ipse quem dixi Diodorus ait, vbi aliqua in parte Nili fluuij lectulus aquis destitutus forte fuerit, ex limosâ illâ materiâ Soli exposita vastissimos prodire animantes. Alex. Non ego huic mendacio subscriberem. I.C. Alij somniarunt ex Simiarum, porcorum & ranarum putredine genitum primum hominem, ijs enim est in carne, moribusque persimilis. Quidam vero mitiores Athæi, solos Æthiopes ex simiarum genere & semine prodijsse attestantur, quia & color idem in vtrisque conspicitur. Alex. Mi-

ror profecto cur ex ipsa hominis rectitudine non agnoscant præexcellentiorem in homine quàm in brutis originem. I.C. Imo primæuos homines curuos quemadmodum quadrupedes ambulasse Athæi vociferantur, nam & cũ consenescunt fieri vt veluti quadrupedes incedant, industria igitur factum esse asserunt vt pueruli compressis brachijs colligẽtur. ALEX. Percuperem huius rei experimentum videre, an puer recens natus inter nemora educatus quadrupes euaderet: sed missa hæc faciamus Athæorum deliria & fides sit penes præscripta religionis. Sed cur factus est homo. I.C. Sic olim concionando hanc quæstionem resolui, vt nempe aliquid esset quod intercessione sua summis ima coaptaret. ALEX. Id autem quomodo fit? I. C. Materia prima secundum Auerroistas sola potentia, actus purus solus Deus, prope Deum substantiæ immateriales, prope materiam forma corporeitatis, inter hæc animæ brutæ duæ, vegetans & sentiens, & super has potior intellectus, minor Intelligentijs, Etenim in materia existens immaterialis, sed à materia separabilis separatus per essentiam, non separatus propter informationem. ALEX. Acutè ratiocinaris. At ego credebam creatum hominem vt reliquis imperaret animantibus. I. C. Audesne dicere hominem Basilisco imperare? ALEX. Quinimo interficiet homo Basiliscum, nedum illi imperabit. I. C. Et hominem Basiliscus, par igitur imperium. Verum enimuero ibi esse imperium ar-

bitrantur ſapientes, vbi ſeruitus, aut obedientia. At quis hominum vel Baſiliſcis, vel Apibus, vel hirundinibus vel Balenis, vel Aquilis conſtituit rempublicam? Profectò ſi feras capit homo, ſæpius capitur ab ipſis. Crocodillus è Nilo ſola cauda venatur bibentes, nexibuſque implicitos ad ſe trahit: item flagellis Polipus vrinatores. Denique ſi interficit homo, interficitur quoque, ſi vorat, voratur. Alex. Hæc autem animalium in homines rebellio poſt peccatum euenit. At cum in illis beatiſſimis innocentiæ Elyſijs parentes noſtri fœlicem degebant vitam, omnia illis obediebant animalia, ô auream ætatem? I.C. Ne ingemiſcas, nam & poſt peccatum ouiculæ parent homini & ante peccatum ſerpens præd. Alex. Dictum puto. I.C. Id ipſum ego volebam dicere, fœlicem Adæ culpam quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem, non enim animantibus ſolum nunc imperamus, ſed & Angelos ipſos pro Pædagogis habemus. Sed quæſo hæc doctis Sorbonæ ſenibus relinquamus, & noſtra, ſi placet, in Philoſophicis exerceamus ingenia. Alex. Non recuſo.

DIALOG. XXXVIII.

De Infantium ex vtero Maculis.

ALEX.

CElebrem illam parumper agitemus quæstionem, Cur aliquãdo nascãtur animãtes effigie cerasi, mali punici vel alterius fructus aliqua in parte obsignati? I.C. duob⁹ modis id euenit. AL. quis nã prim⁹ est. I.C. Si mulier conceptus est aliquid simile animo concipit, quo stratagemate vsus est Iacobus, qui passim stratis, obiectisque virgultis quibus cortices ademerat, maximam gregis partem quum se inirent, maculoso tegmine, varioque ac versicolore vellere præstitit, sic picturatas alites, sic equos guttatos perficimus, quare scitissime Plinius ita scripsit, Similitudo in animo, menteque, est reputatio, in qua multa creduntur fortuito pollere, visus, auditus, memoria comprehẽsæ, haustæque sub ipso conceptu imagines, tum subito obortà cuiusque rei cogitatio effingere similitudinem, formasque miscere creditur, hinc alios auorum, alios patrum, plerosque autem cognatorum effigiem ostentare. Ideòque plures in homine, quàm in reliquis animantibus differentiæ, ac discrimina, quoniam

Plin. l. 7, c. 12.

cogitationũ velocitas, animique celeritas, atque ingenij varietas multiformes notas imprimit, quum cæteris animantibus animi ferè ſint immobiles, ſtabileſque, atque in ſuo cuique genere ſimiles: quò ſit vt mulieris imaginatio alienã formam, atque aſcititiam effigiẽ infanti inducat, nullaque in parte gignenti ſimilem, quare inefficax eſt argumentum quod in deſignando parente ex ſimilitudinis ratione ſumitur, noui mulierem quæ extra legitimum thorum ſe alteri proſtituit, & infantulum enixa eſt non adulteri, cuius furtiuo vſa fuerat cõcubitu, ſed abſentis mariti prorſus ſimilem quia dum coniugalem maculabat thorum, de marito ſollicita erat, metuens ne illius aduentu fraus detegeretur. Alex. At quomodo imaginatio tam varias rerum formas poteſt infanti imprimere? I. C. Semẽ ad procreãdam ſobolem eſt inefficax, niſi à ſpiritibus per totũ corpus diffuſis informetur: qui ſpiritus cùm toti ſint ad formandum fingendũque fætum conuerſi, ideo vehemens fixaque mulieris cogitatio, viſæ vel cõcupitæ rei ſpecies vehemẽter mouet, & verſat, & figuram quam aſſidua imaginatione reuoluit, ſpiritibus imprimit, qui ſic affecti eiuſdẽ cogitatæ rei figurã ſemini inducũt, ſemen autẽ fœtui. Al. Sed quamobrem, mulieres, ne exoptatæ rei notas pueruli faciem cõmaculent, remotiori corporis parti manum admouent, vel faciem manu abſtergunt, atque his modis vel contactæ ſecretiori parti nota infigitur, vel malũ prorſus

auertitur. I.C. Illud euenit, quia tota imaginatio ac facultas naturalis eò cõuersa est. Hoc vero fit, quia remouentur spiritus à primæui mandati executione. ALEX. At cur à parentibus podagra, lepra, vel calculo laborantibus nascuntur filij eisdem obnoxij infirmitatibus, cum verisimile sit, nequaquam de morbis tũc temporis sollicitos esse progenitores? I. C. An quia semen è præcipuis corporis partibus defluit, omniumque membrorum in se naturam viresque complectitur, quæ igitur vitia vlli parti inheserint, semen contrahit, ex semine fœtus: sane ex Catullo didicimus.

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

ALEX. Acutissimè, sed ob quam aliam causam huiusmodi notas infanti induci censes? I.C. Si mulier dum illum gestat in vtero, fixius quid simile intuetur, & auidius expetit. ALEX. Multi quidem sic, aiunt, verum quomodo id fieri possit, nondum à quoquam intellexi. I.C. An appetitus mouet animam, quæ vbi res exoptata deficit, ex omnibus corporis partibus proportionale quid suggerit, id quod vnusquisque nostrum in se manifestè deprehendere potest, quoties enim nonnullos fructus ab aliquo esitari conspicimus, non modò illorum nobis exoritur appetitio, sed mox saliua, quæ in ore abundans per appetitum accitur, eiusdem fructus saporem nobis redolere videtur. Quemadmodum etiam cum lepidissimæ A-

masiæ formam vehementissimo concupimus affectu, confestim suggerente anima plurimum spiritus, penis intenditur: ita cùm à prægnante res aliqua summopere expetitur, anima statim vt ei inseruiat, omnes corporis partes quasi promptuarias cellulas inuisit, vt si quid appetitui simile est, ei offerat: mouet autem præcipuè sanguinem, è cuius scatebra, atque irrigatione toto gestationis tēpore fœtus cum alimentum capessat, & cibus in aliti substātiam cōuertatur, mirū nō est, si aliqua illius cibi ita dispositi signacula in fœtu remaneant; Quam ob causam infantium notæ vt plurimū rubræ sunt, vt exustionem aliquam in sanguine factam præostendant. Apparet autem & rei concupitæ simulachrum, quia & in sanguine figuram mentiri, vel moliri potius intendit anima. ALEX. Subtilissimè quidem. I.C. Sed addam subtiliora ex Philosophorum Principis deprompta thesauris. Anima, inquit ille, sensitiua cum recipiat species omnium sensibilium est quodammodo sensibilia omnia, quemadmodum intellectiua est omnia intelligibilia, at omne quod est, vel est sensibile vel intelligibile, ergo anima cum vtroque polleat sensu scilicet & intellectu, erit omnia. Est enim, inquit Philosophus, sensus in actu, sensibile in actu, & intellectus in actu, intelligibile in actu. ALEX. Secundum esse spirituale, non reale interpretatur Philosophus, nam in secundo de anima asserit, oculum aspicientem colores, dici spiritualiter coloratum non

realiter. I. C. Ita est, sed nihil prohibet, imo necessarium est, speciem ipsam spiritualem realiter producere rem cuius est species, vbi agẽs est præpotens, & passiuum recte dispositum. ALEX. At quomodo id probas? I. C. Ratione, experimento, & Aristotelis testimonio. ALEX. Quænam est illa ratio? I. C. Species rerũ (quas Idæas Platonici vocarunt) in Deo reperiũtur, in Intelligentijs, & in anima nostra. Idea quæ in diuina mente est absque instrumento vllo (ignoscite Barbaris vocibus viri elegantissimi) Ideati causa esse censetur, produxit enim DEUS mundum per solam mundi Idæam, quæ in eius mente erat, hinc Boetius cecinit.

Mundum mente gerens, similique imagine formans.

Idæa rerum inferiorum, quæ est in Intelligentijs, inferiora hæc efficit quidem, sed mediantibus instrumentis æternis quæ sunt cœlestia corpora, vt dicit Diuinus AUERROES; nullum igitur sequetur absurdum, si idea rerum quæ in mente nostra est, producat aliquando (vbi patiens est bene dispositum) res illas mediantibus instrumentis corruptilibus quæ sunt spiritus & sanguis. ALEX. Rationem hanc nisi exemplis, & experimento (vt pollicitus es) cõfirmes, non admittam. I. C. Audi, fantasiam quatuor precipui insequũtur affectus, appetitio, voluptas, dolor & metus. Hi omnes affectus vehementissimi cùm sunt, illico corpus immutant, & in eo producunt realiter quod imaginatio dictauit. Appetitio Amasiæ cum

in fantasia

in phantasia fuerit, confestim ardores ciet in toto corpore. Quare ex sistoles, & distoles inæqualitate Anthiocum Stratonices amore captum agnouit Erasistratus. Imaginationem casum efficere non inficiabitur ille amans, cui in somnis amata offertur imago, & semen emittit, phantasia namque, vbi Amasię idæa residet, inferioribus potentijs voluntatem suam exequendam delegat. Appetitus nocendi frequenti intuitu fascinat pueros. Gulæ appetitus quid non efficit? Gulones nonnulli epulasquasdam auidè excogitantes, saliuam suam simili quodam sapore inficiunt. De voluptate quid dicam? nonne vehemens vbi fuerit, aliquando necem infert? Mater (inquit Marsilius Ficinus) viso filio à pugna redeunte subito expirauit. Ideo quia matris amãtis anima percupiens vnum fieri cum filio amato, ilico spiritus omnes ad illum transmisit, quibus ipsa destituta interijt. Dolor quid possit, nullus ignorat. Sophocles, & Dionysius Siciliæ Tyrannus obiere repente, accepto tragicæ victoriæ nuntio. Tetrum aliquando spectaculum adeo molestum est quibusdam, vt non solùm visum, sed & gustum etiam inficiat, & nauseam prouocet. Pueri, nonnunquam & grandiores, cùm amaram potionem alicui offerri conspexerint, statim, affectu ab oculis ad gustum tansmisso, amaram præsentiunt in ore saliuam, quam vehemens mouit imaginatio: ijs etiam nonnunquam huiuscemodi cogitatione aluus laxatur, & quod in ad-

mirationem me rapit, ex aspectu, & auditu solo dentes quibusdam obstupescunt. Quid de misericordia, quæ dolor quidam est, eloquar? Non ne commiserantis imaginatio, eodem prorsus vulnere lædit suum corpus, quo læsum videt extraneum obiectum. Hoc ipsum quod assero, manifestè declarant qui humani cruoris aspectu illico spiritu deficiente collabuntur. Ego equidem noui virum aliquem non infimæ sortis, nec ignobilis fortunæ, qui cum alterius cubitũ vulneratum conspiceret, in proprio suo cubito dolorem præsentijt. Quid vero metus? An non sæpe ex altioribus locis in terram despicientes, præ formidine caligamus & contremiscimus? repentino timore pallemus: verecundiâ affecti rubent, subito, & impræuiso metu cor trepidat, arrectæ stant comæ, vox faucibus hæret, deficitque vita, saltem diutini consequuntur morbi. E cõtrario metus ipse morbos curat, vt singultum & quartanam. Quotiescunque autem concurrunt simul vehementissimus metus cum vehementissima cupiditate, mirabiles profecto effectus progignuntur, vt videre est apud Herodotum. Cũ enim Cræsum Regem quidam ex Persis interficere vellet, Cræsi filius antea mutus, propter ingentem tum mortis paternæ timorem, tum loquendi cupiditatem vehementissimos affectus, linguã illicò soluit, ac magnâ exclamans voce, ô vir, inquit, ne interficias Cræsum, sicque vocalis factus est, quem natura mutum prodiderat. Mihi verò

præterita pericula, & timores memoria repetenti, alu⁹ ſoluitur, nam à formidabili illa ſpecie refugiunt ſpiritus, & ſeſe abdũt in receſſus intimos, atque in vnũ collecti, fortiores euadunt, & aluum mouent. Sunt ſanè ſpiritus nihil aliud quàm calor; calor autem diſſoluit & aperit. Sed quid blattero meis ineptijs? Quid omnino poſſit imaginatio ſubſequens Auicennæ teſtabitur experimẽtum. *Iſtud etiam eſt*, inquit, *de mirabilibus animaliũ, quod gallina quãdo vincit gallum in pugna, erigit criſtam quaſi eſſet gallus, & aliquando naſcitur illi cornu in crure, vt gallo. Et in hoc percipi poteſt obedientia naturæ quæ præſtatur ipſis cogitationibus. Quandocunque etiam moritur gallina, vel dimittit pullos, Gallus fit pius erga eos, ſicuti ſi gallina eſſet, non luxuriat illo tempore, imo ſe agit molliter, ac ſi eſſet gallina.* Idem obſeruauit Ariſtoteles, ſic enim ſcribit. *Sed vt etiam animalia pro ſuis effectibus agere, ſic pro ſuis etiam actionibus affici mutarique ſolent. Partes etiam corporũ nonnullæ ſæpenumero ratione agendi immutantur, vt in auium genere euenit. Gallinæ enim cum mares vicerint, cucurriunt, & exemplo marium tentant ſuperuentu coire, criſta etiam caudaque erigitur, ita vt non facile an mares, an fœminæ ſint liceat cognoſcere, nonnunquam etiam calcaria his naſcuntur. Jam verò & mares ſunt nonnulli, qui cum forte fœmina interijt, officio fœminæ funguntur in pullos, ducendo, fouendo, educando, ita vt ex eo vel cucurrere, vel coire appetant, quin & inde à primo naturæ ortu ita nonnulli mares effœminati proueniunt, vt neque cucurriant, neque per*

Auic. l. 9. de anim 1. de morib. anim.

Ar l. 9. de Nat. anim. c 38.

coitum agere velint, sed venerem eorum qui tentent superuenire patiantur. ALEX. Subtilissimè hæc explicasti non modo ratione & experientiâ, sed etiam doctissimorum virorum authoritatibus confirmasti. I.C. Imo & Aristoteles alibi clariùs hanc tuetur sententiam. *Alterant verò* (inquit) *imaginationes & sensus atque considerationes. Nam sensus, qui alterationes quædam sunt, à primo insunt, imaginatio & consideratio vim obtinent rerum, cum species intellecta calidi vel frigidi suauis aut formidabilis similis quodammodo rebus sit. Unde fit vt sola consideratione tremor timorque inuadat, quæ omnia affectiones sunt, & alterationes, at quæ in corpore alterantur, ea partim maiora, partim minora sunt. Illud satis constat, vel modicam in principio transmutationem facere à longinquo magnas multasque differentias, vt claue quamlibet modice transposito magna efficitur proræ translatio. Præterea huiusmodi variatio fit per calorem frigusue, aut cæteras id genus affectiones; factam enim alterationem in corde, etiam in particula, cuius magnitudo percipi nequeat sensu, magna per corpus diuersitas sequitur, ruborum, pallorum, tremoris, metusque & eorum quæ his opposita sunt. Principium itaque motus vt dixi, est petendum & fugiendum in rebus agendis, quorum considerationem imaginationemque calor & frigus necessario consequuntur, nam triste fugiendum, suaue petendum est, quanquam hoc admodum latet, cum in paruis contingit. At omnium fere tristium suauiumque frigus quoddam & calor comites sunt. Declarant hoc confidentiæ, metus libidines, & cæteræ af-*

Ar in lib. de Motu anim. cap 6.

fectiones corporales, tristes suauesque, quæ partium portionem corporis cum calore, & frigore, partim solidum corpus obtinent. Memoriæ vero atque spes, talibus velut imaginibus vsæ, modo minus, modo magis causa ipsorum existunt. Idem Arist. Imaginationis vires in problematibus latius est prosecutus. Ex his mirum tibi (ô Alexander) non videbitur, quomodo matris imaginatio aliquâ possit notâ infantem in vtero obsignare. Quod si hæc nostra tibi non arrident Cardanum habeo præ manibus, qui doctissimè tibi satisfaciet. Sed Perlegas tu ipse, nam ego fere defessus sum. ALEX. Libenter istud muneris obiero. *Cur pueri* (inquit) *in vtero à matre desideratarum rerum vestigia in corpore contrahũt? vidit hoc Rhodiginus Cælius, quem nos audiuimus, sed causam non adiecit; hæc autem sic se habet, dum fœtus est in vtero, prægnantis imaginationi subijcitur, indicio est tales cõcipi pueros, qualis fuerit imaginatio parentũ hora congressus, quod tamen nos nõ admittimus, quamuis Iacobi historia de ouibus reluctetur: aliquid tamen facere imaginationem non negamus, verum animula fætu contenta mouetur imagine animæ matris, inditio est quod solis fætibus grandioribus hoc accidat, & quod illusionibus animæ mulierum, quæ absolutum infantem vtero gerunt, velut in pueris ipsis, qui in vrceis mirabilia videre se existimant haud dubie patet, horum omnium causa vna est, quoniam menti, & imaginatio imaginationi annexa est, propterea quoniam animus corpori in homine dominatur, & in fœtu iam perfecto similitudo alimenti, iam imaginatione matris*

Sect. 7.

Card in l de immort. an. c vt. g 3. fol. 244.

Rhodig Cæl. l. 20. c. 15.

violenta defertur cum ipso alimento, ac spiritu in fœtus corpus, effingitq; rem similem ei, quam imaginatione conceperat, additque plerumque membris exterioribus, quoniam quæ format infantem virtus inutile existimat, ac extra ordinem membrorum intus illud retinere, ergo si propellere nequit, aboritur infans. Quam ob causam, & cur non semper talia fiunt signa, manifestum est: & cur magno desiderio rerum fœtus aboriantur, quandoque non satis ex his patet, nam in tenui appetentia nihil horum efficitur: in valida autem aboritur, aut vestigium manet si iam fœtus animum conceperit. Hæc Cardanus, & subtilissimè ille quidem; sed illud abs te scire velim, vnde prouenit insatiabilis prægnantium appetentia? I.C. A vitiosis, frigidisque humoribus, atque acida pituita, qua ventriculus imbutus est, quapropter & carbones, putamina, & cretam auidè concupiscunt, quod malum potissimè inualescit, quũ infanti crines erumpere incipiunt, siquidem ob caloris penuriam humores pituitosi minus coquũtur. ALEX. At cur vbi pręgnans inexplebili rei alicuius desiderio tenetur, & potiri nequit, fętum in pręsentaneum vitæ discrimen adducit? I.C. An quia contracto mœrore mulieris animo spiritus vitales imminuuntur, & humores fœtui alendo destinati aliô auertuntur, quare infans consueto destitutus alimento elanguescit, vel emoritur. ALEX. Ah. I. C. Quid tibi venit in mentem? ALEX. Dicam libenter, si tuã mihi polliceris operam. I.C. Ad omnia paratissimum me offendes.

DIALOG. XXXIX.
De Procreatione Masculi, & fœminæ.

ALEX.

NObilissimi quidam cõiuges procreandi sexus virilis ardentissimo flagrant desiderio, nec tamen vnquam voti cõpotes fieri potuerunt, quare illorum, quos munificentissimos experieris, nomine, abs tuæ subtilissimæ Philosophiæ decretis fœcunditatis subsidia peto. I.C. Istarum rerum successus à Deo impetrandus est. AL. Cùm ille Optimus Maximus naturæ ordine omnia decurrere sinat, nihil vetat extrema præsidia accersere, ac eorum naturæ imbecillitati adminiculari. Deus non irascitur, si steriles agros, & infructuosas arbores cultura, atque industria fœcundas reddimus, multominus si muliebrem vuluam, quæ ager dicta est à Platone, & ab Aristotele, antea sterilem fœcunditate instaurabimus. I.C. Ad liberorum procreationem adiumento sunt primum humor genitalis, qui partim à cerebro, totoque corpore, partim ab hepate sanguinis officina diffunditur. Deinde spiritus per arterias à corde promanans, cuius vi penis erigitur, ac rigescit, cuiusque impulsu materia seminis foras erũpit. His accedit cõcubandi, & generandi appetitus, qui vel ima-

ginatione excitatur, vel ex conſpectu, ac contactu venuſtæ puellæ accēditur. Vt ſemen fœcundũ efficiatur, cibi laudabilis ſucci ſunt aſſumendi, quique probè nutriant, corpuſq. vegetum reddant, ac ſucculentum, cuiuſmodi ſunt calida, & humida. Perficitur enim (inquit Galenus) ſeminis ſubſtãtia ex ſincera, excoctaque ſanguinis ſuperfluitate ſimul & flatuoſa: edulia quibus vis ineſt augendi, cumulãdiq; ſeminis ſunt oua gallinacea, phaſiani, turdi, perdices, capi, pipiones, paſſerculi, amygdala, nuclei pini, vina generoſa, dulcia, ac meraca: nonnullis rebus efficacia ineſt incitandæ, mouendæque tentiginis, necnõ partes genitales erigendi, atque ſpermatis propellẽdi: cuius facultatis ſunt calida, quorum vi ebullit ſemen, & bene cõcoquitur, ideò albeſcit, perfectę elaborationis inditium: acria, & ſalita, quorũ acrimonia expultrix vis excitatur ad ſperma eiaculandum: & flatuoſa, nam ſpirituum concurſu ficula intenditur, & ſemen animatur, quare ſpumeſcẽs ſemen, eo quod ſit ſpiritibus refertũ, propagationi ſobolis idoneũ eſt. Hæc omnia cõmoda preſtat Satyrion, Iringiũ, Naſturtiũ, Eryſimũ, Paſtinaca, Cinara, Napi, Rapæ, Aſparagi, cochleæ marinæ, & pleraq; alia quę in hoc apponũtur cõdimento. ℞. Zinziberis, ſeminis ſynapi, cepullæ, erucæ, vrticæ, cinamomi an. ʒ. j. piperis lõgi, aniſi, gariofil. an. ʒ. j. ß. lũbos ſtinci. ambræ ℈. j. fiat puluis, quo formentur cum Zaccharo tabellę; quibus munitus miles ſtrenuè pugnabit, vt enim ſclopetæ primũ tormẽtario puluere inferciuntur, ac globis explen-

tur, deinde adiecto efficaci puluisculo ignito funali incenduntur, globumque violento strepitu exturbant, ita in perficienda venere concurrere debet conglobati seminis copia, & flatuosi spiritus vis, qua explodi semen, atque in vteri recessum recondi possit. Præterea ne præfati coniuges speratæ prolis desiderio frustentur, caueant ne concubitus sit frequētior, quàm res exigat, nec quàm expediat, rarior, vtrumque enim fæcunditati æquè noxiū, siquidem è seminis immoderata profusione, vires, & spiritus exhauriuntur. Diutius vero quam par est cohibere, euanidum efficit semen. à prandio, & à cena venerem non exerceant, tunc enim euocati sunt ab anima spiritus ad cibi concoctionem, quare non libènter aliò conuertūtur: à coitu etiã vir supersedeat, dum mulier sordida mensium profluiue coinquinata est, nequit enim semen in vtero contineri, sed influentis sanguinis copia eluitur, quemadmodum meretriculæ quæ crebrius à viris subagitari patiuntur, non concipiunt, quare Medicorum Dux asserebat, eas, quæ humidos habent vteros, non concipere, vt enim in palustri, & vliginoso loco plantarum semina suffocãtur, nec facilè in stirpem emergunt, ita ex frigidi humoris redundantia (est enim menstruum excretio redundandis sanguinis, qui ob sexus imbecillitatem nec calore concoqui, nec exercitio dissipari potest, quare ex lunari concitatione suo tempore illud erumpere necesse fuit) semina strãgulantur, adeò vt muliebris vteri vis nullam speciem emoliri

possit, quare scitissimè diuinus Hæbreorum Princeps altioribus tamen de causis, quæ humanum fugiunt captum, inhibuit, ne mulieri tali vligine coninquinatæ congredi vir præsumeret. Nec ad venerem se quisquiam accingat antequam menses se proferãt, nequit enim tunc conceptus fieri, quia alimento caret, nec semen adhærescit, nam eo tempore occlusis vasis vulua leuis relinquitur, semẽ propter læuorem, ac vitream politiem defluit, nec vniri potest, & coalescere. Tempus ad concipiendũ tempestiuum est cum desinunt vel incipiunt menstrua, tunc enim ora aperta sunt, *vasa autem vuluæ* (inquit Galen.) *quæ in partem interiorem penetrant, ex quibus menses profluunt, cum mulier conceptura est, ora aperiunt*. Licet autem reliquo purgationis tempore ora hæc adaperta sint, nõ tamen cõcipere potest mulier, quia ob mẽstrui impetũ semẽ ab vtero diffluat necesse est, at desinentibus, vel incipientibus menstruis & ora apta sunt, & menstruum non cõfertim, sed paucum, & sensim effluit, quasi humore quodam rosido insudante, quo irrigatus vterus madescit. Vnde efficitur vt vuluæ semẽ adhæreat, satisque alimenti è confluentis sanguinis stillicidio consequatur. Insuper vteri qualitas spectanda est, si ob nimiam humiditatem semen tenacius inherescere nequeat (quemadmodum nec in palustris, & vliginosis locis semina persistunt nec in stirpem se proferunt) quæ vuluam minus lubricam, & mucosam efficiunt, adhibenda sunt, vt ramenta eboris, styrax, calamita, cornu cerui-

num, blattæ bizantinæ, ſemen myrti, galbulæ, nuces cupreſſi, thus, Maſtiche, caryophillata, pentaphillō, roſæ rubræ &c. horum nonnulla foris admota, quædam intra corpus aſſumpta, vtero robur conciliant, conſumptoque ſuperuacaneo humore, rimoſam, hiantemque vuluam conſtringunt, ac retinendi ſeminis vim conferunt. Salis vſum in condimentis liberaliter admittant, abſtergit enim omnem vliginē, vuluāque plus ſatis vdam, ac madidam exſiccat efficitque, vt genitale ſemen faciliusvtero adhæreſcat. Aridis autem mulierculis, & quibus vterus torridus eſt, & terra ſiticuloſa, medicamenta, ac cibi adhibendi, quæ moderatè humectent. ALEX. Nec ipſe Hippocrates doctius locutus eſt vnquam. Sed id mihi nunc explices, quæ nam eſt captanda opportunitas, vt maſculus progigni poſſit? I.C. Auicennę conſilium hoc eſt, vbi menſes defluxerint, ſitque abſterſus vterus, quod quinto ferè die vſu venit, aut ſeptimo, ſi vir mulieri congrediatur à primo quum eſt purgata die ad quintum, maſculus producitur. ALEX. Quam huius effectus cauſam adfert? I.C. Nullam. ALEX. Eius igitur ſententiam reijcere non verebor. I.C. Siſte parumper, meque in Auicennæ fauorem obratiocinantem excipias rogo. ALEX. Nil mihi iucundius accidere poteſt; vix tamen ſpero te illam opinionem aliqua ratione comprobaturum. I.C. Audi, Mas (inquit Ar.) generatur quum virile ſemen muliebri potentius coaleſcit. ALEX. Scio, ſed caloris munus hoc eſt, atq; beneficiū. I.C. Plus caloris

concipit vterus primis à purgatione diebus. Alex. Quomodo id probas? I.C. Quia sordidus humor, cuius copia natiui caloris facultates obtundebantur, accuratè iam expurgatus est. Præterea semen in dextrum vteri sinum dirigitur hepatis, dextrique renis vi attractoria, è quibus etiam sanguis calidus in futuri fœtus alimentum ijs diebus deriuatur. Alex. Cur potius à dextris, quam à sinistris partibus? I.C. Quia hæ alsiosæ quum sint, ac frigidæ sanguinisque inopes, statim à purgatis mensibus aliquid conferre nequeunt, quare dexteræ duntaxat partes suas obeunt vires, quarũ ratione masculus effingitur. Alex. Hoc tibi probandũ restat. I.C. In quarta parte eius libri quem Physico-Magicũ inscripsimus, latissimè probauimus, summa hæc est: si è sinistro rene semen fluat, & in leuã vteri partem inclinet, fæmella procreatur, nam ob loci frigiditatem atque humiditatem semen perfectè concoqui nequit, quare imbecille & imperfectum producet animal, quale à Philosopho censetur esse fęmina, quam ob caloris inopiã genitam asserit: si verò è dextro teste semen promanet, & in dextrum vteri sinum deriuetur, marem efficiet. Est enim dextera pars domiciliũ hepatis, quod sanguinis est officina, calor autem in sanguine, semẽ autem calore elaboratum perficitur, ac proinde perfectum animal nempè masculum proferet. Quapropter si præfati illustrissimi coniuges procreandi maris sunt auidi, hanc sibi præscribi legem patiantur, vt vir

Cap. 38r

dum coit, ſiniſtrũ teſtẽ obligatũ retineat. mulier autẽ completo opere in dextrum latus deuoluatur,& in ſomnũ reſoluatur, hac enim ratione intro euocãtur ſpiritus & ſemen maiori nixu elaborabũt: maneat autem capite decliui ac ſubſidente corpore, ne ab vtero fluat ſemen ad quod profluuium euitandum conſulerem mulieri, vt ſi dum Veneri perficiendæ inſiſtit, à validis concuſſionibus abſtinere recuſat, peracto ſaltem ludibrio, clementer & placide in dextrum ſinum ſe deuoluat. ALEX. Perdoctè, ſed quam anni partem cenſes ad maſculi conceptum elaboratiorem? I. C. Æſtatem aliqui putant, propterea quod ſemen, ac ſanguis menſtruus ex ambientis aëris qualitate plus caloris concipiant: aliter ègo cenſeo, nam æſtiuo tẽpore magna fit ſpirituum, quæ ſeminis forma ſunt, amiſſio, calor cutem laxat, quare ſpiritibus patet egreſſus ad cognatum externum calorem à quo euocantur, quare nec ſeminis materia perfectè elaboratur, perfectiſſime autem in hyeme, quo tẽpore calidior eſt vterus, nam calor intus coercetur ob frigidi metum; ne autem ambientis aëris frigiditas ſeminis ſpiritus depopuletur, prope focum, vel calido in lecto colluctentur, non quaſi penſum concubitus, ſeu debitum, vt Summiſtæ vocant, languidè, & oſcitanter perſoluentes, ſed quaſi ſingulare certamen expetentes (ſanè dimicant tunc pro æternitate) in Venerem ardentius incaleſcant, vt cumularè, affatimque conferant ſpiritus, ſic enim ſemen

perfecti⁹ elaboratur. Demũ Progenitores vehementi maris imaginatione concepta inter amplexus, & suauia, id auide appetere debẽt: mulier cogitationes, & oculos in viri vultum dirigat, vir in mulierem galero tamen ornatam, vel absentem iuuenem imaginetur, vel absentis simulachrum conspiciat, si nec præsentem intueri, nec se coheuntem in speculũ inspicere velit, quotidiano nãque experimento comprobatũ est, si quid cõiuges animo cõcipiant, aut in obuia queque incõniuenter defigant oculos, mentiq; imprimant, conceptis, aut conspectis ideis simile quiddam emoliri, quare illorum effigies in fœtu solent elucere.

DIALOG. XL.

De Monstruosis Partubus.

ALEX.

CVr Natura, quæ Dei facultas, imò Deus ipse cum sit, perfectissime emoliri cuncta deberet, prodigiosos tamen partus, monstrosósque fætus efformat? I. C. Ideo Aristoteles monstrum definiuit quod præter Naturæ fit ordinem. ALEX. At quid præter, & contra naturam dici potest, quando motus, & quietis, quibus omnia perficiũtur, ipsa Natura principium est? I. C. Vt artifex quamlibet industrius opus fœliciter inchoatum perficere nequit, vbi materia improba est, sic natura

Ar. in 4. de Gener anim.

A. 2. Ph.

materiã nacta inidoneam, omnia vitiosè agit, ALEX. Quasi vero Natura sit alia, quæ formam suppeditet, alia quæ materiam sibi deposcat, tanquam Æneas ab armigero Achate, cum hostium vi oppressus dicit, *suggere tela mihi*: at enimuero existimandum est, materiam facilius, ac parabilius præsto esse, quàm imponi formam, operosior enim hæc. I. C. Ob enormia scelera, inquit Cardanus, Cœli anima adirata est, quare parcè, & illiberaliter vim suam inferiori Naturæ elargitur, tanti numinis igitur afflatu destituta periclitatur. ALEX. *Tantæne animis Cælestibus iræ*? Etiam Philosophi passionibus Deum obnoxium credunt? I. C. An monstrosos partus (inquit Põponatius) natura effingit, vt futuros magnarũ rerum euentus hominibus præostendat? mõnstra sanè dicuntur (ait Augustinus) quia aliquid significando demonstrant. ALEX. Suum scilicet fortuitum exitum Alexander Aphrodiseus interpetratur. I. C. Fortuitos non dixerim effectus, quorum causæ mihi innotescunt. ALEX. Quænam igitur sunt monstrorum causæ? I. C. Quemadmodum nonnulli famelici nidore culinæ saturãtur, atque alimentorũ penuria odoribus reficiũtur, ita lasciuæ salacesque puellæ, quæ admodũ pruriunt, imaginaria Venere citra virilẽ operam, aliquando concipiunt. ALEX. Quomodo id fit, & quid ad rem? I. C. Ex crebro virorum contuitu, contactuque mulier semen emittit, quod vbi cum menstruis cõglobatur, & coalescit vteri facultate, insitoque calore

Card. l. 8. de rer. var. cap. 68. vrca finem.

Põpon l. 1. de fato. cap. 6.

Aug l 21. de Ciu. Dei cap. 8.

Al. in l. de fato.

Ar. in 1. potest.

adiutum, rudimentum aliquod animantis meditatur. Verum quia virile ſemen, quod opificis rationem obtinere Philoſophi cenſent, abeſt, materia, quam mulier ſuppeditat, alienã, abſurdamque formam adſciſcit. Nonnunquam tale quiddam mutua coniugum opera conficitur. ALEX. Quando id euenit? I.C. Cum vir mulierem ſubigit eo tempore, quo menſes defluunt, nam ſi (quod raro accidit) concurrere tunc ſemina contingat, mõſtruoſam formam embrioni induunt. ALEX. Quam ob cauſam? I.C. Quemadmodum in cadis vinaris immiſſo embolo profluẽtem liquorem cohibemus, ita viri peſſulo in vuluam obducto, ſiſtitur ſanguinis fluxus, cuius vligini viri ſemen cõmixtum, ſordidis conſpurcatur inquinamẽtis, quare, inconcinnam formam, indecentẽque figuram materia aſſequitur. ALEX. Veriſſimum id eſt. I.C. Quandoque etiam ſapiens fœlices coitus dies obſeruat, & primordia vitæ auſpicata ſemen habet: verum ob vteri leuorem, ac lubricitatem præmaturè delabi contingit, ſic vt informe quidem profluat, ac rudimentum futuri fætus. ALEX. Sed quid dices ad hoc? nuper ouicula prodijt capite vituli marini. I.C. E Iacobæis ouibus reſponſionem deſumam, forſitam tempore concubitus Phocam conſpexit? tam efficax ſanè imginandi vis eſt, vt ſi coeuntes oculos, & cogitationes in rem quampiam defigant, ea vis quæ formationi fætus inſiſtit, euocatis vndique humoribus, qui ei exancillantur, conſpecta membra

bra corpori affigat: noui matronam, quæ ex leporis obtutu, infantem edidit labello supremo bifido, ac bifurcatim disſecto. ALEX. At cur aliqui naſcuntur geminis membris, quæ redundant, ac ſuperuacanea ſunt. I. C. Illorum matres in conceptu, vel geſtationis decurſu dupla rerum ſimulachra in animo conceperunt, vel eorum oculis ſe obtulerunt ex ſuffuſis craſſis vaporibus, vel cùm diſtractis diuulſiſque ſpiritibus, qui in pupillæ punctum dirigi debebant, cernendi aciem diffindi, ac diſſecari contigit, quare geminatam illam ſpeciem vna cum humorum confluuio, qui in eas partes circa quas imaginum conceptus verſatur, decumbunt, ad fœtum deuoluentes, eius etiam partibus affabrè elaboratis tanquam ſecundariam operam, vel operi appendicès affixerunt: ſi mulier imaginatæ alterius ſpeciei mēbra emoliri valet, vt à te conſpectæ ouiculæ belluæ marinæ caput habentis exemplum teſtatur, cur non eiuſdem duplicatas particulas? ALEX. Sed cur nonnulli producuntur animantes, imminutis inutilibus, truncis, decurtatiſque membris? I. C. An non ſatis vberem ſeminis materiam natura nacta eſt? an id euenit ex defectu humorum, atque alimenti, fomentique penuria? an naturales facultates in elaborandis articulis ſunt inualidæ, ſuiſque viribus minus inſtructæ? An his omnibus dotibus, ac facultatibus affatim natura inſignita erat, vterum tamen conſecuta eſt anguſtum, ſplenem induratum, ac

callosum, coxendices eminentes, atque introrsus retortas, aliaque obstacula quæ infantem adolescere, atque omnibus suis numeris absolui prohibent. Profecto teneræ corporis partes ob tantas difficultates, & obices dilatare se, oblatoque alimento perfrui nequeunt, sed cohibentur quominus in venustam corporis formam decentesque articulos excrescant. Nam quemadmodum arboris in saxoso solo consitæ radices, vndique diffundere se nō possunt, sed obstaculo impeditæ retorquentur, atque incuruescunt, repulsæque resiliunt, sic in animantis corpore cùm fœtus effingitur, vel vasculi angustia, vel alimenti inopia, aut calli cuiusdam obiectum obstat, quominus membra articulatim, distinctéque efformari queant. ALEX. De monstrorum causis apud Aristotelem, & Albertum nonnulla perlegeram, veruntamen quisquiliæ sunt, si cum tuis conferantur subtilitatibus, sed alium mihi ex animo scrupulum euellas, rogo, qui me dies, noctesque stimulat, ac pungit. I.C. Quid est?

DIALOG. XLI.

De Infantium facie laruato tegmine obducta.

ALEX.

HOnestissimæ mulieres sunt, quæ tanquam ex tripode pronuntiāt, optimi cum ominis præsagio me in lucem prodijsse. I. C. Quænam fuerunt auspicata tuæ vitæ primordia? ALEX. Tenui, mollique membrana facies mea tanquam larua, aut personato tegmine obducta ad primum lucis intuitum se spectandam exhibuit. I. C. Quid inde? AL. Magna me dexteritate, ac successu omnia effecturum vaticinantur. I. C. Delirantium anicularum fabella hæc est. ALEX. Imò apud Illustrissimam Heroinam Isabellam Lopez de Noguera matruam tuam, vnicum pulchritudinis speculum, & honestatis exemplar, nec non apud magnæ existimationis, primique nominis Philosophos persuasio hæc inoleuit. I.C. Non authoritatibus, vt legulei solent, sed rationibus Philosophi certant. ALEX. At quæ nam ratio adduci potest, cur ego capite galea obducto prodierim? I. C. Prouida mater Natura, ne attritu infans ali-

quid incommodi pateretur, geſtationis præſidia excogitauit: quare tria molita eſt inuolucra, quibus in materni vteri lateris fœtus obtegitur: exteriius vnum, quod à partu ſtatim quia prodit, ſecundæ dicitur: ſubſunt huic duæ aliæ membranæ, quarum prior à figura farciminis Allantoides appellatur, ex fœmineo ſemine generata, quæ capiti, clunibus, ac pedibus obtenditur, partibuſque eminentibus incumbit, cuius eſt infantuli efformati vrinam excipere: poſtrema à mollitie agnina nuncupata, tenuiſſima eſt pellicula, quæ fœtum orbiculatim ambit, & complectitur, ab eoque matureſcente emanantes ſudores, vaporeſque abſorbet. His in latebris infans deliteſcit, donec per vmbilicum illi alimentum ſuppetit, & calor cordis abſque externa reſpiratione ſubſiſtere poteſt: at grandior factus, alimenti, luciſque auidus, quibus obductus erat velamina dirumpit, & ob adſtricta vteri veſtibula (ob Euæ lapſum Chriſtiani inquiunt, quod Ethnici Philoſophi percipere non potuerunt, cùm & bruta peccati expertia, eandem pati miſeriam aduerterint) acerrimo parturientis cruciatu in vitam producitur. ALEX. Acutiſſima enarratio, ſed quid ad propoſitam quæſtionem? I.C. Cùm infans magno molimine ex huiuſmodi anguſtijs eluctetur, ipſaque mulier ſtricti ſit oris, atque anguſtè conſtituta, poſtremæ illæ membranæ hærent in mediis ſpatiis, illaſque exuuias abſtergi contingit, non ali-

ter quâm extimam cutem atterimus, vbi per angustam rimam elabimur. Aliquando (vt genitrici tuæ accidisse argumentor) panduntur mulieris portæ, partesque genitales laxæ sunt, atque tunc integumenta illa cum infante prosiliunt. ALEX. At cur alia alijs coloribus conspici solent? mihi quidem rubicundum fuit gestamen, atque ideò multa bona auspicabantur : infesta prænuntiant quibus nigricantis coloris galea capiti affixa est. I.C. Ad circumfusos qui vtero innatant humores id referendum est. Ex eis enim coloris varietatem sibi adsciscunt : cum sordida illuuie, ac vitiosa vligine vulua imbuta est, quæ cum vtriusque semine coalescit , fusco colore membrana existit, quemadmodum & infantis cutis fuliginoso vndique colore suffusa est. Si verò sanguis, semenque sincerum sit, ac defæcatum, rubescit tegmen, floridusque color infantulo subest : idem accidit si vir mulierem subigit antequam menses defluxerint, nam humentibus adhuc vdisque locis tanto rubore semen suffunditur, quare infantes gignuntur, genis, buccisque rubentibus, & ei adhærentes pelliculæ roseum colorem nanciscuntur: quod & vsu euenit cùm grauidæ vel pudore afficiuntur, vel subirasci solent, agitato à calore natiuo, raptoque in sublime sanguine; è contra quibus metus incutitur, aut inopinato expauescunt, illæ vultum tetricum, ac subtristem affingunt

fœtui, pallidoque colore membranas tingunt.

DIALOG. XLII.

De Hominis Augmento.

ALEX.

IAm ſatis multa de hominis generatione diſſeruimus, de augmento nunc pauca. I.C. Vbi accretionē natura molitur, diminutionem tu meditaris. ALEX. Cur receptum eſt ab omnibus, poſt trigeſimum annum non fieri humano corpori incrementum? eſt-ne auctrix vis in nobis corrupta? I. C. Minimè, eſt enim incorruptibilis ſubſtantiæ facultas. AL. An otioſa potentia illa eſt, quia materia deeſt, vel cum transmutante poteſtate proportionem non habet? I.C. Nequaquam, enutrimur enim quotidie. ALEX. An deſiſtit auctricis opera, quia finis abeſt, qui ipſam moueat? finis autem eſt expletio menſuræ certæ, completa igitur menſura, nihil perficiendum remanet. I.C. Si verum hoc eſſet, in adulto corpore ablatum os reſtitueret, maximè cum è cibis materia ſuppeditetur. Ad hoc cur immortalis (vt credimus) animæ auctrix facultas finem

ſibi propoſuit anguſtiſſimis coarctatum cancellulis? ALEX. Quia infinitum non appetit, Ipſa enim eſt naturalis; nulla autem natura infinita, appeteret autem, ſi ſemper augeret. I. C. Id pernego, ſemper enim alit, nec tamen infinitum expetit. An dicam ego ceſſare nunquam auctricis operam, quemadmodum nec altricis, ſunt enim eadem: nutritio namque eſt vnio naturalis nutrimenti tranſmutati, hoc autem intelligi nequit abſque incremento. Quinimo nec ipſam informatricẽ virtutem ab opere vacare dixerim; carnes enim reponit, eiſque apponit figuram, nõn ſine priſtinæ figuræ commenſu, atque portione, quod manifeſtè conijcitur in carnium cremento ijs in partibus à quibus aliquid abſciſſum erat. ſolidiores autem partes adhuc augeri poſſent, ſi poſſent denſari, denſari autem valent, ſi recipere queunt intra ſe partes peregrinas quæ poſtea fiant propriæ, quemadmodum locis quibuſdam, vbi per harmoniam coeunt oſſa in ætate iuuenili, poſteaquam ſenium aduenit, ea quæ duo inter oſſa intereſt cartilago, tandem fit os, ita vt duo illa vnum fiant. ALEX. Sed cur celerius creſcunt femellæ quàm mares. I. C. An quia (inquiunt) rariores ſunt, rariora autem facilius excreſcunt. ALEX. Hoc accipio. I. C. Illud verò ego pernego, cùm enim magis compacta ſint carne, rariores eſſe haud exiſtimo. ALEX. An quia humidiores? I. C. Per-

obſcurum eſt, namque in femella plus humoris calorem vincet, qui auctor eſt incrementi. Rectiùs dicemus, caloris eſſe ſatis, eius vim agere in humidum, non in illud quidem nimium, ſed fœcundũ tamen, itaque celeres fieri augmenti progreſſus. An, inquit Ioannes Baptiſta Marinus Eques Sabaudici ordinis, Italorum Poetarum Princeps, & familiaris meus vnicè colendus, celeriùs capeſſunt femellæ incrementum, quia finem habent propinquiorem propter imperfectionem, opus enim quod in eis natura, intendit, non eſt adeo perfectus prout in mari, ideo in re minus elaborata citius expeditur. ALEX. Cur igitur maſculi properantius in vtero abſoluuntur? ſanè fœminæ quadrageſimo ſecundo, mares autem trigeſimo die perficiuntur. I. C. Caloris ratione id euenit, qui in maſculo maior cum ſit, humorem vt mollem ceram extendit, diffundit, ſuaque vi fingit. ALEX. Cur vero in æſtuoſis regionibus homines non excreſcunt in proceram ſtaturam? Sanè Maurorum, Indorumque maxima pars vel gracilis, vel breuis, vel vtrumque. I. C. An quia fortaſſis creſcendi duæ ſunt cauſę, materia perpetuò ſuppeditata: eaque ad tranſmutationem idonea: & calor, qui quidem duorum eſt auctor effectuum, quippe dilatat corpus, quod ſuſcepturum eſt incrementum, & tranſmutat id quod accedit. Qua de re regionis calor non ſolum nõ addit

vim ad creſcendum, ſed etiam plerumque adimit, abſumit enim materiæ non parum per reſolutionem, Præterea regionis calore aſſiduo membra dureſcũt, dura autem ſunt ineptiora ad quantitatis terminos promouendos. Quod ſi quæ ſunt dura dilatentur, & rarefiant, multo egent commeatu ad ſubſtituendum: In calido autem Cœlo non poteſt tantum humoris ſupereſſe.

DIALOG. XLIII.

De Humanæ Vitæ Longitudine.

ALEX.

POſtquam ſatis diſputatum eſt de hominis incremento, videamus nunc quæſo de vitæ illius longitudine. Et primò. Cur dentium raritas vt plurimum vitæ denotat breuitatem? quemadmodum tradit Ariſtoteles, & Hippocrates, I. C. An quia, ait ille, rari dentes aut materiæ paucitatem, aut imbecillitatem præ ſe ferunt? An dicemus nos, raros dẽtes vitæ potius declarare lõgitudinem, ſignum enim eſt adeò dura eſſe mandibularum oſſa, vt & aperiri non facile queant, & ſubeunti materiæ cedere nolint. Profectò annos ſex & ſeptuaginta vixit Auguſtus, qui tamen raros ha-

Hipp. in. l. 2. de morbis popularibus prope fin.

buit dentes, vt historici referunt. In Tendaiâ Insula iuuenibus secantur dentes ad radicem vsque, vt firmiores atque densiores euadant, quemadmodum & arbores decacuminatæ crassescunt. Alex. At cur cadunt in Senecta dentes? I.C. An quemadmodum & capilli ab humoris priuatione? Cadunt tamen aliquando ob nimium humorem, sicuti necãtur quoque plantæ, ac putrefiunt. An verò ob frigus cadunt? Memini namque mihi in Anglia dentem vnum cecidisse ob frigidæ ceruisiæ potũ Alex. Rationem adducas. I. C. Frigore auertitur eorum alimentum, spiritus intereũt frigore, decidit à natura sua neruus, qui in eis plantatus est. Quinimo etiam nimio corrumpuntur calore, quam ob causam puerulis calida esculenta solent denegare curiosulæ matres Al. Quænam ratio est? I.C. Quia dissoluto à calore humido, facile fit vt eorum compactio soluatur. dentium casum Astronomi Saturno in signo aquæo cobusto adscribunt. Alex. Cur dẽtibus præsit Saturnus planè ignoro? I.C. Forsitan quia Lapidem à Ioue suppositum deuorauit? Alex. Cur linea maior in manu, vbi longa est, vitæ significat diuturnitatẽ, vbi vero breuis celerem obitum? I.C. An quia natura perfecta omnia operatur, cum ergo ad finem lineam illam non perduxerit, aliquod suberat materiæ impedimentum. Hanc igitur vel imbecillem, vel reluctantem bono temperamento fuisse oportuit. Sed nugæ sunt. Forte fortuito in manibus lineæ illæ oblongæ fiũt

cum in vtero occlusis manibus oculos custodiat infans. Sed rectius secundum Hippocratem, ad genua eas habet in vtero fætus. ALEX. At cur in calidâ regione minus viuunt homines quàm in frigidâ? Perpauci senes Neapoli visuntur, complures in Septentrione. I.C. An quia æstuosus soli status spiritus inflammat, sanguinem & humores ardoribus extorret, bilem auget & exacuit, quibus ex causis morbi plurimi, hique acuti suscitantur. Insuper poros reserat & patefacit, corpora laxat & extenuat, & eorum substantiam, calorisque natiui vim dissipat. E contrariò Regio frigida poros incolarum occludit, densat, firmatque corpus, huiusatque natiui caloris substantiam conseruat & auget, appetentiam præstat, concoctionem seruat: qua de re & hyeme salubriores viuimus quàm Æstate. ALEX. Angli tamen parum viuunt qui in cœlo sunt frigidissimo. I.C. Hoc vero nego, Quemadmodum enim ibi Æstates minus feruidæ, ita & hyemes clemētissimæ sunt. Per duos circiter annos illud nos incoluimus solum, nec in media hyeme grauiora perpessi sumus frigora, quàm si mēse Nouembri Patauii aut Bononiæ fuissemus. Calidi nāque vapores qui ab Oceano ad eam deferuntur Regionem, excalefaciunt illam: humida tamen est illa regio, atque iccirco illius incolæ varijs obnoxij sunt imfirmitatibus, facit enim spiritum tenebricosum, corpus multo humore superacuo onerat, cuius copia natiuus calor infringitur, & debilitatā concoctio-

ne, cruditates fiunt ciborum, quorum exuperantia valetudini multum infensa est, tum ea quæ receptacula venasque solùm implet, tum etiam quæ vires grauat. Hæc enim quia supra vires est, neque integre coqui, neque in purum sanguinem verti potest, sed cruditates multas cumulat, quæ quum à debili inferiorique natura nequeant domari, corrumpuntur, morbosque pene innumeros generant. De hac re Hippocrates, vbi cibus; inquit, præter naturam copiosior ingestus est, morbum facit. Quinetiam ea cibi exuperantia quæ vasa implet, nondum tamen vires premit, licet tota in optimum succum & in sanguinem facessat, tuta tamen non est, sed maxime lubrica & periculosa, Natiuum quippe calorem è sensibus, è mentis & animæ functionibus auocat, occupatque in concoctione. Excrementorum flatuumque ingentem facit prouētum, quæ præ copia non facile excludantur. Omnis generis humores congerit, obstructiones multitudine accersit, vias contrahit, in angustumque adducit, omnia arcte coercet ac continet, vix vt quicquam è corpore dimanet. Hac onustum turgidumque corpus, ingrauescit, atque etiam si infirmum vietumque est, prosternitur, quia vero infarctum compactum ac minime peruiū est, nec perflari nec vētilari potest: morbi etiam frigidi, etiamsi calidus cibus erat, succrescūt, quemadmodum ab ebrietate cruditas, cachexia, paralisis, apoplexia. extinguitur enim calor natiuus, ac suffocatur, non secus

quàm si exiguæ imbecillæque flammæ cōfertim multum olei infundatur. Quumque diutius redundantia insedit, corruptelam demum putredinemque acquirit. Quæ autem coagmentatione assiduâ in summum iam excreuerit, aut extincto natiuo calore, inopinata repentinaque morte iugulat aut vasa disrumpit. Quo circa hunc habitum recte commonefacit Hippocrates, esse periculosum & sine mora soluendum. Perniciosa admodum sentina est abdomen insaturabile omnium tum corporis tum animi vitiorum fons & origo. Non minus acutè quam facetè quis intemperantiam appellet Medicorum nutricem. ALEX. At Germani cur longissimam agunt vitam, cū tamen Ebrietati vel maximè sint dediti, hæc autem vires eneruat? I.C. An hoc negabimus? sanè vomitum eis inducit ebrietas; immodico namque potu ventriculus fluctuans redundantes humores, quorum copia obruitur, vomitione expellit: vomitio autem est saluberrima, & purgationum omnium præstantissima, noxios quippe humores ex ipsis fontibus synceros elicit & vacuat, omnem, quæ in ventriculi capacitate, in eiusue tunicis hæret, illuuiem in primis expurgat è præcordiorū mēbranulis, è cauis iecoris ac lienis, & ex panchæa quoslibet superuacuos humores sinceros elicit, quos plerūq. nullū, etsi vehementissimū, illudq. frequens pharmacū in aluum exturbare potest. In ventriculum enim ex his locis, viæ breues ac expeditæ magis quàm in al-

uum directæ sunt, per quas facilis est vomitio. Sed vt ingenuè fatear, ebrietati de vitæ meæ lõgitudine non fiderem. Nam quemadmodum calx ad Arboris radicem conspersa, fructum accelerat, arborem vero perimit, ita vinum & calida omnia alimenta suscitato calore spiritus facultatesque erigunt, mortem vero maturant. dum enim corporis calorem adaugent, substantiam imminuunt, dumque innati calidi spiritus & calor halitu fouetur, eius substantiam, quæ humidum est primigenium, dissipat exorbetque: quare vitam faciunt alacriorem ac vegetiorem, sed breuiorem tamen.

DIALOGVS XLIIII.

De Visione.

ALEX.

IAm satis multa de hominis generatione & incremento diximus, imò ea omnia subtilissimè explicuisti: Nunc te rogito vt de hominis Sensibus, qui & brutis competunt, aliquid edoceas. I. C. Non recuso. ALEX. cum penè omnes Philosophi dicant Elementa esse sensuum effectricia, cuinam eorum visum adscribemus? I. C. Plato quidem & Galenus attribuunt igni. ALEX. Quam ob cau-

ſam? I. C. Quia ſpiritus ſplendor (inquiunt illi) in oculis etiam clauſis apparet. ALEX. Non eſt oculorum proprius ille ſpendor ſpiritus, ſed omnibus vniuerſi corporis ſpiritibus cõmunis. Eſt enim cœleſtis quidam calor in ſubſtãtia corporis tenuiſſima. I. C. Addunt etiam optici, viſum fieri per emiſſionem, nec poſſe aliunde exire radium niſi ab igne? ALEX. Sed an viſio fiat per emiſſionem, adhuc ſub iudice lis eſt. I. C. Ego ſanè cum Ariſtotele & Hippocrate in lib. de locis homi. quem quidem locum Galenus diſſimulat, Elemento aquæ viſionem tribuerem, aquea namque pars exiſtit illa, in qua ſpecies recipitur, quæ ſpecies impreſſa apparet in pupilla intuentis: At non reflecteretur, ſi igneum ſubiectum eſſet: aqua quidem in oculo eſt illuſtris quidem nec ſine aere, tam ſolida, vt in ea ſpecies conſiſtere poſſit, tam rara, vt per eam penetrare, ac tranſmitti queat. In commentarijs noſtris ſuper Meteor. Ariſt. ita olim ſcripſi: Oculi materiale inſtrumentum eſt aqua, ignis vero formale, aut quaſi formale propter lucem. ALEX. Verum enimuero altius repetenda res eſt, inueſtigemus quæſo, quomodo viſio fiat? I. C. An pupillæ radijs vicinus aer verberatus & ad obiectum impulſus, atque impactus viſionem facit? ALEX. Ita dixerunt aliqui. I. C. Inſcitiſſime tamen, regrediendo enim non poteſt impulſio fieri, ſed ſtando aut procedendo, nihilo tamen peius videmus cum retrocedimus. Ad hoc, Aer ſub aquas non penetrat, in harum

tamen fundo res positæ videntur, non igitur aeris appulsu fit visio. Alex. Rectè ædepol. I.C. Fracastorius censuit simulacra quædam continua successione à corporibus effluere, quæ appulsa oculis visionem efficiant. Alex. Istud equidem legi. I.C. Ego vero huic non assentior opinioni. Alex. Quam ob causam? I.C. In transuersum agentibus vētis, auferrentur simulachra, at vi ventorum non auferuntur. Præterea, quæ à tergo sunt sita videremus. Simulacra enim illa volitantia in gīrum, subuecta placidis auris ad pupillam peruenire possent. Insuper quomodo simulachrum impellit, aut subit, aut secat aerem? Quis motus ei naturalis, præter naturales duos, sursum & deorsum? Nisi forsitan dicamus illud habere motum voluntarium vt ad contrarios sese comparet motus. At quo detrimento fit magni corporis paruum simulachrum, vt in pupilla recipi queat? Alex. Ego arbitror, visionē ideo fieri, quia radij ab oculo exeunt. I.C. Quæ te mouent rationes? Alex. Prima hæc est, specillorum vis iuxtaposita ad videndum prodest at non prodesset, si ad oculum radij è corpore deferrerentur. I. C. Consecutionem nego, Scripsit enim Philosophus in aere esse propriū aerem, ita & in oculo esse proprium lumē: scripsit etiam Auerr. Lumen Oculi esse veluti quendam portitorem, qui speciem portat & trahit ab extimo lumine ad intimum animæ. Quod in quibusdam animalibus, vbi opus est, exit, id est, noctu: species autem è longinquo minor,

Frac. in l. de sympat.

Ar. in 2 Aiā.

Auer in paraphrasi de sensu, et sensi-li.

minor, è proximo maior apparet. Quare cum in ſpecillis coit & cogitur, in animalis oculũ ſeſe inducit maiorem vtpote propinquiorem. Quare duo refellendi ſunt errores, primus eſt Scoti, qui lucem agnouit pro cauſa viſionis, tum quòd aerem, tum quòd oculum illuſtret. Al. Tu quid ſentis? I.C. Non eſſe neceſſarium, vt lumen extimum ab oculo excipiatur, ſed ſola duntaxat ſpecies. Nam in pupillâ ſua lux eſt, quæ (vt dicebam) cum extraneâ coniungitur. Quinimo oculus in tenebris videbit rem, aut ſpeciem rei, dummodo res ſit in aere illuſtrato. Quare rectiùs, vt arbitror, alibi ſcripſi, lux eſt ratio videndi, quia defert ſpecies ad oculum. Alter error eſt Viuez, qui quidem cenſuit lucem eſſe per ſe viſibilem: quæ nihilominus opinio ſeipſam deſtruit, vult enim lucem in Diaphano tranſmeare, & in ſolidi corporis ſuperficie finiri. At ſi lux eſſet per ſe viſibilis, non opus haberet illa terminatione, accidit enim ei occurſus corporis ſolidi, ſed in ipſa ſua puritate, hoc eſt in Diaphano videretur: hoc autem eſt falſum. Alex. Ita ſit, ſed quid huic reſpondes argumento? ſi patiendo fieret viſio, æque viderent omnes. I. C. Sequela negatur, Nam & patiendo tantum fit auditio, non tamen omnes æqualiter audiunt. Aqua recipit aliter ſpecies, aliter aer, alio modo glacies, alio atque alio ſpeculum cauum, curuum, & planum, nec alio prorſus modo, quàm patiendo recipiunt: quemadmodum

Scot in 2. ſent. d. 2 q. 13.

politiores ſpeculorum ſuperficies, aut minus nitidæ, item quibus alia, atque alia materia eſt, vel intus, vel tergo appoſita, expreſſiores aut obſcuriores properè reddunt acceptas imagines, ita in omnibus oculis non eadem fit viſio. ALEX. Alteram denuo proponam rationem. I. C. Quænam illa eſt? AL. Quia Cœlum confeſtim videtur, quod ex eo prouenit (inquit Ptolemæus) quia apertis oculis eorũ radij momento temporis ad Cœlum vſque pertingunt. I.C. Nugæ iſta, nam ſi ad Cœlum vſque radij pertingerent, eſſet intellectu viſus nobilior, intellectus enim recipiendo perficitur, Tum Aſtra à viſu perficerentur, recepta ab eo viſione: quinimo Aſini oculus eſſet oculo Solis longè nobilior, à tantulâ namq. pupillâ exiret radius, qui per totũ hemiſpheriũ ſeſe extenderet. Solem autem tãtuplum (vt ita dicam) finxerunt Mathematici ad terræ quãtitatem, quia omnis radius à corpore vnde promanat, quò lõgius in faſtigium procedit, eò magis exilis fit, quoad in mucronem deſinat. ALEX. Quænam igitur ratio eſt, quòd Cœlum confeſtim videatur? I.C. Quia lux educens viſibiles ſpecies, ipſa ſeſe effundit, eaſque ſimul per aerem trãſuectas in eius extremam ſuperficiem, à quâ palpebra contingitur, ſtatuit, aperta palpebra, pupillæ ſpecies offertur, eique minimo temporis momento coniungitur. aer omnibus ſpeciebus pingitur, quare vbicunque aliqua ſuperficie terminatur, illico ſpecies præſto eſt: quamobrem &

oculus eam videt. ALEX. Quid velles concludere? I.C. Cùm Peripateticis, in oculum subire species, id quod clarissimo comprobat Aristoteles experimento. Solares enim radij per vitreas depictas fenestras transeuntes, qualescunque in eis fuerint colores ad oculum deferunt. Addamus & nos aliud experimentum, Iridem spectantis oculum si quis intueatur, in eius pupilla Iridem videbit, atque in huius pupilla Iridem tertius conspiciet, & in hoc quartus. Audite nunc radiorum emissarij ad Cœlum vsque. Iris in oculo est, non oculus in Iride, illius inquam species, non huius potestas. Iridis exemplum consultò adduximus, vt Aristotelis contumaciam perstringeremus, qui cùm visionem recipiendo, & rectè quidem fieri dixerit, alibi ab oculo scripsit fieri colores in Iride, quod non modo suis aduersus opticos Architectos aduersatur placitis, quorum etiam immemor fuisse videtur, cum docuit visum in Cœlum ferri, qua de causâ videntur sidera tremere, Et alio in loco, transmittit visum per maris meatum, sed manifestæ demonstrationi: si enim colores Iridis ab oculo fingerentur, ab oculo exirent vtique, at in pupilla sitos videmus. ALEX. Miror equidem, cur hanc sustineas opinionem, cum alterius sententiæ fautor acclameris ab omnibus, qui tuos Medicos commentarios perlegerunt? I.C. Currenti calamo illos composui. ALEX. Quæso illos accipias, & perlegamus quæ in hac dis-

ceptatione dictasti. I. C. Vt tibi libuerit. ALEX. Ego ero prælector. I. C. Eia age, profecto hæc est pagina. ALEX. Consistit quidem videndi facultas in oculo, non primariò, sed vt in organo. Nam cerebrum, penes quod est summa potestas per neruos visorios oculis spiritus infundit, quibus videndi facultas perficitur, læso namque cerebro, etsi nullum in oculis consistat incommodũ, hebescit tamen visus, & oculorum acumen obfuscatur, quod ebrijs, deliris, febricitantibus peculiare est. Hinc tria deduco: primum, luscos, & strabones à natura pessimos esse, nam vitium est circa cerebrum mentis domicilium; secundum, quòd ad visionem instaurandam flatulenta præscribi debent medicamenta, oua scilicet recentia, vina dulcia, vuæ passæ, amigdalæ dulces, pistacea, fœniculi semina, castaneæ, vel elixatæ, vel molliter coctæ. Horum vis ob flatus copiam in cerebrum assurgit, ac mirifice spiritus visorios euanidos reficit, quod ipsum etiam præstant alitum cerebella, quæ se volatu exercent, vt sunt passerculi, miliariæ frigilli. Inconsultè faciũt, qui citra delectum, nulloque discrimine adhibito Rutam, Chelidonium, vulturum, miluorum, accipitrum fel, quæ mordaci sunt, & adurenti facultate, oculis adhibent: depopulantur siquidem ac depascunt spiritus & humores, quibus visio perficitur. Tertium deduco corollarium, ex varia cerebri temperie oculorũ aciem aliquibus exilem, quibusdam acutam esse. Siquidem cui

ſpiritus copioſus eſt, & adamuſſim purus, terſus, nitidus, atque vt ſpeculum perpolitus, is ea quæ minus conſiſtunt, perſpicuè videt ac diſcernit. Vbi enim is humor exactè elaboratus eſt, tenuis ſincerusque ex hoc halitus, ſeu lucidus ſpiritus emanat, quo potiſſimè viſio perficitur, ac diſtantiſſima perſpici queunt. Siquidem cum multus ſit, & copioſus animalis ſpiritus, ſubtilis, tenuis, æthereus, longiſſimè producit oculorum aciem, omniaq; acutè cernit, nec facile obtutu continuo, aut fixa intentione defatigatur, quâ vi pollet calidus & humidus, vulgo ſanguineus. Cui vero paucus ſubeſt ſpiritus, ſed tamen purus nec nebulis obductus, is res quidem propius ſitas, clarè videt & dijudicat, certumque delectum habet, ac diſtantes pauloque remotiùs conſtitutas minus dilucide perſpicit. Pauc⁹ enim modicuſque ſpiritus facilè diſſoluitur, atque euaneſcit, nec in longinquum proſpectum producere poteſt. Quo fit vt quibus videndi organum lucido quidem, ſed modico ſpiritu imbutũ eſt, minutiſſimos etiam litterarum apices inoffensè obſeruent, ac paulò remotius diſſitas moles, aut eminentes è mari ſcopulos minus exactè perſpiciant, quod calido & ſicco corpori, ſeu bilioſo euenit. Quod verò nonnulli propius admota tenuiter vident, remota verò nihil prorſus, è ſpirituũ inopiâ, & craſſitie prouenit: vbi autem ſpiritus copioſus exiſtit, & craſſus, pauloque denſior, diu quidem homo intendit oculorum aciem, & abſque

ylla fatigatione fixè, & inconniuenter in res obuias oculos defigit, easque primo obtutu cernit quidem, sed non ad vnguem nec distinctè discernit: nam crassities acutæ visioni officit, quod in frigido & humido habitu, seu pituitoso obseruari potest. Cui vero humidus est, & modicus spiritus animalis, qui videndi instrumento inseruit, is nec exactè propia, nec prorsus remotiora videre potest, nā pauci spiritus cito euanescunt, & dissipātur: crassi verò videndi functionem impediunt, cum radij qui ab oculorū lumine promanant, in obiecta non deferantur, nec species rerū, quę foris in oculū influunt, ab eo concipiātur. Rarus autem spiritus, tenuis, exilis, tenebrosus, qualis est seniculis exhaustis, ac morbo extenuatis, debilem visum efficit, aut propè nullum. Quocirca cōsulte faciunt, qui specillis visui opitulātur, ijs enim omnia maiora apparent, ac spiritus visorij instaurantur, atque in vnū collecti, minus euanescunt, aut dissiliunt: reflecti enim, ac retorqueri radios cōtingit, ac spiritus robur cōcipere nouis subinde à cerebro eò se cōferentibus. Hinc fit etiam vt vbi remotiora, oculis dimetiri visum sit conniuentibus ac semi-occlusis oculis id perficiamus: ita enim coacti ac cōglobati spirit⁹ longissimè radios diffundūt, hinc vsu venit, vt clauso compressoq; oculorū altero, ac protenso velamento, quod splendorem arcet, atque aerem opacum efficit, intentiùs ac fixiùs aciem in obiecta dirigamus; quod in tractandis balistis, scopetis, arcubus obseruare licet: siquidem occluso sinistro oculo spi-

ritus affluentius in dextrum confluũt, visumq; efficiunt intentiorem, ita vt ratione hac sagittarij colliment, & quem intuentur scopum assequantur & cõfigant; Ex quo validum colligitur argumentum per radiorum emissionem ab oculo fieri visionem. cui & illud est proximum: qui cæsios habent oculos, id est, quorũ oculis transparens subest humor, atque pellucidus, cum exili & debili spiritu, interdiu debiliter, & confusè cernunt, non aliam sane ob causam, nisi quia diurna lux illis officiat, ac visionem offuscet, quod in noctuis, nicticorace, vespertilione, felibus, soricibus, muribus, gliribus obseruari potest, quibus lux Meridiana videndi functionẽ labefactat, nocturnæ tenebræ exacuunt, argumento quod si faces, cãdelas ac funalia illis noctu obijcias, obcœcantur. Quocirca nautæ, nocturnis nauigationibus, nõ adeo intensum Lunæ splendorem exoptãt, sed sublustre cœlum, modicisq. ac raris nubibus obductũ, sic enim longiùs se porrigit oculorũ acies, ac radij à luminoso obiecto minus dissipãtur aut euanescunt. I.C. Mea hæc dogmata non infringã, scio enim facile collapsura, si quam ad secundum tuum argumentum tradidi respõsionem repeterem. AL. Mihi verò etsi iucunda sit tuorum cõmentariorum lectio, iucundiora tamen quæ à te excipio. I.C. Non meæ facundiæ id adscribendum est, sed quia lectis audita sunt iucundiora, minus enim laboris audiendo capitur, dum enim ego vocem attollo, aut summitto, narratorem

quasi ago, quare & cum tu excipias, duo sumus agentes, & ideo citiùs altiusq. sententiæ subeunt animum, dũ verò perlegis solus es, & in te ipsum agis, ideo magis elaboras. AL. Ita est, sed progrediamur ad vlteriora. siue visio fiat per radiorum emissionẽ ab oculo, vel à rebus in oculum, nõ amplius inquirã. Sed nihilominus de radijs ipsis aliquid inuestigãdum est, & primum perquirã de radio reflexo, deinde de radio refracto. I.C. Vtcumq. volueris. AL. Illud igitur ego in primis demiror, quomodo radius, si corpus non est, reflectitur? Reflexio enim affectio corporis est apud Philosophũ. I.C. An nõ est affectio corporis primò, sed dimensionis: flectitur enim linea etiam à Matematico & ab optico. AL. Istud nõ tollit dubitationem: nam tametsi non est corpus, est tamen aliquid corporis. I.C. Noui Philosophũ qui nõ radium, sed aerem reflecti asseuerabat, quem ego clarissimo cõuici experimento, videmus enim ipsius radij conũ manifesta oculis figura in seipsum redire, non aerem igitur, sed radij fastigium in aere. Nõ enim mouetur aer in corpus solidum, ita vt reflectatur, sed à Solis corpore radius dimittitur. Sic species quoq. per lucem elicita ex meo corpore, atq; in speculum delata, in oculi mei pupillam reflectitur. Et istud nõ est quidem corpus, sed in ipsa reflectione habet corporis analogiã, quẽadmodum & in motu: fluit enim à corpore ad superficiẽ. Id quod manifesto videtur, si inter me & speculũ tabula interponatur, ablata ea statim ad speculũ vsq. portenditur species; ac

manifestiùs quidē si loco tabulæ alterū speculū statuatur. Al. At cur reflectitur radius? I.C. Radius cum sit species producta à corpore lucido, secundū corporis eius vires produci verisimile est, veluti quod proijcitur, secundum dimouentis vires impellitur. Quare tantum transmittet spacij, quantum ad vires illas referri potest. Ideo fit vt parum validus radius terminetur etiam in perspicuo non terminato, si nihil opaci corporis occurrat. Idque propter virium, vti dicebamus, defectum in corpore iaculante. Atque is est radius quem appellant rectum. Quod si prius quàm eius vis in illa traiectione exhauriatur, obuiam sese offerat opacum corpus, reflectetur radius secundum eius inuectionis rationem. Sicuti reflectitur corpus ab illiso corpore, quia in ipsum non fit illisi corporis intromissio. Itaque radius illatus si ad perpendiculum inferatur faciens angulos rectos in subtensa planitie reciprocat in seipsum propter eorundem angulorum rationem. ALEX. Quam ob rem? I. C. Quia linea recta est, cuius media non exeunt ab extremis, neque à medio extrema. ALEX. Quid si non inferatur ad perpendiculum? I. C. In angulum flectetur. Quorum omnium vna tantum ratio cum superiore, scilicet repercussio. Retunditur enim in Angulum quasi in vacuum. Hæc ratio Physica est. Alia Mathematica; quia necesse est eā subtendi, si anguli recti futuri sunt: At non subtenditur alia, sed eadem, vnde fit angulus alius atque alius semper obtusior, donec ra-

dius suam lineam eandem habeat cum subtensa. Eadem ratio est etiam in linea visuali. ALEX. Vt acutissime de radiorum reflexione disputas, ita & de fractione spero te disceptaturum. I. C. Aiunt frangi radium quoties immissus per Diaphanum inuenit densius aliud Diaphanum sibi occurrens: quod apparet cũ ex aere demissus in aquam recipitur. ALEX. Tua verò quæ nam est opinio? I. C. Frangitur ille radius, qui reflexus nominatur. ALEX. Huius dogmatis probationem expecto. I. C. Ea est. quia duo iam radij sunt ad punctum cuspidis angularis: ALEX. Quomodo duo? I. C. Actu, inquam, duo, si ex obliquo inferatur. Si ad perpendiculum, actu quidem vnus, potestate vero duo, quia in se reuertitur. quare non est vna linea, sed duæ: neque ad subtensam duo vtrinque anguli recti: sed obtusus vnus, acuti duo, duo nãque sunt radij ad idem subtensi punctum: vnus impactus, alter resiliens. ALEX. De radio, qui fractus dicitur merito hæc enuntiares, duo namque sunt radij: I. C. Imo, vnus est radius. AL. Quinimo duo, in aqua vnus, in aëre alter. I. C. Idem est, partium densitate & raritate à seipso differens, quia partes aquæ sunt crassiores, iccirco partes radiorum longius à se inuicem distant, quapropter (vt subtilius loquar) neque reflexum, neque refractum dixerim in aqua radium, sed fusum, veluti si pistilli cerei caput alterum in subiectum solidum corpus premas, fiet latius, neque aliud tamen erit pistillum, ita spargitur

radius tum ab aqua,tum ab aqueis, quale vitrum, ita vt neque reflectatur, neque liberè transmittatur; quo modo plus spargitur plũbi scobes in terram deiecta, quam in aquas, & in aquas quàm in aerem, propter diuersam corporum subitionem. ALEX. At remi species in aqua fracta est. I.C. Minimè. Sed eãdem ad lineam duæ sunt species, quæ ab aere, & quæ ab aqua: Representatur enim in aere per aquæ superficiem. Non est igitur species vna, sed duæ, vna à Remo in aquam, altera ab ea quæ est in aqua in aerem, quia remi species per semidiametros ad aquæ superficiem egreditur. Centrum enim est trianguli cuspis facti à remo, & à specie, quorum vtriusque extrema in circumferẽtia sunt. Ergo duæ species ad oculũ deferuntur. ALEX. Ingenuè fateor non has me percipere subtilitates, satius mihi erit minutiuscula quædam tibi proponere. I.C. In his etiam dissoluendis Philosophiæ Magistri aliquando elaborant. ALEX. Quam ob rem in cauis speculis radij ab interiore superficie reflectuntur, in phiala verò aquæ plena ponè: sane videtur aqua crassior aere, at aer ponè phialam est, aqua vero statim ex aduerso. I. C. Ratio est, quia phialæ pars anterior curua & inflexa cum sit, radiorum coactionem suo curuamine respuit, atque repellit. At caua posterior iam inspissatos excipit radios, à quâ exeunt pone densi, atque idcirco validi. ALEX. Quare conuexum speculum parua reddit, cauum magna, planum mediocria. Videbatur

enim contra à natura cõparari debuiſſe. Nam cauum oportuit recipere, & conſtringere: cõuexum renuere & remittere ac diſſipare. I.C. Ratio ea mihi videtur, quia curuæ ſuperficiei centrum intus eſt, cauæ vero extra. ALEX. Quam ob cauſam in plano ſpeculo nõ ęqualis faciei, ſed minor ſpecies refertur, cùm tamen ſpeculũ tota facie maius ſit? I.C. Ratio eſt, vt in motu proiectorum, qui ſub finem lãguidior eſt, & omnino in quouis motu non naturali. Cõtra naturalis ſemper ſeipſo fit vegetior, ita ſpecies à re exiẽs, à luce educta, & quaſi iaculata, in faſtigiũ attenuatur, quod & in ſono manifeſtũ eſt, lãguidior enim auditur. AL. Cur ponè ſpeculũ pice poſita, conus fit exilior, obducta ceruſſa latior? I.C. Quia nigrum contrarij habet rationem, idcirco in cauum delati radij, ab extremis in medium contrahuntur, Candidum vero, & lux affines ſunt, ideo radij minus abſiſtunt, propter ſoliditatem atque opacitatem reflectũtur, quia eorum natura eſt perſiſtere vſque in Diaphano, vbi terminantur reflecti: vnde fiunt coloris ſpecies: propter nigredinem auferunt ſeſe tanquam à contrario: propter albedinem verò non amouentur, quia ſubeſt proportio. ALEX. Cur non æquè vident omnes in criſtallo, cum tamen eoſdem colores in pariete per criſtallum omnes inſpiciant? I.C. Quia non omnibus eodem modo ſeſe infert ſpecies, neque vndecumque, neque quacumque trãſmittit, ſed aliter alijs propter Diaphani varietatem, ſiue ab angulis fiat, ſiue

ab ipſa denſitate , quæ nonnihil coloris in ſe habet , atque is color per tranſlucidi poros nõ eodem vbicumque modo cum impreſſa luce coniungitur. Paries autem vniformis eſt, atque ab ipſa ſtatim ſuperficie reflectit. ALEX. Quare in priſmate tot variæ Ideæ nobis repreſentantur? I. C. quia eius latera multa cùm ſint, neceſſe eſt, ſicut in optice patet, eandem faciem propter pelluciditatem pro ſubeuntiũ laterum varietate variari. Quo fit vt aliquando inuerſam ſpeciem ſicut in cauo ſpeculo videas. Ratio eſt, quia ex vno latere excepta recta, in aliud latus inuerſa, veluti arbor in aqua redditur: Lateris enim acies eſt ſicut centrum, à quo vtrimque, atque vtroque verſum exeũt ſpecies altera alteri aduerſa. Cum enim in aquam incumbis, aquæ ora, & faciei, & ſpeciei cẽtrum eſt: Itaque inclinato par pari refertur, cum te attollis, & abſiſtis, tunc faciei, & ſpeciei partes iunguntur imæ , quia ex angulo acuto fit obtuſus : quæ eſt cauſa cur in priſinate geminæ ſpecies videantur: Quippe vna ab ipſa re, altera à rei ſpecie, quæ in altero latere impreſſa eſt. Interdũ verò facies dimidiata apparet, quoniã alterum dimidium in eũ lateris locum incidit, in quem recipi non poteſt, propterea quod priſmatis latera plena ſunt, neque colligunt in arctum totam faciem veluti curuæ ſuperficies. ALEX. Nihil acutius percipi poteſt. Sed quia nihil videtur niſi ſub ratione coloris, de colore argutã tractationẽ expecto, & quia omnis bona diſceptatio à de-

finitione exordiri debet, Color quid ſit primùm inueſtigemus. I.C. Platonici ita definiunt, vt ſit qualitas ex Elementorum mixtione, & luce conflata. ALEX. Enimuero definitio hæc ſapori quoque competit ex ijſdem profecto conficitur ſapor, nempe etiam ex luce, quatenus lux calefacit. I.C. Ego quidem conſulerem illis abſtinere ab his verbis (qualitas ex mixtione elementorum) nam apud illos omne corpus aut pellucidum eſt, aut coloratum, atque ita terra coloria eſt, itaque erit in vno Elemento color, non igitur ex Elemẽtorum mixtione. ALEX. Ariſtotelis definitio tibi ne arridet? I.C. Minimè. Sic enim ille definit, color eſt corporis extremitas, quæ definitio duas patitur obiectiones. Prima, quia definitio non debet competere, vt Iuriſconſulti loquuntur, niſi rei definitæ, illa verò etiam ſuperficiei conuenit, quæ extremitas corporis nuncupatur. Altera, nam intra corpora, vbi ſuperficies in potentia eſt, nihilo minus color actu eſt, & actu quidem viſibilis, licet actu non videatur. ALEX. Haud ego percipio quomodo hæc inter ſe cohæreant. I.C. Eſt actu viſibilis, quia viſibilitas à nulla noua cauſa producitur, ſed actus qui eſt accidentalis, quemadmodum actu eſt homo riſiuus, accidit tamen vt rideat. ALEX. Quid audio? I. C. Admirabiliora audies. ALEX. quidnam illud eſt? I.C. Color ſua natura viſilis eſt, etiamſi nunquã videretur. AL. quomodo id probas? I.C. quia per

Bart. in l. 1 parag. dolum ff. de dolo dd. in l omnis defin. ff 1o. de reg. iur.

obiecti ablationem potentia nõ aufertur, quia ab internis principijs essentialibus profluit, quemadmodum è contra, per amotionem potestatis non deletur obiectum, ex se enim est quod est; esse autem obiectum est promotio essentiæ ad proprietatem. Relatio enim hæc à natura absoluta pendet, sic obiectũ primo est aliquid hoc quod est, deinde est obiectũ quod refertur ad id cuius est obiectũ. Alex. Quam igitur definitionem colori constitueres? I.C. Esse qualitatem in toto corpore suo subiecto, quæ aerem ad visionem efficiendam sua specie, quæ à luce educitur, depingit. Alex. Cur apposuisti in toto corpore? I.C. Vt Auerr. qui voluit esse tantùm actum corporis terminati, & Aristotelis qui colorem esse corporis superficiem censuit errores patefacerem. Nam secundum istam opinionem, in medio corpore, puta Peponis, non esset color. Alex. Cur autem dixisti, quæ à luce educitur? forsitam lucem coloris formam esse cẽses. I.C. Ita quidem. Alex. At niger color est, sicut & tenebræ, & omnium maxime visibilis, nigri tamen coloris actum nemo sapiens dixerit lucem. I.C. Lux neque alba est neque albedo, quippe in aere quoque videretur, atque visum terminaret, at non videtur nisi propter subiectum, ac mistionem. Sed lux est actus visibilitatis, qui etiam in nigro esse queat, Non enim est niger color, vt tenebræ, sed actu quiddam, tenebræ verò priuatio, quæ nec videtur. Niger color est habitus, & per se visibilis, habẽs in se lucem, idest actum visibilitatis. Alex.

Subtilissime, sed colorum diuisiones à te nunc audire percuperem. I.C. Plato omne visibile ad tres reduxit ordines. Visilium, inquit, quædam visui æqualia, quædam maiora, quædam minora. Æqualia sunt perlucida, iccirco transmittunt, nec videntur: maiora sunt quæ visum dissipant; minora quæ congregant vt nigrum, ab his visus non patitur. ALEX. Diuinissime. I.C. Piaculum existimarem profecto credere huiusmodi ineptias à diuino viro proficisci. ALEX. Quas vocas ineptias? I.C. Translucida immerito vocat æqualia, quod enim est cuipiam æquale, æque in illum agit, atque ab eo patitur. Ex resistentia namque fit actio reciproca, æqualis ab æquali, inæqualis ab inæquali. At translucidum à visu non patitur, neque hic ab illo, non igitur sunt æqualia, sed potius nihil inter se sunt. Quinimo Plato cum visum exire faciat, longe imbecilliora translucida prædicare debebat, per quæ scilicet visum traducet. Patientur namque ab ipso visu. Maiora deinde inquit esse, quæ visum dispergunt, id verum est, ita nãque agunt, vt lædant: at à Platonicis, minora, non maiora vocitanda erant, quippe volunt illi videndi vim actiuam esse & in rem visam agere. Quẽadmodum nec illa quæ visum aggregant, erũt minora quàm visus, hic enim ab eis patitur, alioquin non viderentur. ALEX. Postquam Platonis diuisionem de coloribus reiecisti, aliam adducas rogo. I.C. Theophrastus diuisionis rationem inijt à subiecto, atque Elementis

assignat

assignat colorum diuersitates, Igni quidem flauum: Terræ, aquæ, aëri, album. ALEX. Imperfecta sanè diuisio: Cùm enim plures sint colores, aut plura subiecta erunt, aut ne illa quidem; at illud dari nequit, neque hoc igitur. I.C. Addam ego aduersus Theophrastum, si quatuor primorum corporum duo tantùm sunt colores, necesse est vel in alio aliquo corpore alios (plures enim sunt) esse, quare cogetur dare quintum Elementum, quodquidem illorum subiectum sit, vel concedere ab illis duobus, nempe albo & flauo colore reliquos effici, quare ex albo & flauo compositus erit niger: atque tunc niger & albus non essent contrarij, neque priuatiuè, vt loquuntur, neque positiuè: Auerrois autem, tum contrarios, tum simplices, tum primos eos agnoscit. ALEX. Acutissimè confutas. I.C. Sed an rectè igni flauum colorem assignauerit, maxime dubito. Ego enim Solem flauum non dicerem à luce, flaua enim esset Luna, sed à radiorum densitate. Cur etiam terræ, aquæ, aëri tribus Elementis, vnum nempe album tribuerit, valde miror: Cùm enim diuersa sint ipsa Elementa, diuersi quoque necessario erunt effectus. ALEX. At quid super hac re censuit Cardanus? I.C. *Colores, inquit, tribus constant, ex subiecta primum materia, luce quæ illi admiscetur, & medio. Nam visa per vitrum viride viridia videntur.* ALEX. Ita est. I.C. Imbecilia ingenia eludere hæc possunt. Sane vitrum medium cum sit, nihil viride facit. Profecto si medium

Auer in cõm. de Sensu & Sensili.

Card. l. 9. de sub. c. de luce & lun.

coloris pars esset, aer esset pars coloris, & visilis igitur. Sanè omnis color visilis est, at aer non videtur. ALEX. Cur vitrum igitur virens apparet? I.C. Sane vitri huius viriditas pars non est viridantis lauri coloris, quem nunc per vitrum inspicio, sed lauri species trans vitrum existens; at ex coloris imagine verus color effici nequit, sane à re fit imago, non ab imagine res. ALEX. Perge in Cardani opinionibus recitandis. I. C. *Ut in perspicuo corpore*, inquit, *fit lumen, ita in òpaco color.* ALEX. Ipsissima veritas. I.C. Ineptisissimam potius ego dixerim similitudinem: A luce enim fit lumen, tanquam à re imago; at in opaco non fit ita color: esset enim in rebus imago color, absente lumine color nullus adesset, aduenięte lumine generaretur. ALEX. Ita quidem sensere veteres. Sanè Aristoteles corporis superficiem dixit esse colorem. Auerroes voluit esse actum duntaxat corporis terminati. Poetarum Princeps cecinit olim,

Rebus nox abstulit atra colorem.

I.C. Fuerunt hi quidem sensuum mancipia, nam vbi colorem nullum viderunt, nullum ibidem esse suspicabantur: quasi color non sit intra corporis soliditatem, sed in sola superficie, idque pręsente lumine, quasi dissecto pomo color ibi statim cōgeneretur, atque hac ratione color esset color quatenus visibilis, & visibilitas esset coloris essentia, non autem affectus essentiam consequens, quod est perridiculum. ALEX. Imo tu supradixisti lu-

men esse actum coloris. I.C. Non vt sit, sed vt videatur. ALEX. Prosequere Cardani castigationes. I.C. Sic alibi scripsit. *Lux cum debilis redditur, in splendidum colorem transit, quæ si magis debilitatur, in colores nigro propinquiores mutatur. Postea si plus ad colores etiam sine luce prouenit, demum ad nigrum vbi minimum est de luce vltimò cum deficit transit in tenebras.* ALEX. A multis hæc laudatur opinio. I.C. Merito quidem, nam asserit, per priuationem lucisque corruptionem colores effici, quare non per formam sed per formæ corruptelam, de potentia in actum reducerentur. Illud autem intelligere non possum, mutari lucem. Mutari enim nequit à coloribus, hos enim secundum Cardanum illa producit, multominus à seipsâ, simplex enim est. ALEX. Tuam nunc si placet subiunge sententiam. I.C. Postquam ita iubes, sensui quæ sunt proxima sequar. Quatuor primarij colores videntur in Elementis, albus in sicco, cuius subiectum primum erit terra. id quod in cineribus, & saxis, & arenis Sole, vel igne exustis cõspicitur. Viridis in humido crasso, cuius matrix est aqua, crassescens enim viridescit. Cæruleus in humido tenui, qui fit in aëre, vt manifesto videtur. flauus in calido, ignem enim condensatum statim flauedo sequitur: Densitas enim colorem facit in actu videri, qui erat in potestate principiorum ineptus vt videretur: sic cæruleo & viridi inspissatis nigror fit, vt in nube & in aquarum stantium superficie ani-

Ironicè.

maduertere licet, atque ita varijs gradibus, ac nobis ignotis cum luce commissis, alij deinde fiunt compositi. ALEX. Colores autem ipsos quomodo diuideres? I. C. Sex sunt nobiliores, albus, flauus, ruber, viridis, cæruleus, & niger. Albi species, lacteus, niueus, candidus, aqueus, vitreus, marmoreus, papaueratus, eburneus, argenteus, gipsatus, cerussatus. Fieri album ab igne scribit Aristoteles: Quod patet in cera, pilis, & cinere: sed nigrum potius ab igne effici, nigricantes febricitantium linguæ testantur: sed Philosophi sententiam admittamus, nobis enim adstipulatur, qui candorem supra statuebamus in sicco. Tametsi ne hoc quidem verum videtur: aqua enim humidissima in suis primordiis apparet alba. Itaque ab aqua etiam creari albedinem gummi indicant, in ea namque si soluantur exalbescunt. Sub flauo aut post ipsum ad fuscedinem vertentes colores hi sunt, melinus, palearis, pallidus, luteus, galbaneus, buxeus, citrius, croceus, icterus, aureus, ruffus, fuluus, suasus, Hispanus, mutinensis, impluuiatus, æneus, mustelinus, rubiginosus, ferrugineus, pullus, roanus, tanatus, arangiatus, leonatus, cereus, cerinus, castaneus. Plato ex luce & humore, & candore flauum creat: russescere maris accolas à Sole, & maris salsugine prodidit Theophrast. Rubri hi sunt comites, rubidus, rubicundus, rutilus, russus, incarnatus, sanguineus, roseus, rosa sicca, scarlatus, giluus,

Ar. in 7. & 8 q. prop 66.

ſpadix, coloſſinus, higinus, igneus, flammeus, puniceus, vinoſus, balauſtinus, xerampolinus, violeaceus, purpureus, pauonaceus, ſeu morellus. Veteres Philoſophi colorem hunc à maiore igne fieri, quàm flauorum genera, & ſicciore veluti cum flammam flauam in humido, in ſicco verò carbones viuos rutilos videmus. Nigra igni addito, punicea euadent, vt carbones, ſic & cancrorum cruſtæ coctæ rubeſcunt, & Solis æſtu malorum frondes: vinoſum ex puro nigro, & luce aërea confieri author eſt Theophraſt. Sic Ariſtot. quoque ex flamma & nigro puniceum fieri cenſuit. *Ariſt. in 1. Met.* Ad cæruleum colorem referuntur, Cœſius, Cyaneus, Indicus, Perſus, Turchinus, Venetus, Lazul, Cinereus, ſeu Criſius, alias Bretinus, plumbeus, glaucus, glaſtinus, ſilatus, leucophæus, blauus. Cæruleum fecit Plato ex lucido candido, & bene nigro. Ego verò ex rubro & viridi: ſane ex rubro ſucco braſilij excocto pulcherrimum exire cæruleum experti referunt. Ad viridem autem hi ſpectant, feſtucinus, ærugo, herbaceus, praſinus, luridus. Viridis igitur fit apud Platonem ex flauo & nigro. Nigro aſſociantur ater, fuſcus, piceus, prannius, murinus, brunus. Nigrum fieri cum aer, & aqua ab igne cõſumãtur, Theophraſt. edocuit: ſic parietes, per quos manat aqua, cum mucoſam in initio adepti ſint viriditatem, nigreſcunt, vbi humor ille exaruit. Cæterum in hac Theophraſti ſententia mutationem agnoſco, nigri ſubiectum proprium

ac primarium non video. Nam si igni humor tollitur, cui⁹ habitu nigredo subeat, nigricies sanè suberat in potentia. Ergo in actu prius aliquando: Sic in carbonibus absumpto ligni humido, cæterum haud toto: Procedente namque consumptione, quę nigra facta erant, tandem albescunt, vt carbones, cum soluuntur in cineres, & charta: sic rosa ex alba rubra fit: ex rubra rursus exanguis & ex albida. Viridia quædam cum exarescunt, rubida euadunt, vt de quarundam arborum foliis dicebamus. Alia non rubescunt, sed pallescunt: vtrisque detrahitur humor: iccirco in vicesima prima sectione, nigredinis causam Philosophus dixit humorem. Sic candidissimum saccharum aqua solutum fuscescit. Et in duodequadragesima scribit, humore ablato albedinem apparere: Iccirco oleum insolatum albescere. Theophrast. à nigris quibusdam lapidibus lineas albas duci prodidit. Sicuti contra Plinius animaduertit ab argento, quod est candissimum, describi nigras. Ratio est, quia lapides illi exustas habent partes tenuiores quæ abscedunt in tractu. Contra argentum partes aliquot aqueas solutiles terræ admistas. Quin lapides nigri quidam tingunt, quidam non: hi sicci: illi habent lentitiam. Quare & alios esse par est, qui non erunt vniformes, sed è poris emittent album: è pororum parietibus siccis nihil.

DIALOG. XLV.

De Auditu.

ALEX.

OMne ſenſile ſenſus potentiam ad actum congenerem excitat, inter quos potiſſimum guſtus, vehementius autem Venus ipſa: at cur ſonus nō modo ſenſus proprium, ſcilicet auditus poteſtatem ſuſcitat, ſed intus perturbat hominem, atque ad alias actiones, quæ in auditus non ſunt facultate, miſericordiam, cædem, venerem, ignauiam, furorem, & tranquillitatem impellit. Sanè Cybeles ſonu (vt omittam Corybantas) effeminata monſtra ad proprium ſanguinem effundendum animabat. I.C. An id euenit propterea quod ſpiritus, qui in corde agitant tremulum, ac ſubſultantem aerem, in pectus excipiuntur, & cum affine ſuo vnum fiunt: atque ita reliqui ſpiritus in cæteris corporis partibus poſiti ſequuntur, mouentque muſculos aut cohibent, prout numerorum lex, vel crebreſcit incitatione, vel tenore compoſitio quieſcit, aut lenitudine quietem imitatur. & quemadmodum in fidibus tacta corda vna,

æque tensa altera contremiſcit, ita qui in corde inſunt ſpiritus citantur ad exterioris ſoni motum, tantò facilius quàm chorda, quanto maior vnio eſt. quocirca etiam depreſſus ac marcidus animus facta extimi aeris ſubeuntis acceſſione attollitur: è contra elatus cohibetur, aut etiam de ſuggeſtu illo deturbatur atque detrahitur; hinc fit vt plerique, aliud agentes, canentibus occinant: ſi quis clamet clamandi libido maiorem adſtantiũ partem, quæ pudore, aut rationis vi non continetur, inceſſat. Ideoque in concione ſi vnus clamorem tollat, illico tota acies idem efficiet. ALEX. Doctiſſimè, ſed cur tibi Muſica moleſta eſt? I.C. Forſitan intus aures aliquod latet obſtaculum, quod perfractas defert ad animum voces? an integræ eò perueniunt, moleſtæ tamen ſunt, quia Muſicam ſcientiam non aſſequor: Laboro igitur, quia fine fruſtror qui cognitio eſt. ALEX. Cur ingenti ſono audito exhorreſcimus? I.C. Quia ob vehementes aeris circulationes commouetur organum, virtus diſſoluitur, nec fit applicatio, quare confundi animam atque terreri accidit. ALEX. Cur ſonus plus æquo grauis auribus ſi inferatur ingratus eſt? I.C. Quia plus mouet aeris, quam noſtri perferat ſenſus organum: illius igitur partem aliquam vehementiori pulſu cum amplificat, immutat & ſæpe interimit. ALEX. Cur valde acutus, & ſtridulus ſonus, iniucundus eſſe ſolet?

I.C. An quia applicatio, quaſi in anguſto facta vim patitur? an quia auriũ mẽbranula ictu percutitur vehemẽtiori quàm par eſt, idcirco repẽte contrahitur, & cum ea ſimul & neruulus quidam ad radicem vſque dentium, quem in locum nouus ilico incidens aer, neſcio quem circa dentes horrorem efficit. Alex. Aſper ſonus cũr non plauſibilis? I.C. Quia cum per inæqualem feratur ſuperficiem, aeris confundit circulationes, & ſpeciem quaſi fractam ad ſenſum defert, vnde & ſenſatio ſimul varia fit, & confuſa, ad quam non ſe applicat animus. Alex. Vniformis ſonus cur importunus? I.C. Quia nihil nouum percipit anima, coacta nihilominus ſuas vires ad illum intendere. Alex. Cur cultellorum ſtridor qui ob acutam ſoni contentionẽ auiculas in cãcellatis caueolis incluſas cantatum prouocat, familiarem noſtrum, quem honoris cauſa ſubticeo, ad vrinam illico faciendam impellit? I.C. An quia ſtridor ille horrorem incutit, ex horrore foris tolluntur pili, intus muſculi ſuccutiuntur. Alex. At cur ob ſtridorem horrore perfundimur? I.C. An quia calor imbecilius leui de cauſa quatitur, admiſſus per aërem ſonus mouet aërem, qui intus eſt, ijs proxima quæque, illis alia ſuis ſedibus conuelluntur.

DIALOG. XLXVI.

De Odoratu.

ALEX.

CVr Odoratus, qui datus est à naturâ ad cerebrum adiuuandum, spiritusque in eo reficiendos, præstantissimus tibi est ? I.C. Quia visus non excellēs: sic partitur natura dotes. ALEX. At ego id ipsum quæro, cur Odoratus præstantior ijs, quibus visus deterior. I.C. An quia Odoratus, qui proximus est oculis, functiones in sicco sunt constitutæ, oculorum verò facultas in frigido & humido. Hinc venit mihi in mentem subiratam semel mihi fuisse Isabellam Amasiam meam, quòd in quadam cupidinea cantiunculâ sinistrum meum oculum illam appellassem. At immeritò eam fuisse conquestam euidentissimis rationibus comprobaui. Est enim sinister oculus dextro lōge nobilior. AL. Quamob causam I.C. Frequens est omnibus in dextrum incubare latus, qua de causâ nocturni vapores ad dextrum oculum confluunt, atque illorum crassitie densiores fiunt visorij spiritus, atque ideo obtusior est dexter ad videndum. Præterea in senectute magis siccescit oculus dexter, nam calor hepatis humores depopulatur &

abſorbet, qui viſioni adminiculantur: ſiniſter autem humidior eſt, nec in eo facile vel ſpiritus extenuantur, aut humores areſcunt, iccirco ad videndum aptior, ac proinde dextro nobilior. Sed quo me protrahit Amor? ALEX. Eſt ne verum quod circumfertur: bonus odor à concoctione? I. C. Id quidem non ſemper verum eſt. Aqua Sole vel igne calefacta nihil acquirit odoris, Gaiaci lignum olet, cortex non item, hic tamen magis inſolatus; radices odoratiores ſtipitibus, hi tamen meliùs cocti nēpe ſuper terra, quare vi aeris iuuatur genuinus calor ad coctionem: illæ minus quia ſub terra, cuius humiditas à Sole domari facile nequit. Quid nonne roſa odorata ſimul & frigida? ALEX. Sed Ariſtotel. ait incocta reddere odores fœtidiores, cocta vero ſuauiores. I. C. Crudorum humorum reliquias vel liquidas, vel alias non male olere certúm eſt, imo vix olere. Quibus impenſiùs fit concoctio, eorum faſtidioſa ſunt excremēta: & fructus acerbi nihil, maturi bene, putridi male olent, non quia non ſunt cocti hi, ſed quia extincta, aut ſuperatâ mediocri coctione, vlteriore opera calor intenſus addidit id, quod ſupra odorem illum erat. ALEX. Hanc Ariſtotelis contumaciam non excuſabo, dummodo mihi, dicas an ſit aliquod Animal præter hominem, quod capiat ex odore delectationem? I. C. Negauit Ariſtoteles, magno tamen cum gloriæ ſuæ detrimento, Nam alibi ſcripſit, Pātheræ odorem cæteris animalibus oblecta-

Ar ſect. 4. prob. 13.

Ar. in ſect. 13

mento esse, eâque propter fragrãtis odoris vim à cæteris animalibus sequi, quod & Theophrastus confirmat. Deinde, animalia malis odoribus, non ijsdem omnia, sed alia alijs fugantur, sulphure muscæ, galbano serpentes, mures nidore adustæ vngulæ muli. Nihil autem ad perimendos curculiones efficacius quam salsugo in qua allium decoctum sit, si eâ irrigentur pauimenta ac parietes, confestim enim aliô repunt, ac horrea deserunt, odorisque tetri halitu exanimantur. Idipsum etiam præstant sagapenum, amurca, castorium, sæuina, sulphur, cornu ceruinum, hædera. galbanum, ac graueolentia quæque, quorum suffitum, nec serpentes, nec colubri, nec vespertiliones ferunt. Quod indicat omnis eruditionis parens Virgilius.

Theoph. in 6 de caus. plant.

Disce & odoratam stabulis incendere cedrum.
Galbaneoque agitare graui nidore chelidros.

Eadem ratione Lupi saluctarij nidorosos flosculos refugiunt qui etiam hominum cerebro infesti sunt, capitique grauedinem ac temulẽtiam inducunt. Similiter & Sambuci flores, quorum odor etiam erucas arcet, blattasque ac tineas perimit, quemadmodum absinthiũ, ruta, mentastrum, abrotanum, satureia, iuglãdis folia, filix, pseudonardus, nigella, coriandrum viride, psyllium anagiris pulices cimicesque interimunt, vel culcitris supposita, aut thoris in aceti scillitici decoctione conspersa. Quamobrem ex aduerso in naturâ positum videtur aliqua animalia odoris delitijs capi

oportere. Sic videmus Apes quosdã aspernari, quosdam eligere flores, quorum rorem captent, & quo victitent.

DIALOG. XLVII.

De Gustu.

ALEX.

AD Gustum nunc, si tibi ita videtur, transiliat oratio: habesne super hoc sensu noui aliquid quod me edoceas? I. C. Istud primum, quod in sensuum albo non adscribo. ALEX. Quam ob causam? I. C. Quia affectus potiùs est omnibus sensibus communis, atque conueniens. Gustamus enim cum pulchra videmus, cum iucunda audimus, cum morbidas carnes tangimus, & cum à spiritu titillamur. Præterea cuique sensuum suum est contrarium, at Gustui minimè. Quis enim dixerit in gustu esse maximum dolorem? qui in cæteris sensibus, visu scilicet, auditu, odoratu ac tactu, inesse ac sentiri potest. ALEX. Acuta hæc sunt, Sed quæso, quæ communibus innitens principijs, adolescens dictasti, nunc referas. I. C. Latissimè hæc sunt à nobis explicata in Phisicis commentarijs, quorum compendium hoc est. Gustandi facultas in his maximè neruis, qui ad linguam, ad palatum, ad fauciū-

que regionem dispperguntur,& spongiosæ eius carnis adminiculo, quâ lingua prædita est, rerum sapores internoscit. ALEX. At quomodo sapor gustādi seipsum afficit? I.C. quia succo, humorique permistus seu rectiùs in humore (eius enim qualitas quædam est affectio) constitutus, linguæ admouetur, diffusus enim cum humore gustum incitat, moxque species eius & imago, vi spiritus in primatem sensum infertur. Quod si forte in duro concretoque corpore vt in sale sapor erit, non ante poterit sensum mouere, quàm calore liquefactum & dilapsum diffundatur. Horum omnium ratio ea est, quia siccitati nulla competit actio, hæc enim solius viuentis est, illa vitam non habet, abijt enim innatum calidum & humidum. ALEX. At qui sunt sapores qui gustū afficiunt? I.C. Acer præcipuè, qui in tenui sicca calidaque materiâ cum consistat, linguam & os acrimonia ferit, atque compungit, simulque calefacit, & interdum quasi exurit, vt piper, piretrum, euforbium, synapis: Igneæ nāq. naturæ particeps acer est sapor: quare introsumptus meatus aperit, crassos humores attenuat: extrinsecus corpori insidens, cutem rarefacit, humores elicit, resoluitque. Acidus etiam, cū emanet ex tenui siccaque materiâ (cuius vel calor insitus à putredine expirauit, vt in aceto, vel frigidior intemperies tenuitati ab origine comes est, vt in malis citreis, quibusdam prunis, & cotoneis) gustum penetrat, & tenuitate ferit, sed citra vllum caloris sensum, imo refri-

gerat. Quare etsi in in penetrando sit acidum valentius acri, acetum namque vetus aut stillatitium metalla, citrei mali succus margaritas dissoluit, attamen non vt acre foris impositum dissoluit, sed sistit cohibetque fluxiones, & validius quam frigidum astringens, altius enim frigoris vim deducit. AL. Illud à te quæro, cum omnia acida sint actu humida, quomodo putredini, quæ fit ab humido, resistunt? quod tali probatur experimento: fructus vbi ex acidis facti sunt dulces, facilius & celerius computrescunt, vt est apud Theophrastum. Igitur acidum videtur esse contrarium corruptioni, quare febricitantibus acida conceduntur, obijciunt enim sese pro reparatione valetudinis, putrefactioni. I. C. An id efficiunt quia astringendo viam occludunt ingrediendi extraneis qæalitatibus? an quia in acido terræ feruescentis aliquid inest? Sane Galenus illam agnouit in aceto sub illarum partiũ notionibus, quas tenues esse dixit, quarum beneficio posse subire profitetur: acidus vero est in vino succus, vbi partes aereæ ex eo euaporarunt, vnde etiam vappa dicitur, quo tempore quiddam igneum terreis in partibus hæsit. ALEX. Acutè, sed de pingui sapore quid sentis? I. C. Pinguis cum ex tenui, non qvidem ignea sed planè aerea materiâ, quæ calore & frigore quodammodo temperata est, nascatur, nec acrimonia nec calore gustum sollicitat, sed linguam, orisque partes lentore quodam oblinit: quare ficum pinguem ferè dixerim, glu-

Theoph in. 5. lib. de ca. pl.

ac primarium non video. Nam si igni humor tollitur, cui⁹ habitu nigredo subeat, nigricies sanè suberat in potentia. Ergo in actu prius aliquando: Sic in carbonibus absumpto ligni humido, cæterum haud toto: Procedente namque consumptione, quę nigra facta erant, tandem albescunt, vt carbones, cum soluuntur in cineres, & charta: sic rosa ex alba rubra fit: ex rubra rursus exanguis & ex albida. Viridia quædam cum exarescunt, rubida euadunt, vt de quarundam arborum foliis dicebamus. Alia non rubescunt, sed pallescunt: vtrisque detrahitur humor: iccirco in vicesima prima sectione, nigredinis causam Philosophus dixit humorem. Sic candidissimum saccharum aqua solutum fuscescit. Et in duodequadragesima scribit, humore ablato albedinem apparere: Iccirco oleum insolatum albescere. Theophrast. à nigris quibusdam lapidibus lineas albas duci prodidit. Sicuti contra Plinius animaduertit ab argento, quod est candissimum, describi nigras. Ratio est, quia lapides illi exustas habent partes tenuiores quæ abscedunt in tractu. Contra argentum partes aliquot aqueas solutiles terræ admistas. Quin lapides nigri quidam tingunt, quidam non: hi sicci: illi habent lentitiam. Quare & alios esse par est, qui non erunt vniformes, sed è poris emittent album: è pororum parietibus siccis nihil.

DIALOG. XLV.

De Auditu.

ALEX.

OMne ſenſile ſenſus potentiam ad actum congenerem excitat, inter quos potiſſimum guſtus, vehementius autem Venus ipſa: at cur ſonus nō modo ſenſus proprium, ſcilicet auditus poteſtatem ſuſcitat, ſed intus perturbat hominem, atque ad alias actiones, quæ in auditus non ſunt facultate, miſericordiam, cædem, venerem, ignauiam, furorem, & tranquillitatem impellit. Sanè Cybeles ſonu (vt omittam Corybantas) effeminata monſtra ad proprium ſanguinem effundendum animabat. I.C. An id euenit propterea quod ſpiritus, qui in corde agitant tremulum, ac ſubſultantem aerem, in pectus excipiuntur, & cum affine ſuo vnum fiunt: atque ita reliqui ſpiritus in cæteris corporis partibus poſiti ſequuntur, mouentque muſculos aut cohibent, prout numerorum lex, vel crebreſcit incitatione, vel tenore compoſitio quieſcit, aut lenitudine quietem imitatur. & quemadmodum in fidibus tacta corda vna,

æque tenſa altera contremiſcit, ita qui in corde inſunt ſpiritus citantur ad exterioris ſoni motum, tantò facilius quàm chorda, quanto maior vnio eſt. quocirca etiam depreſſus ac marcidus animus facta extimi aeris ſubeuntis acceſſione attollitur: è contra elatus cohibetur, aut etiam de ſuggeſtu illo deturbatur atque detrahitur; hinc fit vt plerique, aliud agentes, canentibus occinant: ſi quis clamet clamandi libido maiorem adſtantiũ partem, quæ pudore, aut rationis vi non continetur, inceſſat. Ideoque in concione ſi vnus clamorem tollat, illico tota acies idem efficiet. ALEX. Doctiſſimè, ſed cur tibi Muſica moleſta eſt? I.C. Forſitan intus aures aliquod latet obſtaculum, quod perfractas defert ad animum voces? an integræ eò perueniunt, moleſtæ tamen ſunt, quia Muſicam ſcientiam non aſſequor: Laboro igitur, quia fine fruſtror qui cognitio eſt. ALEX. Cur ingenti ſono audito exhorreſcimus? I.C. Quia ob vehementes aeris circulationes commouetur organum, virtus diſſoluitur, nec fit applicatio, quare confundi animam atque terreri accidit. ALEX. Cur ſonus plus æquo grauis auribus ſi inferatur ingratus eſt? I.C. Quia plus mouet aeris, quam noſtri perferat ſenſus organum: illius igitur partem aliquam vehementiori pulſu cum amplificat, immutat & ſæpe interimit. ALEX. Cur valde acutus, & ſtridulus ſonus, iniucundus eſſe ſolet?

I.C. An quia applicatio, quasi in angusto facta vim patitur? an quia auriũ mẽbranula ictu percutitur vehemẽtiori quàm par est, idcirco repẽte contrahitur, & cum ea simul& neruulus quidam ad radicem vsque dentium, quem in locum nouus ilico incidens aer, nescio quem circa dentes horrorem efficit. Alex. Asper sonus cur non plausibilis? I.C. Quia cum per inæqualem feratur superficiem, aeris confundit circulationes, & speciem quasi fractam ad sensum defert, vnde & sensatio simul varia fit, & confusa, ad quam non se applicat animus. Alex. Vniformis sonus cur importunus? I.C. Quia nihil nouum percipit anima, coacta nihilominus suas vires ad illum intendere. Alex. Cur cultellorum stridor qui ob acutam soni contentionẽ auiculas in cãcellatis caueolis inclusas cantatum prouocat, familiarem nostrum, quem honoris causa subticeo, ad vrinam illico faciendam impellit? I.C. An quia stridor ille horrorem incutit, ex horrore foris tolluntur pili, intus musculi succutiuntur. Alex. At cur ob stridorem horrore perfundimur? I.C. An quia calor imbecilius leui de causa quatitur, admissus per aërem sonus mouet aërem, qui intus est, ijs proxima quæque, illis alia suis sedibus conuelluntur.

DIALOG. XLXVI.

De Odoratu.

ALEX.

CVr Odoratus, qui datus est à naturâ ad cerebrum adiuuandum, spiritusque in eo reficiendos, præstantissimus tibi est? I.C. Quia visus non excellēs: sic partitur natura dotes. ALEX. At ego id ipsum quæro, cur Odoratus præstantior ijs, quibus visus deterior. I.C. An quia Odoratus, qui proximus est oculis, functiones in sicco sunt constitutæ, oculorum verò facultas in frigido & humido. Hinc venit mihi in mentem subiratam semel mihi fuisse Isabellam Amasiam meam, quòd in quadam cupidinea cantiunculâ sinistrum meum oculum illam appellassem. At immeritò eam fuisse conquestam euidentissimis rationibus comprobaui. Est enim sinister oculus dextro lōge nobilior. AL. Quamob causam I.C. Frequens est omnibus in dextrum incubare latus, qua de causâ nocturni vapores ad dextrum oculum confluunt, atque illorum crassitie densiores fiunt visorij spiritus, atque ideo obtusior est dexter ad videndum. Præterea in senectute magis siccescit oculus dexter, nam calor hepatis humores depopulatur &

absorbet, qui visioni adminiculantur: sinister autem humidior est, nec in eo facile vel spiritus extenuantur, aut humores arescunt, iccirco ad videndum aptior, ac proinde dextro nobilior. Sed quo me protrahit Amor? ALEX. Est ne verum quod circumfertur: bonus odor à concoctione? I. C. Id quidem non semper verum est. Aqua Sole vel igne calefacta nihil acquirit odoris, Gaiaci lignum olet, cortex non item, hic tamen magis insolatus; radices odoratiores stipitibus, hi tamen meliùs cocti nēpe super terra, quare vi aeris iuuatur genuinus calor ad coctionem: illæ minus quia sub terra, cuius humiditas à Sole domari facile nequit. Quid nonne rosa odorata simul & frigida? ALEX. Sed Aristotel. ait incocta reddere odores fœtidiores, cocta vero suauiores. I. C. Crudorum humorum reliquias vel liquidas, vel alias non male olere certúm est, imo vix olere. Quibus impensiùs fit concoctio, eorum fastidiosa sunt excremēta: & fructus acerbi nihil, maturi bene, putridi male olent, non quia non sunt cocti hi, sed quia extincta, aut superatâ mediocri coctione, vlteriore opera calor intensus addidit id, quod supra odorem illum erat. ALEX. Hanc Aristotelis contumaciam non excusabo, dummodo mihi, dicas an sit aliquod Animal præter hominem, quod capiat ex odore delectationem? I. C. Negauit Aristoteles, magno tamen cum gloriæ suæ detrimento, Nam alibi scripsit, Pātheræ odorem cæteris animalibus oblecta-

Ar sect. 4. prob. 13.

Ar. in sect. 13

mento esse, eáque propter fragrãtis odoris vim à cæteris animalibus sequi, quod & Theophrastus confirmat. Deinde, animalia malis odoribus, non ijsdem omnia, sed alia alijs fugantur, sulphure muscæ, galbano serpentes, mures nidore adustæ vngulæ muli. Nihil autem ad perimendos curculiones efficacius quam salsugo in qua allium decoctum sit, si eâ irrigentur pauimenta ac parietes, confestim enim aliô repunt, ac horrea deserunt, odorisque tetri halitu exanimantur. Idipsum etiam præstant sagapenum, amurca, castorium, sæuina, sulphur, cornu ceruinum, hædera. galbanum, ac graueolentia quæque, quorum suffitum, nec serpentes, nec colubri, nec vespertiliones ferunt. Quod indicat omnis eruditionis parens Virgilius.

Theoph. in 6 de caus. plant.

Disce & odoratam stabulis incendere cedrum.
Galbaneoque agitare graui nidore chelidros.

Eadem ratione Lupi saluctarij nidorosos flosculos refugiunt qui etiam hominum cerebro infesti sunt, capitique grauedinem ac temulẽtiam inducunt. Similiter & Sambuci flores, quorum odor etiam erucas arcet, blattasque ac tineas perimit, quemadmodum absinthiũ, ruta, mentastrum, abrotanum, satureia, ioglãdis folia, filix, pseudonardus, nigella, coriandrum viride, psyllium anagiris pulices cimicesque interimunt, vel culcitris supposita, aut thoris in aceti scillitici decoctione conspersa. Quamobrem ex aduerso in naturâ positum videtur aliqua animalia odoris delitijs capi

oportere. Sic videmus Apes quosdã asperna-ri, quosdam eligere flores, quorum rorem ca-ptent, & quo victitent.

DIALOG. XLVII.

De Gustu.

ALEX.

AD Gustum nunc, si tibi ita videtur, transiliat oratio: habesne super hoc sensu noui aliquid quod me edoceas? I.C. Istud primum, quod in sensuum albo non adscribo. ALEX. Quam ob causam? I. C. Quia affectus potiùs est omnibus sensibus communis, atque conueniens. Gustamus enim cum pulchra videmus, cum iucunda audimus, cum morbidas carnes tangimus, & cum à spiritu titillamur. Præterea cuique sensuum suum est contrarium, at Gustui minimè. Quis enim dixerit in gustu esse maximum dolorem? qui in cæteris sensibus, visu scilicet, auditu, odoratu ac tactu, inesse ac sentiri potest. ALEX. Acuta hæc sunt, Sed quæso, quæ communibus innitens principijs, adolescens dictasti, nunc referas. I.C. Latissimè hæc sunt à nobis explicata in Phisicis commentarijs, quorum compendium hoc est. Gustandi facultas in his maximè neruis, qui ad linguam, ad palatum, ad fauciũ-

que regionem dilperguntur,& spongiosæ eius carnis adminiculo, quâ lingua prædita est, rerum sapores internoscit. ALEX. At quomodo sapor gustādi seipsum afficit? I.C. quia succo, humorique permistus seu rectiùs in humore (eius enim qualitas quædam est affectio) constitutus, linguæ admouetur, diffusus enim cum humore gustum incitat, moxque species eius & imago, vi spiritus in primatem sensum infertur. Quod si forte in duro concretoque corpore vt in sale sapor erit, non ante poterit sensum mouere, quàm calore liquefactum & dilapsum diffundatur. Horum omnium ratio ea est, quia siccitati nulla competit actio, hæc enim solius viuentis est, illa vitam non habet, abijt enim innatum calidum & humidum. ALEX. At qui sunt sapores qui gustū afficiunt? I.C. Acer præcipuè, qui in tenui sicca calidaque materià cum consistat, linguam & os acrimonia ferit, atque compungit, simulque calefacit, & interdum quasi exurit, vt piper, piretrum, euforbium, synapis: Igneæ nāq. naturæ particeps acer est sapor: quare introsumptus meatus aperit, crassos humores attenuat: extrinsecus corpori insidens, cutem rarefacit, humores elicit, resoluitque. Acidus etiam, cū emanet ex tenui siccaque materiâ (cuius vel calor insitus à putredine expirauit, vt in aceto, vel frigidior intemperies tenuitati ab origine comes est, vt in malis citreis, quibusdam prunis, & cotoneis) gustum penetrat, & tenuitate ferit, sed citra vllum caloris sensum, imo refri-

gerat. Quare etsi in in penetrando sit acidum valentius acri, acetum namque vetus aut stillatitium metalla, citrei mali succus margaritas dissoluit, attamen non vt acre foris impositum dissoluit, sed sistit cohibetque fluxiones, & validius quam frigidum astringens, altius enim frigoris vim deducit. AL. Illud à te quæro, cum omnia acida sint actu humida, quomodo putredini, quæ fit ab humido, resistunt? quod tali probatur experimento: fructus vbi ex acidis facti sunt dulces, facilius & celerius computrescunt, vt est apud Theophrastum. *Theoph in. 5. lib. de ca. pl.* Igitur acidum videtur esse contrarium corruptioni, quare febricitantibus acida conceduntur, obijciunt enim sese pro reparatione valetudinis, putrefactioni. I. C. An id efficiunt quia astringendo viam occludunt ingrediendi extraneis qæalitatibus? an quia in acido terræ feruescentis aliquid inest? Sane Galenus illam agnouit in aceto sub illarum partiũ notionibus, quas tenues esse dixit, quarum beneficio posse subire profitetur: acidus vero est in vino succus, vbi partes aereæ ex eo euaporarunt, vnde etiam vappa dicitur, quo tempore quiddam igneum terreis in partibus hæsit. ALEX. Acutè, sed de pingui sapore quid sentis? I. C. Pinguis cum ex tenui, non qvidem ignea sed planè aerea materiâ, quæ calore & frigore quodammodo temperata est, nascatur, nec acrimonia nec calore gustum sollicitat, sed linguam, orisque partes lentore quodam oblinit: quare ficum pinguem ferè dixerim, glu-

tinat enim lentore suo: vinum quoque pingue est, quapropter & aquis innatat, & ardet. ALEX. Sed dic sodes, cum pingue sit humoris, eiusque aerei particeps, relaxat, emollit & humectat: cur igitur putredini, cuius parens est humidum, resistit? sanè oleum quod pingue est à putredine sibi depositos seruat fructus. I.C. Ratio est, quia ob sui densitatem, non cedit humido peregrino, quam ob causam Alnum sub aquâ non corrũpi, in problematibus scripsi. ALEX. De salso sapore aliquid addiscere percuperem. I.C. Salsus sapor non admodum calefacit, sed acriter siccando corrodit, vt patet in sale & nitro. In mediocri materia consistit cum calore & siccitate: terrenas namque partes, quæ sũt in aqueo humido, calor externus præallans, exurens, atque exsiccans, salsum saporem inducit. Hinc hallucinatus est Fernelius, cum salsum oris saporem, à pituita, quæ frigidissima est, prouenire asseruit. ALEX. Salsi vires quæ sunt. I.C. Quia moderatus est in eo calor, moderatè penetrat. ALEX. At quomodo moderatus in eo calor, si à calore processit? I.C. Quia non totus manet, sed permixtione obtunditur, siccitas autem maior conquiritur & persistit. Quare valde exsiccãdo tenues ichores absorbet, corpora conseruat, & à putredine tuetur. Putredo enim ab humido, quod à calore consumitur, & à siccitate perquàm aliena est. Eam ob causam immoderatus salis esus, oculorum aciei obest, salsi namque vapores ascendentes depascunt humidum

Fern. l. 2. de sympt. c. 3.

humidum, in quo oculi facultas sita est. Alex. Quot capita, tot sentẽtiæ. Sed putasne salitas carnes, intelligo etiam pisces, nam carnes habẽt, magis enutrire? I.C. Id negat Hippocrates: Quia humido nos alimur, hoc autem magnâ ex parte à sale consumitur, vt pote quia calidum est & siccum. Addam ego, sal sua acrimonia corrodere carnes & vim expultricem exstimulare, quare aluum soluit, & per consequens vires eneruat. Cardanus verò nutrire magis affirmat, ob salis pinguedinem: Pingue autem aptissimum esse ad alẽdum dixere Philosophi. Alex. Theophrastus autem asserit palmam appetere salem, quia radicis exsiccationem & ex ea refrigerationem quærit. I.C. Qua de causâ Palmæ radices exsiccari velint, percipio, ni fallor, nimio enim feruido humore tabescerent, nisi humor ille absiccaretur: At quomodo sal refrigeret, dubitaui sæpius. Quia tamen id tu mihi obijcis, dicam, radices effici sale crassiores, nempe sal exedit, densat atque premit, quare plus trahunt & bibulæ fiunt, ac propterea frigidæ. Vel sal refrigerat, quia feruidum exedit humorem, atque ita è meatibus excutit. forsitan & sale succus vel quantitate immodicus, vel qualitate incoctus eijcitur. Alex. Nihil doctius, sed pergamus ad cætera. I.C. Austerus sapor qui propriè crudus appellatur, estque immaturis fructibus peculiaris, in mediocri consistit materiâ, quæ terrenæ, & aqueæ particeps est, in qua non calor, sed frigiditas do-

Theoph. l. 3. de caus. pl. c. 14.

minatur, quare os & linguam moderate constringit, & quadam asperiate coarctat, hinc ad refrigerandum & fluxiones sistendas austerum medici vsurpant, idque non, vt aliqui putant, ob materiæ mediocritatem, sed ob frigiditatem, & siccitatem. ALEX. At quomodo fructus ex austeris fiunt deinde dulces? I.C. Cùm in ipsorum materia naturalis calor prædominari cœperit, frigiditatem euincet, cumque caloris vi terrenæ materiæ aquea exquisitè permista fuerit, & iam maturatio fiet, depulsâ austeritate in eadem materiâ succedet dulcedo. ALEX. Aliquid nunc de dulci sapore afferas. I. C. Dulcis sapor à moderato calore fit in mediocri materia, ideo nullâ qualitatis exuperantiâ gustui molestus est, sed suauis atque iucundus animam oblectat: Quare dulcia fercula, & si vltima comedantur, tamen si vomitu cieantur, postrema prodeunt, non solùm quia viscíditate adhærescunt, sed quia à natura propter dulcedinem appetita retinentur; Quare & puerulus cum essem, vuarum passarum esu lumbricos expugnabam, ad earum enim dulcedinem rapiebantur, & suauioris edulij copia disrumpebantur. ALEX. De amaro sapore nunc aliquid etiam disseramus. I.C. Amari saporis materia crassa est, inquit Cardanus, atque terrena, quam exuperans calor præassauit, & desiccauit, quare omne amarum calidum, & siccum esse affirmat: profectò Aloe amarissimi succi est, & suo calore dilatando venarum aperit ora, & pe-

Card. de rer. var. l 3. c. 14.

netrando craſſiuſculam materiam ſecum deducit. Alex. Arridet ne tibi hæc opinio? I.C. Minimè: Nam cum acerbi fructus amari ſint, ijdemque Solis vi maturati dulceſcant (quia iam abſtracta aciditas, & paulatim diſſoluta, & demum abſumpta eſt, quapropter dicit Philoſophus, origanum muſto iniectum efficere vinum dulce, quia partes aquoſas ad ſeſe auferat, quemadmodum Sol ab vuis) atque ideo dulcedinis tempore ſint calidiores, qui antequam matureſcerent erant frigidiores, non omnem amaritudinem in calido conſiſtere dixerim, ſed in abſentia potius, aut in exceſſu, nam perfecta maturitate, magis ac magis fructus amareſcunt, ob nimium calorem videlicet & paucum humorem. Alex. Non puto fructui maturitatem excedenti fieri calore vlteriore amaritudinis acceſſionem: Nam paſſæ, pruni, ficus, ziziphæ, quo diutius à Sole excoquuntur, dulciores euadunt. I.C. At in furno plus æquo ſi coquantur, ijdem fructus amari fiunt. Alex. At quomodo Aloes exemplo ſatisfacis, illa quidem amara & calida eſt, nam oras venularum dilatat. I. C. Etiam ficus calida eſt, dulcis tamen: Aloé calidior eſt Eſula, & peplio, nec tamẽ venas aperiunt. Non igitur à calore illam Aloé accepit facultatem, quinimo Aloes puluere ſiſti ſanguinem notũ eſt etiam Pharmacopolis, idque propter ſiccitatem. Alex. Perge. I. C. Galenus à frigido amarum prodire cenſuit: Sanè opium amarum eſt, & pro maximè fri-

gido iactatur. At est quod Galeno obijciam; nam mel coctum amarescit. ALEX. Quam ob causam? I.C. Quia partes eius tenuiores vlteriore percoctione absumuntur, terrestres relinquuntur, atque amarescunt. ALEX. At suntne aliæ de amaro opiniones? I.C. Aliqui dixerunt, à cruditate fieri amaritudinem. ALEX. Atque ego ita censeo. I. C. Non ego, nam absynthium vetus amarius est nouello. ALEX. At enimuerò cum fructus antequam maturescant amari sint, vt glandes, cucumeres, ex incoctione amaritudinem prouenire dixerim: Quare & amygdalũ fimi acrimonia fieri ex amara dulcẽ Scaliger prodidit. I.C. At opponam tibi lupini historiam, hic enim in aqua frigida maceratus, amaritudinis deponit habitum: Si à cruditate esset in lupino amaritudo, aqua frigida lupinum concoqueret. ALEX. Iam satis argutiarum est, ad alios progrediamur sapores. I. C. Acerbus sapor linguam, omnemque gustum constringit, & exasperat, quare refrigerat & exsiccat, eius namque materia planè terrena est & sicca, nec aquæ, nec humoris manifestè particeps, in quâ non calor sed frigus cum siccitate dominatur. Theophrast. censuit fieri acerbitatem à Sole. quod falsum est, haberet enim calorem pro causâ, cuius error in publicis naturæ monumentis deprehenditur; quippe in nostrati Cœlo mitiores fiunt fructus solis beneficio: in Septentrione cerasa sunt acidissima, quia Solis munificentia destituuntur: In Angliâ vuæ semper

Scal l. 1. de caus. plant. in Theoph. c. 19.

Theoph. in 3. de plant. c. 12.

acerbæ ſunt, propterea quod auræ frigidiuſculæ egreſſum è Leone Solem excipiunt: Matureſcit autem vua Autunni caloribus pomeridianis, qui ſub eo Cœlo ſunt & breuiores, & dilutiores. Dicendum igitur eſt, in materiâ ſicciore non eſſe calori tractabilem ſuccum, ſed terreum illud magis fieri terreum: à calore igitur nō fit acerbitas, ſed à terreſtreitate, vt ita loquar, quam calor facit. Illam autem ſequitur acerbitas tanquam accidens. Acerbus ſapor eſt inter aſtringentem & acidum; plus autem ineſt in aſtringente terræ, plus in acido ferueſcentiæ illius: ilico poſt exutum florem aſtringens eſt in vite fructus: is vbi adultus fuerit, acerbus, etiam in vino, ſi ante maturitatem prematur: poſtremo acidus eſt ſuccus, vbi in terreis partibus quid igneum adhæſit, euaporatis è vino aereis portiunculis. Inſipidus propriè ſapor non eſt, ſed ſaporis priuatio, nulla manifeſtâ qualitate guſtum feriens, vt in cucurbita & citrullo videmus: his materia tametſi craſſa quodammodo eſt, non tamen prorſus terrena & ſicca adſtringens, ſed humore quodam etiam profuſa, qui tamen vi caloris exquiſitè ſicco non permiſcetur, & quia neque ipſius frigoris vis ſuperat, accidit neceſſario vt nullo guſtu ſapor vllus percipiatur. Aliter tamen Cardanus philoſophatus eſt, ait enim, *Sapore carere inſipidum ſaporem vocant. Indicat igitur inſipidus ſapor frigiditatem prædominari, ſubſtantiamque illam, ſeu aquea ſit ſeu terrea, eſſe craſſam, quia* Card l. 3 de rer vai. c. 14.

in illam nullus calor egit. Ob id igitur Elementa, cum omnia frigida sint, insipida sunt aer, aqua, terra, hæc nostris principijs pulcherrime consentiunt. Ex mixtis autem omnia, in quæ calor nullus egit, vel in quæ Elementa egerunt insipida sunt, vt endiuia alba, quod terrâ soleat obrui. Talia igitur omnia, frigidâ sunt & crassa. In his ergo excellens sensus non est, quia frigiditas nihil operata est ob substantiæ craßitiem. Omnia tamen talia immoderatè frigida sunt. Non tamen occidunt quoniam crassæ sunt substantiæ; nec aqua Endiuiæ stillatitia aliquem vnquam occidit, cum tamen omnem crassitiem vi distillationis deposuerit, nec mihi ipsi adolescenti obfuit vnquam nec in hyeme acetarium ex Endiuia cum potu aquæ frigidæ, crassitiem tamen iam ab aceto deuoratam credebam. ALEX. At cur saporibus Natura cibos condiuit? I.C. Non ad nutriendum, credo, à sapore enim alimentum nullum, potius à substantiâ in qua sapor est, sed vt labori manducationis comes esset voluptas, & vt inuitaretur animal ad vescendum appositus sapor est. ALEX. De gustu quidem tam multa, tamque doctè & dilucidè explicasti, vt fastidiosioribus satis sit, nedum mihi. sed libentissimè nunc de tactus sensu aliquid audirem. I.C. Faxo vt audias.

DIALOG. XLVIII.

De Tactu & Titillatione.

ALEX.

VOluptas (parcite auribus veſtris vos ô pueri Pudoris alumni, qui in Naturæ dedecus, partes illas nobiliſſimas, quæ procreationis magiſtræ ſunt & opifices, Pudenda, pudendè quidem, nominatis) voluptas, inquam, quæ in Veneris vſu percipitur an ad tactum referri debet? I. C. Affirmat quidem Fracaſtor. Inſcitiſſimè tamen, nam ſi ſemen tangatur manu, quo in loco tactûs ſenſus eſt in homine exquiſitiſſimus, nec titillabit tamen nec vllam excitabit voluptatem. ALEX. Quænam eſt Fracaſtorij ratio? I. C. *Miſcella*, inquit, *rotunde confecta tactui iucunda eſt, quare & ſemen cum ſit corpus æquabile, ea æqualitate ciet delectationem.* I.C. Ciuem Veronenſem à rotunditate, dulcedinis rationem deducentem non caſtigabo, nam ab eo multa didici intellectui meo iucundiſſima. Sed vt verum fatear, ab æqualitate non fieri offenſionem credo, cieri autem titillationem, nego, nam ſcabendi titillatio & pruritus non niſi à re paulo inæqualiore, &

ſcabra fieri poteſt. Alex. Sed quis tuus ſenſus de iſto ſenſu? I.C. Ego libenter facerem ſextum ſenſum Veneream voluptatem, quæ fit, non à tactu, licet non ſine tactu, ſed à ſpiritu ſolo: Quare qui multum coiere, ita vt non amplius emittant ſeminis, percipiunt nihilominus irrito coitu voluptatem. Titillari nos à ſpiritu ſolo aſſerit Ariſtot. & quilibet in ſeipſo experitur maximè in decimo tertio vitæ anno. è contra, nobis vigilantibus inuoluntariè exit aliquando ſemen abſque vlla delectatione, non igitur à ſeminis contactu dulcedo, ſed à ſpiritu qui ſenſum facit titillationis. Al. Poſtquam in hanc incidimus diſputationem, nonnullas tibi proponam difficultates, quarum prima ea eſt. Cur rerum omnium ſuauiſſimus eſt concubitus? I.C. An quia, inquiũt apud Ariſtotelem, ex toto corpore ſemen tunc profluit; quibus alioquin non aſſentior; nam Ariſtotelis rationibus omiſſis, ſic Hippocratem debellabo. Si de minima quaque corporis particula, vt ille fingit, quippiam ſeminis decederet, cum nihil poſſit extare minus minimo, neceſſe eſſet vnico concubitu vniuerſum corpus in ſemen quaſi liquefactum diffundi. Inſuper quælibet ſeminis portio fœcunda eſt ad generandum Animal integrum, quod intelligi poteſt ex ijs animalibus, quæ vnico coitu, & ex pauco ſemine multiplices fœtus procreant: Non poteſt autem ab vna corporis parte dimanare facultas ad vniuerſum corpus efformandum. In homine diſſecto

Ar. in probl. ſect. 30.

Ar. ſect 4. probl. 13.

magnam ſeminis copiam Lutetiæ vidimus in ſpermaticis vaſculis reconditam. Quare quod incoitu emittitur, neceſſe eſt prius congeſtum & vi præpotente teſtiũ coaceruatum. Addam aliud experimentum. Seminis vaſa, quæ multis anfractibus in teſtes feruntur, ſanguinem modice iam albeſcentem continent, qui tamen nondum teſtes attigit, cùmque non è teſtibus eò refluxerit, argumentum eſt in vaſis illis, ex ſanguine diutius concepto, ſemen effici, non è toto corpore in concubitu excerni: quare & qui multum coiere, ſanguinem demum emittunt: Si autem ex omnibus corporis partibus, ſemen in coitu efflueret id à coitu non contingeret. ALEX. At à coitu omnes corporis partes è langueſcunt, ergo ex eis tunc ſemen emanauit. I.C. Negatur conſecutio, in coitu eneruantur, & diminuuntur vires, quia ex vniuerſo corpore elapſus eſt calor, & ſpiritus qui ſemen excreuit è teſtibus, atque viuificauit, quâ de cauſâ ſpumeſcens vi ſpiritus ſemen exit: Quocirca rectè prodidit Ariſt. in ſemine ſpumoſoque corpore ſpiritum, in ſpiritu naturam contineri, quæ proportionibus reſpondet Elemento ſtellarum. E contra, vbi ſponte in die fluit ſemen, nec ſpumãs eſt, nec corpus debilitat, niſi continuò, vel in magna copia proflueret, tũc enim vires imminueret, quatenus natura accingeretur, cum ſit vacui inimica, ad vaſa replenda ſemine, cuius materiam quidem ex vniuerſo corpore eligit & euocat. AL. Quomodo id fit?

Ar. in 2. de Gener anim. c. 3.

I.C. Vt in liene vis quædã ineſt ad melãcholicũ humorem prolectandũ comparata, in renibus alia, quæ vrinam alliciat, ita & teſtibus vis quædam ineſt ſeminis materiam vndequaque attrahendi. quemadmodum iecur ex inteſtinis ſuccum rapit per venas meſenterias, ſic teſtes ſeminis materiam ſuguntà venâ cauâ, quæ lumbis & renibus aſſiſtit, hæc vero ab omnibus circumiectis venis grandioribus, hæ à minutis, quæ partes ſingulas alunt. Cum igitur ſemen excutitur, debiles euadimus, non quia è cunctis corporis partibus tunc ſemen prolabitur, ſed quia ex illis materia ad ſemen conficiendum attrahitur quod in vaſis deinde reponi ſolet, & poſtremò concubitu explodi: vel quia multum ſpiritus à toto corpore profluit ad ſemen viuificandum, atque eiaculandũ. An quia, inquit Hippocrates, id quod venere excernitur robuſtiſſimũ quid eſt? At quomodo tam facile & celeriter amittit natura quæ opus habet ad robur? An è coitu elãgueſcimus, quia ex neruorum intenſione conſtat robur, laxiora autem fiunt in coitu corpora, itaque tum primum pili oriuntur, & frequentiores tandẽ defluunt, & ſudor, horrorq; cõſequitur. ALEX. Arridet, ſed perge? I.C. An ſuauiſſimè, inquit ibidem Ariſtoteles, cocumbimus, quia quamuis non ex toto corpore, per eam tamen partem ſe promit ſemen, in quam meatus venæque omnes applicentur & coeant. ALEX. At Eunuchi nihil ſeminis emittunt, amoris tamen delitias, & amaſiæ blanditias prægustant,

Hipp in l. de Genit. in initio.

Ar. ſect. 4.

& in pueris ipſis tentigo eſt iucundiſſima abſque vlla ſeminis effuſione. I. C. Concedo. Sed eſt nihilominus in illorum prurigine incluſi ſpirituoſi humoris ſeceſſio, quæ titillationem efficit, hæc autem affluenter animal voluptate perfundit, quia venarũ oſcula ſimul coeũt. Quare ita ego dixerim: genitalis ſeminis excretionem ingẽs comitatur voluptas propter turgidi ſpiritus eruptionem, neruorumque tentiginem. Al. An dulciſſima res eſt venus quia fit generationis ergo? I. C. Imò maiora ſentit delectamenta, qui nihil de generatione ſomniat, ſanè oblectatur agens in fine potius quam in medijs ad finem: qui igitur ad ſobolem procreandam coit, mediocrem percipit voluptatem, cum adhuc abſit finis, quem ipſe intendit, ſobolem inquam: finis autem priuatio triſtitiam affert. Alex. Cur ſenes in coitu minus quàm viri oblectantur, & hi minus quàm iuuenes, qui adoleſcentibus etiam cedunt? I. C. An quia meatus, ex quibus ſemen depromitur, longo vſu obcalluere, hinc imbecilla fit titillatio, maxime in ſenibus, quorum caro ſicca eſt, in iuuenibus maior voluptas, & propter carnis mollitiem, quæ fit ab humido, quo Venus gaudet, quare ex mari genita fingebatur, & propter meatũ titillationẽ: quare ſcitiſſimè maiores noſtri ante veneris vſum, balnea voluptariæ vitæ delitias ingrediebantur, vt humido & calido ad ſenſationẽ aptius redderent corpus. Alex. Cur poſt curſum tentiginem patimur, vt in equis aliquan-

do cõſpicitur? I. C. quia multo motu excitatus calor demittit flatus ad ima ventris, flatu autẽ penis attollitur. Eſt enim flatꝰ ventus qui prouenit è rarefactis humoribus à calore. Hic eſt flatus efficiens, illi materia. An quemadmodũ curſitatio motu, & calore poros aperiendo craſſos humores attenuando excludit, & ſudores elicit, ita & ſemen calore liquefactum fluit, atque ita ſicula inflatur & intumeſcit: eſt enim ſemen, vt iam multoties diximus, ſpumoſum, & aereæ naturæ, quare quod ſpumat & leuis, naturæ eſt, fœcundum cenſetur à ſapientibus. Quare deceperunt me Præceptores mei cucullati; cum docebant & tradebant ſemen illud fœcundum quod in aqua proiectum deſcendit, quia grauitatis eſt argumentum quod ſolidiorem in ſemine redarguit materiam; imo ſpiritibus deſtitutam, hi namque leues cum ſint, vbi ſemini inſunt, ſibi ipſis conſimile reddunt. ALEX. At cur ego vbi in ſomnis nocturnâ Venere agitor, ſurgo imbecillior? I. C. An qui ſomniat & emittit, ſignum eſt corporis vberioris, quòd ſurgat debilior, ſignum eſt ſeminis craſſioris, quæ res maximè valet ad generandum, vtili igitur illo excremento ablato, reſoluitur corpus atque laſſiuſculum fit: qui autem ſine noxa emittunt, id argumentum eſt, naturam non eſſe ſpoliatam ea parte quam debuit retinere, ſed qua carere poteſt ſine diſpendio. ALEX. Cur vbi in nocte aliquis nocturnâ Venere eluſus eſt, poſtera die nihilominus concubitum

appetit? I.C. An quia Amasiæ imago in nocte repreſentata adhuc in Phantaſia reſidet, quare ſpiritus excitat; an pars aliqua ſeminis, ob vis expultricis (quæ ad cor, quaſi ad vexillum, redacta vt defectas vires inſtauret, requieſcit) debilitatem, exire nequiuit à meatibus, quare ibi aceſcit, ſuaque acrimonâ pruriginem ſtimulat, quemadmodum in acido lacte, quod, *puſquato*, noſtri ruſtici vocant, eſitando neſcio quid titillationis in lingua & palatu experimur. Alex. Cur vbi à Medicis admonemur, vt ſanguinem è venis proximâ luce, chirurgicæ manus extrahant, in ſomnis Veneris illuſione ſemē excernimus? I.C. An quia à triſti illa futuri doloris ſpecie in imaginatione receptâ refugiũt ſpiritus atque ſeſe abdũt in receſſus intimos, vnde fit flatus, & per conſequens expulſio ſeminis. An quia reſpuēs Natura violentũ ictũ, quo quomodo poteſt eum impedire conatur: Nouit autem medicas manus abſtinere à ſanguinis emiſſione, quando pollutio præceſſit? An quia ob timorem ſuperiores ſanguine priuantur partes: Quare calor deorſum demiſſus, & in vnum collectus, validiorque factus ſeminis excitare profluuium poteſt. An aduertens Natura ſanguinis emiſſionem corpori neceſſariam, minus vtilem depromit, tale autem eſt ſemen quod excremētum ab Ariſtotele dicitur. An debilis tunc eſt ægrotus, quare infirma natura, quod non poteſt calore ſuo fouere ſemen, expellit, vt principibus corporis partibus potius vires

do cõſpicitur? I. C. quia multo motu excitatus calor demittit flatus ad ima ventris, flatu autẽ penis attollitur. Eſt enim flatꝰ ventus qui prouenit è rarefactis humoribus à calore. Hic eſt flatus efficiens, illi materia. An quemadmodũ curſitatio motu, & calore poros aperiendo craſſos humores attenuando excludit, & ſudores elicit, ita & ſemen calore liquefactum fluit, atque ita ſicula inflatur & intumeſcit: eſt enim ſemen, vt iam multoties diximus, ſpumoſum, & aereæ naturæ, quare quod ſpumat & leuis, naturæ eſt, fœcundum cenſetur à ſapientibus. Quare deceperunt me Præceptores mei cucullati; cum docebant & tradebant ſemen illud fœcundum quod in aqua proiectum deſcendit, quia grauitatis eſt argumentum quod ſolidiorem in ſemine redarguit materiam; imo ſpiritibus deſtitutam, hi namque leues cum ſint, vbi ſemini inſunt, ſibi ipſis conſimile reddunt. ALEX. At cur ego vbi in ſomnis nocturnâ Venere agitor, ſurgo imbecillior? I. C. An qui ſomniat & emittit, ſignum eſt corporis vberioris, quòd ſurgat debilior, ſignum eſt ſeminis craſſioris, quæ res maximè valet ad generandum, vtili igitur illo excremento ablato, reſoluitur corpus atque laſſiuſculum fit: qui autem ſine noxa emittunt, id argumentum eſt, naturam non eſſe ſpoliatam ea parte quam debuit retinere, ſed qua carere poteſt ſine diſpendio. ALEX. Cur vbi in nocte aliquis nocturnâ Venere eluſus eſt, poſtera die nihilominus concubitum

appetit? I.C. An quia Amasiæ imago in nocte repreſentata adhuc in Phantaſia reſidet, quare ſpiritus excitat; an pars aliqua ſeminis, ob vis expultricis (quæ ad cor, quaſi ad vexillum, redacta vt defectas vires inſtauret, requieſcit) debilitatem, exire nequiuit à meatibus, quare ibi aceſcit, ſuaque acrimonâ pruriginem ſtimulat, quemadmodum in acido lacte, quod, *puſquato*, noſtri ruſtici vocant, eſitando neſcio quid titillationis in lingua & palatu experimur. ALEX. Cur vbi à Medicis admonemur, vt ſanguinem è venis proximâ luce, chirurgicæ manus extrahant, in ſomnis Veneris illuſione ſemē excernimus? I.C. An quia à triſti illa futuri doloris ſpecie in imaginatione receptâ refugiũt ſpiritus atque ſeſe abdũt in receſſus intimos, vnde fit flatus, & per conſequens expulſio ſeminis. An quia reſpuēs Natura violentũ ictũ, quo quomodo poteſt eum impedire conatur: Nouit autem medicas manus abſtinere à ſanguinis emiſſione, quando pollutio præceſſit? An quia ob timorem ſuperiores ſanguine priuantur partes: Quare calor deorſum demiſſus, & in vnum collectus, validiorque factus ſeminis excitare profluuium poteſt. An aduertens Natura ſanguinis emiſſionem corpori neceſſariam, minus vtilem depromit, tale autem eſt ſemen quod excremētum ab Ariſtotele dicitur. An debilis tunc eſt ægrotus, quare infirma natura, quod non poteſt calore ſuo fouere ſemen, expellit, vt principibus corporis partibus potius vires

suppeditet. ALEX. Cur mulierum maxima pars tardius in coitu soluitur? I. C. An quia (omittamus Galeni rationes) ex Hippocr. sanguis aquosus est, pariter ergo & semen, quod ex sanguine excoqui receptum est apud omnes: qua de causâ Galenus mulieris semen humidius esse tradit, atque frigidius: frigidiora autem tardiora sunt, quia calor est primum Naturæ instrumentum, Natura verò principium motus. At enimuero celerius solui quotidiano experimento comprobatum est, & ratio suadet: Humidius namque cum sit fœminæ semen celerius decurrit: nec frigiditas impedit quo minus fluat, motu namque tunc incalescunt, cumque pusillum fœmina emittat, facilius emissioni assentitur natura, quæ minima non curat. ALEX. Cur pulchram puellã imaginantibus penis intenditur? I. C. An quia è cerebro iucunda effigies cùm animæ offertur, cor, in quo potissimum illa residet, spiritum & calorem ad id membrum transmittit, titillatione in eo per neruos excitata. Calor autem dum ad ipsum tendit, humidum, quod in via est, dissoluit, & in flatum vertit, qui per mentulæ meatus transiens eam intumescere facit. ALEX. Cur præ nimio amore aliquando venerem exercere non possumus? I. C. *An quia* inquit Cardan. *voluntas contrahit spiritus, & ad superiora reuocat, & imaginantem facultatem, à qua maxime iuuatur Venus impedit. Homini enim proprium est non bene operam dare duabus rebus simul.* Sed Nugæ ista. Voluntas enim in læti-

Gal. in l. de semin. genit.

Gal. in 2. & 14. de uss. membr.

Card. l. 13. de subt. 1. de sec. sib bsis. len i

tia non contrahit, ſed dilatat ſpiritus,vt aliâs docebimus. Et ſi ad ſuperiora reuocat, quomodo imaginatiuam impedit facultatē? Forſitan vis imaginatiua in calcaneo ſedem habet? Ratio ea eſt,quia ad pulchrum obiectum emittimus ſpiritus, qui cum eo coniungi cupiunt. Anima namque magis eſt vbi amat,quam vbi animat. Nam vbi amat libere fertur, vbi animat,neceſſitate detinetur, quare debiles efficimur ob ſpirituum emiſſionē.
ALEX. Cur ſtudioſi ad venerem proni ſunt? I.C. An quia (inquit Mediolanenſiū Philoſophorum Deus Cardanus) calidiſſimi illi ſunt, atque humidiſſimi: Calidum autem & humidum facillimum eſt ad concubitum. Quare (addamus nos) cum ita ſoleat eſſe corpus in ſomno potius quàm in vigiliâ, dormiens celeriter abſque vlla agitatione ſemen emittit, vigilans non item. ALEX. Perpulchre. I.C. Maior nihilominus eſt falſa. Nam calida & humida mulier,non tamen ſapientiſſima: explico. Idem viri mulieriſque calor, in muliere verò non apparet dilutus humore multo: in viro ſentitur,quia ſiccitate acuitur, quinimo acutius conſiderans Scaliger fœminam dixit calidiorem,mammas enim habet,quæ caloris copiam præſeferunt. Calida igitur mulier: at humidiſſimam eam eſſe fatentur omnes. Sapientiſſima igitur erit ex Cardani ſententia, qui humidiſſ. & calidiſſ. dixit eſſe ſapientes. an rectiùs dicemus, ſapientes ad Venerem minus idoneos, quare debiles vt plurimum ſtupidos,

atque inertes generant filios: Nam ob speculationem à corde versus cerebrum feruntur spiritus, quibus genitales partes destitutæ languescunt; Quinimo ob studium resoluuntur, exercitatione namque exsiccantur, & pereunt qui humidi erant, quare Galenus asserit, Animæ affectiones exsiccare corpora, atque extenuare, ergo ad coeundum ineptiores se habent Philosophi, humidum namque corpus exquirit Venus, tum propter semen, tum quia humido calor alitur: Calor autem in coitu obtinet principatum. Sed vis dicam quæ sentio. Oculis quidem vulgi videntur sapientes esse libidinosi, quòd Matrimonij capistris ora præbere recusantes, ipsorum concubitus & si rari, damnabiles tamen existimantur, & conspicui fiunt, nam ob nominis splendorem, & magnitudinem, omnium oculi in ipsos conuertuntur, non ad laudem, sed ad obtrectationem, vt merito Soli à nobis assimilentur, qui non nisi cùm deficit, spectatores habet. ALEX. Cur Maximorum virorum patres plerumque ignorãtur? I. C. An quemadmodum heroicas virtutes supra humanum genus effert Aristoteles, ita heroum generationes altioribus atque minus manifestis causis attributæ sunt? An quia sæpenumero ex illegitimo concubitu nati sunt. sanè spuriũ vidi neminem non fortissimũ, vel ingeniosissimũ: cuius rei ratio ea mihi videtur esse, quod omnia largè & effusé ex paternis lũbis ac visceribus sunt cõsequuti, nec in furtiuo illo ac clandestino cõcubitu, parcè, ieiunè tenuiter

Gal. l. 14. de Med. rat.

tenuiter, ſed affluenter naturæ munera illis infuſa ſunt: Cùm enim vterque auidè ſe explere libidine geſtiat, ac prodigaliter in amplexus, atque oſcula proruat, totiſque viribus ac profusè in propaganda ſobole incumbat, fit vt omnia, quæ in conceptu neceſſaria ſunt, cumulatè perficiantur, nec quicquam in hoc negotio deſideretur: eoque euenit, vt cum nati parentum indolem exprimant, ac multa ab ijs conſequantur, incredibilis ſit erga eos parentũ beneuolẽtia: ex qua vi etiam emergit in hac ſobole alacritas mentiſque erectio, tum generoſus quidam animi affectus, quo tales indignantur extra decus limiteſque Matrimonij ſe eſſe prognatos, ac deeſſe ſibi aliquid præ cæteris, quod ad honores ac dignitates publicaſque functiones attinet: Quæ res efficit vt ſe modis omnibus extra contemptum vindicare nitantur, atque illàm notam, quam imprudentes quidem impingunt, probitate morum ac vitæ integritate aboleant. ALEX. Quid ſubrides? I.C. Deridiculum meum cogitabam inſomnium. ALEX. Quæſo enarra illud ridendi gratia. I. C. O vtinam (hoc erat ſomnium) extra legitimum, ac connubialem thorum eſſem procreatus: ita enim progenitores mei in Venerem incaluiſſent ardentius, ac cumulatim, affatimque generoſa ſemina contuliſſent, è quibus ego formæ blanditiem, & elegantiam, robuſtas corporis vires, mentemque innubilam conſecutus fuiſſem; At quia coniugatorum ſum ſoboles, his orbatus

ſum bonis: Sanè pater meus inclinata ætate, vbi iuuenilis ardor deferbuit, matrimonio ſe addicauit: Flaccidæ erant illi ſeptuagenario vires, ſpiritus exiles, facultates naturales imminutæ, ac proinde modicis viribus ſemen imbutum erat, & languidè excuſſum: concubitus enim perſoluebat (vt loquuntur) debitum, non (vt pro æternitate dimicantem decet) fortitudinis rationes excitans, certamen inijt robuſtus: quare minus virium, minuſque roboris obtinui: quòd ſi excelſus nunc mihi eſt animus, grata forma, corpuſque paucis obnoxium infirmitatibus, inde euenit, quòd pater meus etſi ſenex, blandus tamen atque hylaris erat, eiuſque ob ſenium frigeſcentia membra (irrident Philoſophi hæc Chriſtianorum connubia) adoleſcentula vxor complexu fouebat. Quinimò moderatè vino concalefactus ad Veneris comœdiam peragendam ſe accinxit amœniſſimo illo anni tempore, quo ſe omnes naturæ vires exſerunt. ALEX. Hæc per Deos immortales non vinolentorum ſomnia, ſed cogitata ſapientum videntur, ſed efficias, vt poſtrema quæ protuliſti verba, melius obaudiam. I.C. Vernis menſibus procreationi operam pater meus ſcitiſſimè impendit. Siquidem ea anni pars equis etiam effœtis hinnitum extorquet. ALEX. Nos verò Chriſtiano-Catholici imbecilliores tunc ſumus ob quadrageſimale ieiunium. I. C. Imò tunc carnis ſtimulus vehementius nos angit: quippe Venus flatu, & ca-

lore excitatur, ſemine perficitur. Huius materiam abundè ſuppeditant amygdala, nuclei pini, piſtacia, vuæ paſſæ & corinthiacæ, vina dulcia, vt ſuperſedeam è precioſiſſimis piſculentis cibarijs, quibus Magnates perfruuntur. Flatus copiam ſubminiſtrant herbæ, & legumina, quibus tunc veſcimur. Caloris ſuppetias conferunt aromata, vulgo *ſpecies*, quæ eſculentis copioſè inſperguntur. Paſcimur etiam tunc temporis teſtaceis, oſtreis, gammaris, locuſtis, cancris, cochlæis, conchiſque marinis, quæ ob caliditatem, mordacemque naturam libidinem concitant: eandem ob cauſam ſalita, quibus affatim vtimur, lumbos incitant, mouentque tentiginem. Quam ob rem Ægyptij (Plutarcho teſte) à ſale omnibuſque ſalitis abſtinuerunt, quod à ſale Venerem irritari crederent. ob ſalis eſum mulieres etiam tentigo tunc infeſtat, & ad concipiendum aptiores reddit. ALEX. Quomodo id probas? I.C. Ratione, & exemplis. ALEX. Quæ nam illa ratio eſt? I.C. Sal abſtergit omnem vliginem, vuluamque plus ſatis madidam exſiccat, quare ſemen tenaciter adhæreſcit, veluti & paluſtrium agrorum ſterilitatem ſale coloni expugnant. ALEX. Exempla modo proferas? I.C. Non defuerunt Philoſophi (vt Plutarchus refert) qui mures citra virilem operam concipere aſſererent, ſi crebro ſalem lingant. An hoc verum ſit, ignorare me profiteor; illud ſcio ſalem fœcunditati auxiliari, nam immenſa ſoricum copia in ma-

rinis nauibus enaſci ſolet, & ſalinarias mulieres multarum prolium feraces eſſe aduerti in meis peregrinationibus. ALEX. Tuæ ſubſcribo ſententiæ: ſed quæſo illud me doceas, cur virguncularum color, vbi vri, ac prurire incipiunt, giluus, & muſtelinus eſt; quinimo animi deliquio, atque vteri ſtrangulatione acerbiſſimè infeſtantur: vbi connubio deſtinantur, blandæ, & amabiles euadunt. I. C. Cauſa in promptu eſt, vitiati ſeminis ſuppreſſio: nam ſemen retentum corrumpitur, veluti & lac: corruptum vbi fuerit, virus contrahit, & veneni qualitatem aſciſcit, ideò ſæua excitantur nubilibus puellis, viduiſque pruriginoſis ſymptomata: at vbi ſemen ſubdito virili peſſulo elicitur, effloreſcunt, roſeumque colorem nanciſcuntur. ALEX. At cur crebra fundunt ſuſpiria, cordiſque tremor, & palpitatio eis aduenit? I. C. Quia expultrix facultas ad excretionem turgentis humoris incitatur. ALEX. Legi in quodam libello Germanico Idiomate conſcripto, quot afferat corpori beneficia moderatus Veneris vſus: attamen author ille, indignus qui nominetur, eò ineptiæ miſer recidit, vt aſſerat, non magis piaculum eſſe è ſpermaticis vaſis ſemen quolibet modo excernere, ac depromere, quàm è capillacea coma crines abſcindere, vel vnguiculas arrodere; paria enim hæc excrementa ſunt. I. C. Has ego deteſtor voces non modo vt Chriſtianus, ſed vt Philoſophus, nam quid diuinum ineſſe ſemini oſten-

dit finis, propter quem Natura condidit, & ipsiusmet actio, quæ in diuini Templi Architectura versatur. Omitto hîc errores, in quos lapsus est Cardanus, eidem putrido innitens fundamento, *Est etiam* (inquit) *illud considerandum, partem illam, ob quam maximè generi studendum esset, scilicet memoriam inter homines, necessario interrumpi vel euanescere: qua sublata quid reliquum iam est tui in filio, nedum in pronepotibus? velut enim ex pomo hoc vel illo genitus esset, parum plus attinet, cum excrementum diuersum ex diuerso etiam cibo generetur, vt hic qualitatem quidem glandium, hic frumenti, alius vini retineat: vnde etiam tam dißimiles vterini fratres sunt, etiam si ex eodem patre geniti fuerint. Quominus mirum sit Reges quosdam & priuatos ob gloriam filios occidisse.* Audite nunc Cardani manes, & si nihil à morte superesse olim ille affirmauit. Si tam vile excrementum est semen, vt fratres irrideat quòd mutuo se diligant, quia ab eiusdem sentinæ diuerso tamen excremento pullularunt, cur in Moysen duorum fratrum semina commisci permittentem debacchari ausus est? *Ridemus* (dixit) *meritò Lycurgum, quod instituerit, à sene viro posse vxorem iuueni quem maximè probaret, substitui ad propagandum genus, vt qui nascatur pro mariti filio habeatur. At Moses iußit, vt cùm primus frater mortuus esset, proximus illi relictam vxorem duceret, procreatique filij prioris fratris haberentur. Igitur inter Mosem, & Lycur-*

Card. l. 2. de Sapientia fo. 55 edit. Noremberg.

Ibid. fol. 55.

gum satis conuenit. Verum vt Mosis modestior modus, cùm à funere præcipiat fratris: sic Lycurgi (ô vocem detestandam) irreprehensibilior quod sanguinem duorum fratrum in vna muliere non commisceat: quem morem satis Cornelius Tacitus gentibus exprobrat, inuisosque illos merito omnibus dicit, qui non secus ac canes, & feræ non à cognatis cauent, sed promiscue miscentur. ALEX. Imo ipse Cardanus alibi asserit, maiorem nos percipere voluptatem, si sorores, & affines subagitemus quàm si extraneas mulieres, & parum (aiunt Athei) abest à vero suspitio, nam vt Iurisperiti asserunt, duo vincula sunt fortiora vno. Pretereà inter affines, tamquam ex eodem stipite promanātes aliqua intercedere solet sympathia, & sanguinis, humorumque conformitas. Coloniæ Allobrogum cùm essem, Belgam quendam Atheum sic ratiocinantem excepi. ad politicum regimen affinium coniunctio à legibus interdicitur, nam talem, tantamque inde prægustarent coeuntes dulcedinem, vt nulli aliæ rei operam darent. Addebat hic Atheus apud alias Nationes non pro crimine haberi. Nam & de Hebræorum Patriarcha legimus cum proprijs filiabus rem habuisse; apud Gentes leuissimus erat lapsus, quare incestum dixerunt, quasi non castum, vt Nonius exponit: apud Persas hodie impunè licet sorores in vxorem ducere.

Ibid. fol. 97.

Quibus perditissimi nebulonis blasphe-

mijs ego reſpondi, iuſtiſsimis de cauſis prohiberi coniugium inter affines, nam aliter in maximum Reipublicæ detrimentum familiæ non coniungerentur, & complures innuptæ virgines remanerent. Moiſes id concesſit Hebræo populo, nam anguſtis Regni finibus continebatur; extranei verò Incolæ Idololatræ erant, ac propterea ambi mutuum coniugium reſpuebant. Inſuper Hebræi facilè vxores repudiabant, cui malo Moſes vt obuiaret (nam repudium permiſit tantum ad duritiam cordis) affinium coniunctionem plenus Deo meditatus eſt, vt & coniugalis amor, & ſanguinis ſimul ratio à contracto matrimonij fœdere derimendo eos auocaret: quàm damnabilis fuerit apud Ethnicos inceſtuoſus concubitus, abundè hiſtorici teſtantur, quos vt omittam, Ciceronem hîc appello, cui tale crimen à maleuolis fuit obiectum, is ita loquitur, *omnibus enim ex animi perturbationibus eſt profecto nulla vehementior, vt ſi iam ipſa illa accuſare noles, ſtupra dico, & corruptelas, & adulteria: inceſta denique, quorum omnium accuſabilis eſt turpitudo:* Dicebatur autem inceſtus, ideſt, non caſtum, vitium igitur erat; ſanè caſtitas virtus eſt: Virtutis autem carentia, crimen eſt, alij tamen inceſtum deducunt à ceſto Veneris cingulo, quo amor maritalis in legitimis nuptijs conciliari putabatur, vt inceſtus dicatur concubitus illegitimus, cui cingulum illud iuſtarum nuptiarum inſigne

Cic 4 Tuſcul.

non adhibetur. Quid barbari Persarum accolæ factitant, rationale institutum non arguit, nec probat apud eos, qui fabulosa Persicæ Religionis rudimenta perlegerunt. Sic ego sacrilegas illius Athei voces, nefarias obtrectationes, ac sermones inquinatissimos comprimere, retundere, ac hæbetare haud sum veritus apud exteros, & si vitæ periculum imminebat. I. C. Hoc profectò Cardanus vix crederet, qui Atheos contrariæ sentētiæ fautoribus mortem nō minitari censuit. *Nunc demum* (inquit ille) *videamus, an forsan ad benè, beateque viuendū animæ immortalitatem credere plurimū conferat, atque vt video, nec in hoc vtilis est hæc opinio: quinimo vt apud Ciceronem, Laertiumque Diogenem multo sanctius iura, fidem ac pietatem colebant Epicurei inter homines, quam Stoici, vel Platonici: atque huius causam fuisse reor, quod, vt Galenus docebat, homo fit consuetudine bonus, vel malus. At verò his qui sanctitatem vitæ minime profitentur, nemo fidit: quamobrem fide maiore vti coguntur, talesque se apud homines præstare, vt non videantur ea professione deteriores: vnde etiam euenit, vt his temporibus pauci fœneratorum fidem æquiparent, cùm tamen illi reliquo vitæ genere sint perditissimi. Quinetiam apud Iudæos, cùm Pharisęorum secta resurrectionem, nedū animorum fateretur immortalitatem, perpetuo Christum insectabatur: Saducæi, qui animi interitum fatebantur, vix semel, aut bis illum, nec molestè admodum tentauerunt: inde si Plinij, & Senecæ vitam, non verba comparaueris, inuenias Plinium cum sua*

Cardan. de imm. anim. c. 2. fol. 33.

animorum mortalitate tanto superare Senecam probitate morum, quanto verbis Seneca religiosissimus Plinium vincit. Colebãt Epicuri honestatem, pupillorum hæreditates officiose tractabant, filios defunctorum amicorum proprijs pecunijs fouebant: apud omnes optimi viri præter Deorum cultum, quos esse firme negabant, habebãtur: ad hanc etiam spem mali occasionem arripiunt, boni multa perperam patiuntur, leges mitiores statuuntur, sic fit, vt hæc opinio etiam iacturam rebus humanis afferat; sed nec ad fortitudinem conducere videtur, nam nõ Cassio Brutus fortior fuit, & si vera fateri volumus, crudeliora etiam fuere facta Bruti, quàm Cassij, nam ille Rhodios infensissimos longè melius habuit, quàm Brutus amicas quibus præerat ciuitates. Quid tandem? Brutus stoicus patriam ab Epicureo Cassio seruatam, Antonio præter leges incolumi præstito, euertit. ALEX. mittamus has Cardani ineptias, quas in tua Apologia pro Mosaica, & Christiana Religone sapiẽtissimè iuxta & Catholicissimè cõfutasti. I.C. Occurrũt ne tibi aliæ in hac quæstione dissoluẽdæ difficultates? sed quid subrides? ALEX. Famulæ meæ stultitiam admiror simul & irrideo. I.C. Quid illa paupercula cõmisit criminis? ALEX. sponsum formosum recusauit, quia mentum non vndique pilis suffultum habebat, & delyrans illa claudo homuncioni nupsit. I.C. Maritæ huius honestatem, & sapientiam admiror, ALEX. Quid ais? an quandoque bonus dormitat Homerus? I.C. Si impudica dicitur mulier, quæ viri sui absentiam exoptat, nõne castissima ancilla tua vocitabitur, quæ pe-

dibus, cruribusque vitiatis hominem in maritum sponté duxit, quem totos dies domi sediturum præuidebat. Alex. Sed qua in re eius admiraris sapientiam? I.C. Quia barbatulo viro noluit nubere, à desiccatione pilus, desiccatio à calore est, quare pilorum inopia, caloris pauperiem significat, calidos autem operarios Venus requirit, quapropter Soli munificẽtissimo caloris largitori generatio tribuitur. Forsitan illa in somnis, ita obraciocinata est: castrati cantores sunt imberbes, quare ex toto ad partem arguens sub paucula barba vitium latero conijcio, satius erit claudicantem maritũ accipere, nam ex hoc genitales partes inusitatæ magnitudinis habere, maximique libidini deditum esse deprehendo, alimenti namque materia, quæ inualido pedi destinanda erat, supernè retinetur, & in partes genitales refunditur, & magna pars in semen elaboratur, cuius vis & copia tentiginem mouet atque obscenis partibus pruriginẽ excitat: sic videmus tortas arbores viuere diutius, propterea quod vegetiore radice nitantur, succum enim ab ea intercipiunt, iccirco non corrumpi eas superfluo atque aduentitio certum est, quemadmodum palustribus rectis accidit. Alex. Acutissimè disputas, sed ex animo euellas quos modò infigisti scrupulos. cur testium auulsio barbam nasci prohibet; I.C. An ex caloris diminutione id contingit? Est enim pilus, vt dixi, à desiccatione, desiccatio à calore. Præterea ex caloris imbecillitate materia molitur duriciẽ,

inde ſequitur menti glabricies,hinc conſtipatur,& contrahitur cutis, quapropter pilis exitus denegatur. AL. At cur Eunuchi non fiunt calui? I. C. Quia tollitur Veneris vſus, iccirco ſuccus non ſubtrahitur, quam ob rem & caſtrati Arietes cornua maiora gerunt; E contrâ libidinoſi cito calueſcunt, nam ſuperiores partes parum ſanguinis obtinentes coitus refrigerat, pili igitur alimento deſtituuntur,remoto alimento, pili neceſſe eſt vt decidant. ALEX. Cur Teſtium auulſio tuetur hominem à podagra vt ſcribit Hipp.? I.C. An quia venus non exercetur: Sanè coitu calor debilitatur,laxatur corpus,inanitur, fit defluxio cerebro debilitato, in laxitate recipitur humor,qui propter caloris exiguitatem, & materiæ pertinaciam & crudus eſt & reſolui nequit. ALEX. Cur autem capi,qui caſtrati ſunt podagra multis modis afficiuntur? I.C. An quia puſillus eis calor,edacitas multa. ALEX. Cur ſpadones vocem reddunt acutiorem? I.C. Quia humor in eis abundat, qui ex ipſorum pinguedine, præcipuè in pectore,nam veluti fœminæ mammas habent prægrandes, facile deprehenditur, quare fauces & canalem, quem vocant aſperum, craſſum reddit & per conſequens anguſtiorem, ſpiritus autem eò acutiùs ſonat, quò per anguſtiora extruditur, id quod è tibiarum foraminibus deprehendere licet,& ratio illa ſuadet, virtus vnita fortior.

Hipp. ſeA. 4. aſibor. 29.

DIALOG. XLIX.

De Hominis Affectibus.

ALEX.

NVnc mihi superest vt de hominis affectibus te interrogem, & primo à te quæro, Cur præ gaudio aliquando lachrymas fundimus? I.C. Quia spiritus vasto impetu prodeunt, atque ita humores colliquefaciunt. ALEX. Cur præ lætitia nonnulli obierũt? I.C. An quia spiritus ad cerebri membranam cùm ferantur, magno nisu inde liquorem exprimunt. ALEX. At cur eò feruntur spiritus. I.C. Vt lætam speciem ibi impressam cõtemplentur? An periere, quia profusum insolensque gaudium spiritum caloremque tam vehemẽter è corde in summa corporis effundit, dissipatque, vt id caloris benefico prorsus destitutum, vel sincope, vel morte repẽtina corruat. ALEX. Cur in lætitia prosiliunt spiritus? I.C. Causa est, quia similia vnionem maximè appetunt, quod enim non est vnum, non est quidem: Ita id quod est à suo simili separatũ, & illud defraudare, & ipsum ab illo essentiæ quasi complemento defraudari videtur: Quare vnum esse appetunt, hoc enim est eorum esse verum: iccirco spiritus exeunt, & ideo amãs

cupiens vnum esse cum re amata, appetit corporum coniunctionem, effecitque vt duo spiritus osculorum coniunctione fiant vnus: Quare amoris fundamentum cum putarent esse sapientes, Basium Græca voce donarunt. ALEX. Cur in lætitiâ ridemus? I.C. An quia spiritus latè se propagant, hinc dilatãtur musculi, qui à lateribus buccæ sunt, faciuntque illum oris motum, qui risus dicitur. ALEX. At cur in contemptu subridemus? I.C. Quia est ira subadumbrata, qua spiritus effunduntur. ALEX. At cur ij qui in præcordijs vulnerati sunt, ridibũdi perire dicuntur? I.C. An quia, vt dixi, risus fit à dilatatione diaphragmatis, ex qua ditatio quoque musculorum, qui circa buccas sunt, per consensum fit. ALEX. Cur in titillatione, quam Italicum vulgus, paulo corruptiori nomine vocat *tectigationẽ*, ridere solemus. I.C. An *quia*, inquit Fracastorius, *ex primo cõtactu, leui pressione quidã veluti horror accidit, qui ad diaphragma & cor pertingens, repentinam contractionem, & suspensionem animæ facit: mox subito etiam dimissis neruis illis, subito etiam cessat horripilatio, & cor ad propriam naturam redit, quod cum delectatione & gaudio fit, & dilatatione: est autem tam subitus vterque motus, vt simul penè sint suspensio animæ & dilatatio: quod in risu quoq cõtingit, propter quod & hîc quoque proportionale quiddã cõtingit non sine molestia quadã.* Est (inquit Iul. Cæsar) titillatio dissipatio spirituum in partibus laxioribus, quo motu subsiliunt sensoriç partes, in laxis enim facilior fit spirituum subsilitio, *Fracast. de Sympa. c. 20.*

& quas ad partes neruorum extrema pertinent, in ijs enim sensus præstantissimus. ALEX. At quare nemo seipsum titillat? I.C. *Quoniam* inquit idem, *subita quædam horripilatio est, quod titillare dicimus, subita autem fit titillatio & repentina, quum anima imparata, & non aduertente contactus fit, at sese tangente aliquo, semper parata & aduertens anima est.* Eximio quidem Philosopho assentiri percuperẽ, nequeo támen, non solum enim ego obseruans & diu etiã, tactus promoueor, sed antequã tãgar sola imaginatione. Ratio huius rei ea mihi esse videtur, quia nemo sibi est extraneus, itaque nõ æque patimur, & certe etiam ex attrectatione nostrâ non nihil motus exoritur. ALEX. Cur in mæstitia expallescimus? & frigescimus in externis partibus? I.C. Quia spiritus intro retrahũtur. ALEX. At cur ita accidit? I.C. quia tristẽ illã speciem in phantasia impressam fugiunt, atque in recessus intimos se inducunt. ALEX. At si intus spiritus colliguntur, cur tristitia cor refrigerat, cõcoctionem labefactat, & pulsus paruus, tardus, rarus & imbecillis euadit. I.C. Quia spiritus, inquit Fernel. in cor solum recurrunt, tanquam ad arcem, quare cor vehementius premitur, & strangulato calore penè obruitur. Laxa sanè sententia, nam caloris contractio concoctionis causa est, vt Hipp. docuit & experimentum suadet, Vẽtres enim hyeme calidiores. Ego vero dicerem quòd ideo concoctio deprauatur, quia spiritus alio

Fern. l. 1. de morb. caus. c. 18.

intenduntur, & ad concoctionis ministerium inepti fiunt, crassescunt enim atque obscurantur, quapropter neque penetrant, neque viuidi sunt, sed torpent circa speciē quæ tristitiæ causa est. AL. Cur in mœstitiā lachrymamur? I.C. An quia spiritus contrahuntur, atque ita densatur cutis, exprimitur humor & fluit lachryma. ALEX. Cur lachrimanti diuersus est oris habitus? I.C. Ob spirituum constrictionem. ALEX. Cur in eiulatu vox varia? I.C. Ob spirituum intus coarctorum, atque ebullientium concursum, & quasi conflictationem ALEX. Cur in mœstitiā somnus arcetur? I.C. Contracto calore somnus prohibetur, inquit Cardan. sed decipitur, nam caloris cōtractio somni causa est apud Philosophum. Ego vero sic dicerem. somnus aufertur propter imaginatiuæ agitationem circa speciem quæ mœroris causa est: conflictamur etiā vigilijs propterea quod consumitur humidum cuius fit resolutio contentiore animi motu, qui perpetuo circa rem vnam oberrat, atque obuoluitur. ALEX. Cur in pudore initio impallescimus, mox erubescimus? I.C. An quia pudor est tristitia quam concipimus, vbi in alterius præsentia inhonorificè diximus, aut fecim⁹ aliquid, vel iam factū nobis exprobatur: at in tristitia cor patitur, quare ad illud auxilij ergo natiuus calor vndiq; diffusus defertur, hinc exteriores partes calore destitutæ pallent, cor autem opem laturum ijs partibus quæ maxime laborant, calorem

qui sanguinem attrahit, ad faciem, quæ pallore confunditur, quasi ferre non possit præsentiã eius qui nostros defectus aspicit, transmittit: quapropter rubemus, quod mihi adolescentulo sæpenumero accidebat, cum maxime paternas obiurgationes prætimerem. At ille vir optimus ingenui animi indicem esse dicebat. ALEX. At cur in metu membra contremiscunt atque expallescunt? I.C. Quia introrsum refugiunt spiritus; Hinc externæ partes spiritibus destitutæ, sustinere se nequeũt, & calore introrsum reuocato, plumbeus remanet color. ALEX. At cur in timore spiritus contrahũtur? I.C. An quia futurum malum præuidentes, ad cor tanquam ad arcem tutissimam confugiunt: Idcirco in metu cor maximè palpitat quod virium additamenta præostendit. ALEX. Cur aliqui præ timore suo fato functi sunt? I.C. An quia timor futuri mali prosternit animum atque verberat: quare spiritus ab illa tristi specie fugientes, in vnum contrahuntur, atque ita cor premitur & strãgulatur: propterea mihi puerulo confictas manium vmbras pertimescenti potum aquæ frigidæ famulus exhibebat: Ita enim cor refrigerabatur, & spiritus ex timoris perculsione eò conclusi & abiecti, ad suas functiones exequendas euocabantur. ALEX. Cur ex timore nonnulli canent, vt sub Francisco Gonzaga Mantuano Principe contigisse legimus, affinem suum coniurationis accersitum quem in turri portæ Cæsareæ seruari iussit, repente canicies subit. I.C. An

quia

quia præ timore ſpiritus contrahuntur, propterea externæ partes frigeſcunt, atque ideo, refrigerato pilorum alimento, ſuccedit humor non naturalis: quemadmodum enim ſubducto à crinibus nutrimento calueſcimus, ſic viciato caneſcimus. ALEX. Cur irati blaſphemant homines & ſæpenumero (proh dolor) Deum? I.C. An quia ira appetitus vltionis eſt vel, vt aſſerebat Melãctõ, motus animi mixtus ex triſtitia & cupiditate vlciſcendi, quare anima ad vltionem ſe pręparat, atq; ideo vndique vires colligit: caloris autem collectio fit circa cor, vbi præcipua eſt ipſius animæ ſedes: hinc aliqui definierunt iram, ſanguinis circa cor accenſionem ſeu ebulitionẽ; Deinde collecti caloris tranſmiſſio fit ad partes quæ nocere poſſunt: & quia abſentes hoſtes lingua lædit homo, iccirco ſpiritus exeunt, & ad eam ſe producunt quaſi ſuppetias ei laturi, vnde iurgijs & imprecationibus inimicum inceſſunt, ſed quia tã leuis vindictæ verecũdatur anima, ne vires ei deeſſe aliquis ſuſpicetur, in Deum ipſum, quem illatæ iniuriæ authorem eſſe turpiter credit, debacchatur & furit. ALEX. Vnde probas in ira ſpiritus è corporis latebris ad externas partes euocari? I.C. præ ſpirituum, & ſanguinis exuperantia turgent manus & lingua etiam: quapropter irati balbutiũt, & ſitiũt, eorumq; vultus rubent, & oculi micãt: quare Alexãder in India pręlio circumuẽtus, præ audacia, & ira lumen & ignem ex ſe profundere viſus eſt. Quid miraris? nonne & Theodorici

pater ſcintillas ex toto corpore profudiſſe legitur, vt ſcintillantes flammæ hinc inde etiam cum ſono proſilirẽt. ALEX. Si Turcica plebs in vno è ſuis ſacerdotibus hæc cõſpiceret, in Diuorum numero eum collocaret. I.C. Imo & in belluis hæc aliquando apparent. In hiſtorijs proditum eſt, Tiberij equum ore flammigeraſſe. ALEX. At cur ij, qui improcero, puſilloque corpore exiſtunt, oblata etiam futili occaſione, ilico ad iram concitantur? I.C. An calido ſunt corporis habitu, ideoq; citiſſimè bilis accenditur, quæ propter loci anguſtiam, minimumque organorum interuallum, mentem cõfeſtim corripit, atque vt tuguriolum inflãmat: eãdẽ ob rationẽ puſillæ ſtaturæ homines ingenio præ cæteris pollent, nam ſpiritus coacti, minuſque diffuſi acrius vires ſuas exerunt. AL. Aſſeris, in calido, ſiccoque corpore bilem ſtatim accendi, ac proinde illius conſtitutionis homines pronos ad iram: at cur mulier, quæ humidiſſima eſt, ſubito quoque incandeſcit? I.C. An quia in muliere vbi bilis accenditur, confeſtim (eſt enim illa molli, laxaque carne) per corpus ſe diffundit, ac ſubitam ſanguinis circa cor ebullitionem excitat, quæ repentè deferueſcit, nam humido, quo mulier abundat, reprimitur. ALEX. At cur plebeiæ mulieres dum ira corripiuntur, tumultuantur, inſanos clamores rabidoſque fremitus, velut furijs agitatæ, edunt? Patritiæ non item. I. C. Illæ decus, pudorem, exiſtimationem vilem cum habeant, periclitari patiuntur, quare &

rabiosè vociferari, complosisque manibus indecoros gestus efficere non pudet: hæ decoro inseruientes, perturbatos animi motus ratione coercent. ALEX. Moralis hæc ratio est, Physicam ego exigebam. I. C. Et ego nunc reddo. Non te fugit, mulieribus inesse humorum virus, ac colluuiem, quam singulis mensibus ex Lunæ decursu congerunt, atque expurgant. ALEX. Quid hoc ad rem? I. C. Vbi illæ ira concitantur, & ignescunt, tota illa humorum sentina agitata effumat, ac per copus diffunditur, quare cor & cerebrum fuligine, & fauillis afficit, & per consequens vitales, & animales spiritus, qui ijs deseruiunt partibus, inflammat; hinc fit vt iuniores ob menstrui sanguinis redundantiam irritatæ cũ fuerint, promptius iræ flammam concipiant, atque inardescant: aniculæ verò ob menses resides sint pacatiores. ALEX. Quid inde? I. C. Si humores illi sũt iræ fomites, quid mirũ Heroinas, quarum temperatos humores cibi qualitas arguit, placatiores esse? è contra, populares mulierculas accensas in violentos affectus erumpere, rabidè adlatrare, fremere, & furere? quando vitiosis humoribus contaminatas esse quotidianus ipsorum cibus vilissimus perhibet. ALEX. Profectò mihi arridet hæc sententia. I. C. Ego, si Christianorum non essem soboles, & alumnus, dicerem, non Dæmonum persuasu homines ad flagitia impelli, sed à vitiatis humoribus. ALEX. Vnde hi vitium contrahunt? I. C. A semine & coeum-

tium imaginatione, ab educatione, à ſyderum influxu, aeris intemperie, & à cibis. ALEX. Quomodo à ſemine? I. C. Semen ex præcipuis (vel vt alij volunt) ex omnibus corporis partibus defluit, omniumque membrorum in ſe facultates complectitur: quæ igitur vitia vlli genitorum parti inhæreſcunt, ſemini inſita ſint neceſſe eſt, ac proinde fœtui, qui ex ſemine progignitur: quare à podagroſis, leproſiſque parentibus orti, conſimilibus cōflictantur infirmitatibus. Viguit opinio hæc apud omnes ſcholas. Ariſtoteles ſic inquit, *Nemini eſt obſcurum, qui ex bonis, & claris parentibus nati ſunt, eos conſentaneos fieri ſuis maioribus:* & alibi, *veriſimile eſt probrum exprobris euaſiſſe.* Diogenes cùm ebrium in foro mercatorio conſpexiſſet, *illius* (inquit) *patrem ebrium fuiſſe oportet*, Cicero ſic locutus eſt. *Nemo ex improbo patre probum filium naſci poſſe exiſtimat.* Heſiod.

Ar. in Rhetor.

Ar l. 3. Rhetor ad Theodect.

Cic. in orat. pro Roſcio

Et ſimilem ſobolem genitrices patribus edunt.

Et Virg.

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos
Noram.

Horat. l. 4. Car. ode. 4.

Horatius ſui ſæculi Phœnix ita cecinit,

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Iuuen. Satyr. 6.

Et Ouidius: *Pyrrhus Achilleides animoſus imagine patris.* Et Iuuenalis,

Scilicet expectas vt tradat mater honeſtos,
Aut alios mores, quàm quos habet?

Therentianus Chremes cum Sostrata Heautontimorumenos ita rixatur,

Is quod non est consimilis moribus
Conuinces facilè ex te natum, tui similis est probe.
Nam illi nihil vitij est relictum, quin itidem sit tibi,
Tum præterea talem, nisi tuo, nulla pareret filium.

Et Catulli sententia ea est,

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Omitto legislatorum authoritates, & plantarum exemplum adducam, hæ seminijs consimiles reddunt fructus. *L. quisquis parag. filij C. ad l. Iul. Mai. l. si operarum indicio ff. de oper. liber.*

Alex. At sæpenumero videmus filios à parentum virtute degenerare. I. C. Creduntur hi sapientum filij, at non sunt: nec enim vxores omnes Liuiam Agusti filiam imitãtur, quæ licet impudicissima fuerit, similes tamen marito Agrippę edebat filios, quia nõnisi plena iam naui vectorem tollebat: quod crimini adscribendum esse, nulla, inquiunt plerique Philosophi, ratio suadet. Alex. Quæso efficias, vt planius concipiam, quomodo ex semine morum prauitas deducatur. I. C. Biliosi hominis qualitas feruida est, pariter ergo & semen quod ab illo excernitur, & animal igitur, quod in potentia (vt loquuntur) semen continet, tale erit, quapropter vel leuissima oblata occasione, extempore in illo bilis accenditur ob calidi humoris tenuitatem : excitatis spiritibus, humoribusque ebullientibus mens ho-

minis illorum agitatione incalescit, & tanquam subdita face inflammatur, quare furore correptus, ad arma ruit. ALEX. At homini data est ratio, qua immoderatos affectus coerceat. I.C. Ex seminis defectu fiunt aliquando imperfecta organa gignendis spiritibus destinata; hinc spiritus, quibus ad intellectionem vtimur, aliquid vitij contrahunt, atque ita homo à sui dignitate desciscit, & in belluam degenerat: aliquando organa & spiritus perfecti sunt, & ad ratiocinandum idonei, sed à peruersis humoribus corpori à semine, vel aliunde infixis obruuntur: vt enim lychni impolito lucernario inserti, minus lucis exhibent, ita mens humana tenebris corporis offusa, minus splendescit. ALEX. Subtilissimè, sed quomodo parentum imaginatio nostrorum morum prauitatis causa est? I.C. Si terrificam Martis, ex. gratia, figuram coeuntes intuentur, illam in imaginitiua facultate imprimunt, mox ad eam contemplandam euocantur spiritus, qui cum deinde ad seminis informationem, & eiaculationem ab anima demandentur, receptam in ipsis Martis speciem semini infigent: semen autem fœtui, qui deinde hanc ob causam terribilis erit, & cunctis formidabilis: Sanè vehemens prægnantis imaginatio casum efficit, vt luculentè supra probauimus; addo nunc araneorum exemplum, quorum filij patrem interficiunt. ALEX. Quid hoc ad propositum? I.C. Audi. araneus qui famelicus patrem necauit, dum coibat, me-

ditatus est se patrem futurum (quippe generationem tunc peragit, quæ paternitatis est fundamentum) quare verisimile est, & de patris sui, qui ad ipsum filium relationem dicit, interfectione aliquid cogitasse: patricidij imagine in eius residente imaginatiua affecti sunt spiritus, qui cùm sint forma seminis, cónsimili peruersa specie decolorarunt: quare fœtus inde nascitur paternæ mortis desiderio affectus, atque ita per longissimam seriem araneorum patricidia continuantur. ALEX. Hæc si vera sunt, ingenio pollent aranei. I.C. Fateri id coguntur omnes, qui telas admirabili artificio ab araneis elaboratas conspiciunt: quod in nobis vocatur ratio, in brutis naturæ instinctus à nobis dicitur: quæ omnia quomodo sint intelligenda, Catholicissimè disseruimus in nostra Apologia pro Mosaica, & Christiana Religione aduersus Atheos, vbi Cardani inscitiam redarguimus in expositione diuini illius eloquij. *Estote prudentes sicut serpentes.*

ALEX. Quid educatio, & consuetudo confert ad mores? I.C. Interroga Platonis familiares, ipsi tibi respondebunt, ob assiduam cõsuetudinem contractos ipsius humeros expressisse, quemadmodum & Aristotelis amici balbutientem eius linguam imitati sunt, & Alexandri Regis asseclæ inflexam illius in alteram partem ceruicem, vocisque asperitatem repræsentabant. ALEX. Consuetudinis vies ad mores efformandos valere plurimum

Refert hæc Plut. in li. de dign. ver. ami. ab adul.

Lib. 3. in Astrol c. 26. 27. & 28.

comprobat Alexander de Angelis, numerosum adducens authorum exercitum, vt pompaticis eius vtar verbis, rationem tamen nullam, hanc igitur à te expostulo. I.C. An dicam ego cum Aristotele, animam nostram esse veluti tabulam rasam, in qua nihil sit descriptũ, quare in sui incolatus initio facilè suscipit quascunque voluerit educator rerum formas, easque ob assiduam consuetudinem tenacius retinet, & ad illarum Ideam cunctas molitur actiones. An cum Horatio ludam Methaphoris?

Hor. l. 1. Ep.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu

An Peripateticæ disciplinæ metas transiliens, asseram, amicorum actiones nostris oculis sæpenumero fieri obuias, quare illarum species phantasiæ nostræ tenaciter imprimi, quæ vbi excitatæ fuerint, ad similia opera peragenda nos impellunt: excitantur autem vel à nostris spiritibus, qui libenter eò ascendunt, tãquam simile ad simile, seù tanquam pars ad totum, nam amantis spiritus non modo rei amatæ sunt similes (sanè amor inter dissimilia non cadit), sed cum ea vnum fieri cupiunt: excitantur etiã species illæ à familiaris spiritibus, qui enim ab eo exhalãt spirit⁹, & vapores, ad nos facilè deferri possunt, qui cũ analogiã habeãt ad Ideas illas, quę domini sui repræsentant actiones, eas commouent, & menti obijciunt, hinc appetitus euenit, appetitus mouet animam.

an quemadmodum ab ægroto homine exhalant aliquando vapores, qui vicinos ſimili contagione corrumpunt,&perdunt,ita à ſceleratiſſimo familiari efficax vaporum exhalatio emanare poteſt, quæ in nos proximè adſtantes cum ingreſſa fuerit, ſpiritibus noſtris conſimilem perniciem effundet. par vtrobiq; ratio viget, nam vitiorũ origo in turbatis ſpiritibus eſt, & ſanguine, vt melancolicorum teſtantur ſcelera:quare flagitioſi hominis ſanguis,& ſpiritus tetri cùm ſint mæſti,& fuliginoſi,ſi ad nos peruenięt, ſanguinē ſpirituſque noſtros commaculabunt : vitiatis ſpiritibus animæ lumen obruitur, ſunt enim ipſius inſtrumentum ad intellectionem : obnubilata mente,varij, ijque tumultuoſi exoriũtur affectus, qui ad peſſima perpetranda facinora nos impellunt. ALEX. Perdoctè ædepol, ſed quomodo è varijs Syderum poſitionibus variantur in homine mores ? I.C. Meridiana luce clarius eſt, Cœleſtia corpora agere in hæc inferiora. ALEX. In materialia concedo, nego in ſpiritualia,quemadmodum voluntas eſt. I.C. Hìc ego non dicam,ineptiſſime ſpirituale materiali opponi,cùm ſpiritale à ſpirando dicatur, ſpiratio autem materiæ expers non ſit :nec cum Platone ſpiritum appellabo materiam calore perfuſam, ignem, vel calorem:necStoicis aſſentior,qui ſpiritum ex ſplendida,perſpicua,non aſpectabili tamen ſubſtantia conſtare prodiderunt. Multominus Ariſtoteli ſubſcribere mihi religio ſuadet,

qui ſpiritũ aliquãdo nominauit calidũ, atque naturalẽ calorẽ, & in ſpumoſo ſemine ſpiritũ contineri dixit. non medicorum veſtigia ſequar, qui ita definiunt ſpiritum, eſt ſpiritus corpus ethereum, caloris, facultatumque ſedes & vinculum, primumque obeundæ functionis inſtrumentũ. Neq; Hippocratis adhæreo ſententiæ, qui ſpiritum dixit nuncupari, quia ob materiæ tenuitatem oculorum effugit obtutum, quemadmodum & aer, & ventus ſpiritus dici conſueuerunt, quia ſub aſpectum non cadunt, etſi materia præditi ſint. His (inquam) reſponſionibus prætermiſſis, aſſero, voluntatem nihil operari niſi præuia intellectus conſultatione, nihil autem eſt in intellectu quod prius in ſenſu non fuerit, ſenſus autem Cœleſtibus corporibus eſt obnoxius. AL. At quid aëris intemperies ad vitia confert? I. C. Rudis, & impurus aer, qui intro reſpiratione ducitur, in pulmonem, cuius carnem ideò tenuem, mollem, & aëreæ qualitatis fecit natura, recipitur, illicque concoquitur, atque ita paulatim innatam ſpiritui conditionem adipiſcitur: cum autẽ elaboratus diligenter eſt ſpiritus, in ſiniſtrum cordis ventriculum corripitur, ex quo, accedente etiam ſanguinis vapore, qui ex dextro ventriculo permanauit, vi cordi inſita, eiuſque innato ſpiritu, & ingenti caloris incendio non ſecus atque in fornace ſpiritus procreatur vitalis, qui demum in omne corpus per arterias effuſus, ſalutarem impertit toti calorem: quòd ſi

attractus aër tenebricosus fuerit, consimiles erunt ex eo geniti spiritus : quinimo ex eius cõcoctione torridi fiunt vapores, qui ob crassitiem & tenacitatem haud cordis, & arteriarum pulsatione, pulmonisque expiratione statim reijci valent: quare absurdis imaginationibus mentem diuexant, & ad pessima incitãt. ALEX. At homo rationis lumine ducitur. I. C. Vt atra, densaque nubes Soli offusa, radios eius intercipit, ac lumen offuscat, sic mæsti spiritus sordidi aëris soboles, tetra fuligine cerebrum obnubilant, quare opprimitur ratio mentisque lux extinguitur, ita vt redundantis melancolici humoris ferociam coercere nequeat, hinc ille liber vagatur, & ad noxias actiones nos excitat. AL. Acutè quidem, sed quid alimentum obest morum integritati? I. C. Altius repetenda res est. Alimenti purior, magisque aerea portio concoctione in eam transit tenuiorem sanguinis partem, quæ vaporis quandam speciem exhibet: ea tum à spiritu iecori ingenito vim accipiens, eiusque vbertate perfusa, spiritus fit naturalis. Huius spiritus quantum per venam cauam vnà cum sanguine effertur, & in cor inuehitur, illic denuo caloris vi accuratius elaboratum, attenuatumque, in aëris propè speciem mutatur, atque ex dextro cordis sinu per communes, eosque arctissimos aditus, in sinistrum sinũ viam capessit, & permeat, vbi hausto per pulmones aëre temperato, materia quædam fit, cui calor, & vis concessa vitalis spiritum profert vitalem

per arterias toto corpore diffusum. Quæ portio istius per ceruicis arterias in cerebri basin refertur, tertio contextus illius admirabilis anfractu mitigata, mox in cerebri vētriculos, per contextum alium, quem choroidem Medici appellant, confertur, ille exhausto per nares, elaboratoque aere, fomentum, incrementumque recipit, & vi spiritus cerebro ingeniti, spiritus fit animalis. Tunc sic infero, si ex alimento fiunt spiritus animales, ergo & ab alimentis morum probitas, & malitia nobis accidit. Consecutio probatur, nam animales spiritus sentiētis animæ instrumenta sunt, sentiens autem intellectiuæ instrumentum est, at quodlibet agens iuxta instrumenti naturam operatur; Quare vilissimi homines, vt nautæ, aurigæ, baiuli, vectores &c. Vbique pessimi sunt, feroces, inhospitales, nullo tanguntur metu, nulla religionis reuerentia, propterea quod crassiori vtuntur cibo, qui crassum sanguinem, densos, ac turbulentos efficit spiritus, quare & incrassatam illi habent conscientiam, mentemque dēsissimis vitijs offuscatam. Crudeles sunt Tartari, quia sanguinem epotant equinum: mites sunt Britanni, quia frigida ceruisia eis potus est; si ira sanguinis accensio est, quid mirum, si frigido accedente liquore mitigatur? Alex. Imò Anglorū færocitatem historici sugillant. I.C. Gallici forsitan, sed tunc calido se excalefaciebant vino, quod ad arma furorem sumministrabat. Alex. Imo Scoti etiam Anglicanam ferociam

experti ſunt. I.C. At carnes tunc quaſi crudas in magna copia deuorabant: ſanguis ſanguinem adauget, ira verò eſt ſanguinis accenſio. Al. Imò & noſtris temporibus Anglorum nautarum barbariem Hiſpani experti referũt. I.C. Non Angli duntaxat, ſed totius orbis nautæ iracundi ſunt, & immanes, quia ſalitis veſcuntur edulijs: ſalis calore, & acrimonia bilis efferueſcit. ſed miſſas faciamus has ineptias, quæ ioci ergo in medium adduxi, nec enim conſulo flagitioſis hominibus, vt radice Pontica, alijſque medicamentis melancholicos, & bilioſos humores abſtergendos curent, ſed eos adhortor, vt Chriſti Domini Sacramenta frequentent, quæ ab vna ſola Apoſtolica Eccleſia legitimè miniſtrantur. Alex. Hæc verba animum ſtimulant meum, vt de Religione diſſeramus. I.C. Satis, imò & ſuperabunde eſt à nobis diſputatum in ſacroſancti Tridentini Concilij Commentariis, in quibus hæreticorũ conatus perfregimus. Al. In Bohemia fortè fortuito conueni quendam Anabaptiſtam, qui dicere non eſt veritus, Catholicorum, & Hæreticorum controuerſias eſſe quæſtiones de lana Caprina, nam Apoſtolico, Nyceno, Conſtantinopolitano, & D. Athanaſij ſymbolo pariter ambo ſubſcribunt. At ego dixi, quantum diſtat à veritate mendacium, tantum à Catholicis hæretici differunt. I.C. Ita eſt. ſed quia nimia diſputationis agitatione incaluimus, ac propterea caloris vi cute adaperta attenuati,

motu spiritus complures euanuerunt, merendam nobis exhibite, ô pueri. TARS. Modò Gallinæ cecinerunt, oua in lucem edidisse suspicor: parabo, si tuæ arridet dominationi. I.C. Imò perplacent, nam *robustum quid habent*, inquit Hipp. *quia generatio est animalis, & alunt, quia hoc est pulli lac.* ALEX. Vt defatigatis opitulantur, quia permagnæ sunt nutritionis, ita ijsdem obsunt, nam motu iam excalefactis calorem addunt. I.C. Comedamus igitur non modo croceos vitellos, sed & candidam, (vt ludit Martialis) quæ illos circumfluit, vndam; hanc enim frigefacere scripsit Hipp. ALEX. Ego libens biberem aquã, dummodo addito limonis succo, & zaccharo percoletur.

Hipp. de Dieta. l 2. parag. 21.

Mart. l. 23.

Hipp l 3. de morb, parag. 30.

TARS. Libẽter omnia apparabo, sed vestris non interesse disputationibus valdè displicet. ALEX. In tui gratiam ab illis supersedebimus. Quàm cupidus addiscendi hic est puer. I.C. cùm à me primis Philosophiæ sacris initiaretur, nulli iurauit in verba Magistri, sed Auerrois libros à me oblatos auidè excepit, & in eis perlegendis adeò profecit, vt balbutientium Scolasticorum ineptias confutare sit agressus. Sed ab incepto nunc supersedit opere, vt cuiusdam Moderni Astronomi, qui centum Sanctorum genituras descripsit, petulantiam reprimeret. ALEX. Quotum nunc agit annum? I.C. Decimum sextum. ALEX. Sed eccum puerum. I.C. Gratus nobis est aduentus tuus. Sed quomodo tam cito hæc parasti? TARS.

Partim igneus, partim meus calor oua hæc concoxit. Alex. Quid ais? Tars. Calidos ex imo pectore effundi afflatus, qui oua concalefecerunt. Quid miramini? modo vos asseruistis, ab Alexandri ira commoti corpore scintillas prodijsse, cur & à meo corpore, cuius cutis tenerrima est, ignei spiritus prosilire nequibunt? ab Æthere quemadmodum Alexandrina, anima mea ducit originem. Maiori hæc vos differentes audiendi desiderio inflammata est, quàm illa temerariæ vltionis. Auicenna afferebat ad hominis imaginationem Camelum cadere, & vos eius alumni vix creditis ad meam imaginationem oua concoqui potuisse. ab vniuerso meo corpore, quod humidum & sanguineum pulchra Natura efformauit, calidi emanant vapores, qui non modo oua, sed frigescentis hyberno tempore Philosophi membra excalefacere possent. I. C. Si calida sunt oua, absorbebo. Alex. An verum Tarsius asserebat? I. C. Amanti omnia calida. Nonne Pataui paruula cōtenti togula, hyberna frigore perfregimus? tantus mihi erat addiscendi ardor, Alex. Ego vero hæc rosacea fercula Zacharo condita assumam, & frigido aquæ motu irrigabo, atque ita Venus mei corporis incola suos agnoscens flosculos oblectabitur. I. C. Postquam corpus disputatione defatigatum his leuauimus oblectamentis, hilares nos ad excelsiora facinora, fata vocant. Al. Quo me fata vocant, virtus secura sequatur.

IVLII CÆSARIS VANINI NOSTRI SECVLI PHILOSOPHORUM PRINCIPIS

Liber Quartus Subtilissimus

De Religione Ethnicorum.

DIALOGVS L.

DE DEO.

ALEX.

ABsolutis atque elucidatis his omnibus, de hominis generatione, augmento, ſenſibus, & quæ ad illa pertinebant, reſtat nunc, mi Iuli, ſi ita tibi eſt animus & voluntas, vt de hominis fine, qui Deus eſt, petractemus; I.C. Negant Philoſophi

phi Deum esse hominis finem: Non est (aiũt) Deus propter hominem, hac enim ratione homo esset Deo nobilior: Sed Deus est sui ipsius finis, vt illi loquuntur, at acutè parum: Nam neque principium Deus ipse sibi, neque finis est, cùm in eo neque pars, neque motus, neque medium, neque extremum, neque ingressus, neque exitus vllus sit, neque quicquam aliud nisi hoc vnum, Ipse. Deus simplex est, nulla igitur in eo distinctio: qua de re nulla erit in eo causarum comparatio. Neque homo est, inquiũt, propter Deũ: nullius indigus Deus est. ALEX. Si hominem non creauit Deus propter se, quia nemine egebat summum illud, æternumque ens, igitur propter hominem: homo igitur Dei finis est. I.C. Cùm omne agens à fine moueatur, non potuit homo, qui nondum quicquam erat, ad sui creationem mouere Deum. ALEX. Nullum igitur ad finem homo formatus erit? I. C. Non ego cum Epicureis assero, fortuito genitum hominem, sed iuxta Theologorum placita, à Deo factum vt æternas illi delitias elargiretur. ALEX. Tot, tantísque homo repletur miserijs, vt si Christianæ Religioni, pro cuius tutela sanguinem fundere percuperem, non repugnaret, dicere auderem: si Dæmones dantur, ipsi in hominum corpora transmigrãtes, sceleris pœnas luũt. Sed diuina cum perlego eloquia, Dei erga hominem innumera beneficia agnosco, certaque spe ad æternitatem anhelo. I.C. Perpetuitatis desi-

derium cunctis inditum est animantibus, quare in sobole & fama perennitatem expetunt: at veræ æternitatis amor perpaucos allicit: ideò vix vnus est, ipséque miserrimus, qui mori desideret: nullius fidei argumentũ; ex quo colligere possumus, iuxta Seruatoris nostri promissiones, orbem collabascere, & Iudicij diem accelerare, *Verumtamen* (inquit) *filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terris?* ALEX. Cardanus verba illa sic interpretatur. *Cùm verò coniunctiones capitum celebrarentur in ascendente, & Occidente, significat & ab initio statim, & in fine sæculi obseruandam legem iustitiæ, quæ magis etiam circa finem ob* Iouis, *& Saturni coniunctionem iuxta angulum Occidentis celebratam, hoc est quod dixit, Cum venerit filius hominis, putas-ne inuenturum fidem in terra?* I.C. Forsitan fides iustitiæ opponitur? an iniustum aliquid in Christiana Religione Cardanus aduertit? profectò nihil, sic enim ille locutus est, *Naturaliter lex nostra est lex pietatis, iustitiæ, fidei, simplicitatis, charitatis, optiméque instituta:* & alibi, *Christiani Iouem iunctum habent cum Sole, illiusque diem colunt Dominicum: Sol autem significat iustitiam & veritatem: Christiana autem lex plus continet veritatis, & simpliciores reddit homines.* ALEX. Hæc postrema Cardani verba quidam infœlix Atheus, mirum in modum Amsterodami vrgebat, vt Christianorum simplicitatem ostenderet, addens, B. Paulum de Christiana Religione optimè meritum, quia non aliud in votis habebat, quam Christia-

Card in Pto. de astror. iud. l. 2. t. 54. in fine fol. 375.

Card. ibid. fol. 369.

Idem in eod. lib. t. 18.

norum animos ſimplicitate imbuere, quare Sacramentum dixit coniugium, Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem præſignificans: rogatque maritos, vt vxores diligāt ſicuti Chriſtus dilexit Eccleſiam: Hunc enim ad modum coniuges tam eximiam immaculati coniugalis thori excellentiam ſecum animo depingentes, eius Ideam menti tenaciter imprimunt, ac proinde ſpiritibus, ſpiritus ſemini, cuius ſunt forma, ſemen vt efficiens fœtui, quare Chriſtiani quodammodo naſcuntur: ea ſanè eſt imaginariæ facultatis vis, vt coeuntes vbi quid imaginantur, ſimile quiddam in fœtu moliantur, quare tot videmus infantes neuis, lentigine, verruculis, ceraſis, alijſque maculis obſignatos. I.C. Satanicæ huic calliditati occurrit Ioannes, dum in Spiritu ſancto conſtitutus intonuit, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, non qui ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed qui ex Deo nati ſunt.* Præterea credo eſſe neminem, qui dum Venerem exercet, Cœleſtia meditetur. ALEX. Imò complures (aiebat ille Atheus) nam hæc modo viget apud Chriſtianos conſuetudo, vt variæ Diuorum ad cubile appendantur imagunculæ, quas aſpiciendo coniuges, ſimilitudinem in mente reponunt, & fœtui affingunt: refert Marcus Damaſcenus apud Petram ſanctam, oppidum in Piſanis confinibus ſitum, Carolo Bohemiæ Regi & Imperatori oblatā puellam, toto corpore feræ inſtar hirſutam, & villoſam, propterea quod mater dum con-

conciperet, D. Ioannis Baptistæ imaginem, quæ ad lectulum erat, conspexit: si Patriarcha Iacobus pastor ouium, ipsarum tegmina versicolora reddenda curauit hoc artificio, quia coeuntium oculis obijciebat virgulta cortice denudata, quid mirum si coeuntes homines, Sanctorum imagines intuentes, illorum similitudinem in fœtu effingunt? sane coeuntium spiritus ea imagine affecti cùm sint, & semen quod informant, consimiliter afficient, semen autem animal quod continet. I.C. Cacodæmonis (vt dicitur) imposturæ hæ sunt, quæ profectò stomachum mihi facessunt. ALEX. Addebat ille stultus. Non præcipit Apostolus Gentibus, vt excitatis fortitudinis rationibus Veneris certamen ineant, sed vt concubitus debitum persoluant: idcircò mariti ne peccati reatum incurrant, vxoribus expostulantibus gratificantur licet inuiti, & illubentes: propterea languidè, & oscitanter incumbunt, hinc fit imbecillis spirituum ad semen concursio, ex quo stupidos nasci contingit liberos, atque inertes, & per consequens Christianæ Religioni, quæ pauperibus spiritu beatitudinem pollicetur, suscipiendæ satis idoneos. At ego negabam illi, imbecilles esse Christianorum animos, quinimo omnium fortissimos, vt gloriosa Martyrum certamina vbique testantur. Ille verò blasphæmus referebat hæc ad validam imaginatiuæ facultatem, & honoris cupedias, nec non ad humorem hippocondriacum. addebat in qua-

cunque Religione licet absurdissima, vt Turcarum, Indorum, & nostri sæculi Hæreticorum, adesse infinitum propemodum stultorum numerum, qui pro patriæ Religionis tutela vltro se tormentis obijcerint: & cum plura Indorum exempla ex historicis recitasset, Anglo-Caluinistarum meminit, qui Marianis temporibus pro Caluinismo vitam cum morte commutare non exhorruerunt. Tunc ego Dei zelo inflammatus, appellaui illum Antechristum. I.C. Quid ille? ALEX. Subrisit: cui ego, cur rides? quia fabulosæ sunt (respondit blasphema lingua) quæ de Antechristo narrationes circũferuntur: nam Paulus asserebat, iam iam Antechristi aduentum instare, cùm tamen mille & sexcenti anni iam præterierint absque vllo Antechristiani aduentus inditio. Respondebam ego, Diuum Paulum prænuntiasse de Ebione, & Cherinto, qui verè Antechristi dici potuerant, nam Christum Iesum diuinitate spoliare nitebantur: sic & omnes hæretici, à Sacrosancta Romana Ecclesia deficientes, Antechristi cognominantur. I. C. Quid ad hoc stultus? ALEX. Obmutuit paululum, deinde hæc verba protulit. ô admirabilem Christi sapientiam; tunc ego hilaris quod resipisceret: sed me fefellit opinio, nam sic obmurmurabat. Christus à Iudæis interrogatus, num lapidibus obruenda esset adultera, non abnegat, quia lex obstabat: neque affirmat, quia crudelis animi prębuisset exemplum, quod complures à sua lege auocare ia-

cilè poterat, sed respondit, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, quare nemo adulteram damnare ausus est: aliàs petierunt Scribæ, an Cæsari tributo soluendo essent obnoxij. Negare veritus est, ne læsæ Maiestatis reus diiudicaretur: affirmare noluit, quia Moisis legem euertebat: ipse autem (more nouitij Principis, qui imbecilles cùm sint ei vires, omnes veteres immunitates Regno se conseruaturum pollicetur: at cum fortior euadit, promissis stare recusat) in initio dixerat, Non veni soluere, sed adimplere legem, quam tamen funditus postea clarus nomine euertit. Respondit igitur, *cuius est hæc imago?* At illi, Cæsaris. concludit, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Sciscitantibus Phariseis, in qua potestate gentes edoceret, vndique esse angustias aduertit: si dixisset in humana, mendacij redarguebatur, non enim Hebræorum sacris erat initiatus: diuinitus sibi datam authoritatem palàm affirmare non audebat ob metum Iudæorum: igitur subtilissimè ipse petijt, in qua potestate Ioannes baptizaret: quare pari in periculo ipse constituit Phariseos: Deo tribuere Ioannis prædicationem Politica vetabat ratio: seipsos enim, qui ei reluctati erant, ilico condemnassent: neque dicere audebant, Ioannis baptismum fuisse hominis inuentiunculam, nam credulæ plebis iram sibi comparassent. Sapientissima hæc sunt Christi acta, sed quod omniũ superat admirationem, illud est de Antechristi

aduentu vaticinari, ſic enim optimè conſultum eſt Chriſtianæ legis æternitati. Tunc ego iratus dixi, quid fingis? quid ſomnias? Audi, (inquit ille) vetuſtæ legis Prophetæ cecinerunt, Meſſiam futurum virum magnum, omnibus exornatum virtutum dotibus, omni cultu, & veneratione digniſſimum; quare occaſionem præbebant compluribus fingendi ſe Meſſiam, vt illas præexcelſas nominis laudes, quæ ſomnium titillant animos, conſequerentur. At Chriſtus Prophetarum ſapientiſſimus prædixit venturum nouum legiſlatorem, ſuæ legi aduerſarium, qui erit Deo inuiſus, aſſecla dæmonum, vitiorum omnium ſentina, & orbis deſolatio: quare nemo ſe finget Antechriſtum, cum nonniſi dedecus, & infamiam inde conſequi poſſit: abſente Antechriſto, Chriſti lex perennabit. Quas execrandas blaſphemias ſic ego perſtrinxi. At ſacri Vates prædixerunt, Meſſiam contumelioſæ morti fore damnandum, quare non niſi ſtultus, vel Deus tanto vitæ diſcrimini ſe expoſuiſſet: at Chriſtus ſe expoſuit, ergo vel ſtultus, vel Deus erat: at per te non fuit ſtultus, imò ſapientiſſimus: Deus igitur. I. C. Sciтiſſimè, ſed quid ille? Alex. Reſpondit, ſapientis eſt breuiſſimos iuxta & incertiſſimos, ac laborioſiſsimos noſtræ vitæ dies contemnere pro æterni nominis gloria apud poſteros comparanda. I. C. Nugas has in libello de contemnenda gloria reiecimus; ſed objicere huic Atheo non dicam homini, ſed belluæ

poteras: nam Antechriſtus, apud Hebræos in maximo erit honore, & æſtimatione & ſanctitatis, & potentiæ, & diuinæ quodammodo cognationis. Alex. Imo & obijci, & ille miratus eſt, cur adeò ſtolidi ſint Hebræi omnes, vt nullus ex eis audeat ſe Meſsiam fingere, quod factu perfacile eſt, nam eruditus Philoſophus adimplebit quæ Daniel, alijque Hebræorum Prophetæ de Antichriſto vaticinati ſunt. I.C. Venetijs cùm eſſem, noui impuriſſimum impoſtorem Hebræum, qui ſuis perſuadebat, Meſsiam primo vere noua pluuia ſeſe demiſſurum: cum ranunculis, addebam ego. Al. Subiunxit ille ebrius, vnum duntaxat veroſimile de Antechriſto ſcriptũ adinueniri, mortem eius turpiſsimam. Hæc enim ex noua lege trophea, & ſpolia authores reportant. Eſaias ſub Manaſſe Rege ſerra diſecuit. Hieremiam populus lapidibus obruit. Amos vecte transfoſſus, Ioannes Baptiſta capite multatus, Chriſtus in cruce ſuſpenſus eſt. I. C. Oblatus eſt Chriſtus, quia ipſe voluit. Sed quid dicet ad hoc? Moiſes fuit legiſlator, non tamen publicæ morti damnatus. Alex. Sic obieci. at ille reſpondit, diſcriminis ratio ea eſt, quia Chriſtus ſemper inermis erat: omnes autem (inquit Macchiauellus) qui veritatem tueri ſine armis voluerũt, miſerè periere. At Moſes ſemper armatus incedebat, 24. mille idololatras, tanquam ſuæ legi aduerſarios, vnico congreſſu interfecit, vt omittam illud: cùm ab Ægypto Hebræi exulare

Regio mãdato cogerentur, quia ſcabie, & lepra Ægyptios infeſtabant, Moſes illorum exulum Ducem ſe fecit, multoque eius perſuaſione auro & argento ſubfurato lucrifugi abierunt, & poſt multa itineris pericula ſuperata, ad tutum locum ſeptimo die peruenere: idcircò diem illum Deo conſecrandum mandauit Moiſes, vt ſuo Imperio ſupremum Numen fauere oſtenderet plebi, quæ ſic inſtructa, in Moiſis ſeruitute facilius continebatur. I. C. Legimus hæc inſomnia in Iuſtino, & ipſiſsima mendacia eſſe in noſtra Apologia demonſtrauimus. ALEX. Ego quoque Iuſtini errores pateſeci, ita vt Atheus ille amplius non reclamaret: at Moiſen laudabat, quia viuus ſe in abiſſum deiecit, vt cum non adinueniretur, in Cœlum eleuatum populus crederet: alioquin ſi Moiſis cadauer conſpexiſſet, in Diuorum numero non retuliſſet. Negaui ego, nam aliorum Patriarcharum cineres erãt apud Hebræos, nec propterea in honore ſanctitatis eſſe deſierunt. at ille: maiorem ſuper omnes Patriarchas honorem Moiſes ambiebat, quare de ſeipſò ſic Deum locutum eſſe dicebat. Conſtitui te Deũ Pharaonis; vt igitur Deus haberetur, morti ſe nõ eſſe obnoxiũ ſuis teſtatum reliquit. Tunc ego Belgici Cœli accolas Atheos inclamabam: at ille, inquit, imo Cardanus veſter idem de Helia cenſuit, ſic enim ſcribit, *Plinius ad comparandam gloriam in Athna flammas ſponte ſe conietit, eo conſilio, vt vel latens tanquam Deus in Cœlum aſſum-*

Iuſt. l. 35.

Card. l. 2. de Sap. fol. 56.

ptus, velut de Helia ferunt, coleretur: vel vt etiam deprehensus, opinionem, imò admirationem sui ob fortitudinem hominibus relinqueret. Iul. Cæs. Quæso mittamus has nugacissimas fabellas. ALEX. Eia de Etnicorum Religione nunc aliqua. I. C. Empedocles arbitratus est, Deú esse quatuor naturas, Heraclitus, Cœlum & terram, Thales, Aquam, Anaximenes, Crotoniates Aëra, Socrates, Zenophon, Xenocrates Solem, Lunam, & Sydera. ALEX. Fabulosa hæc sunt, & miror cur tam docti viri tam indoctè de Deo senserint: finita namque cum sint hæc omnia, summum principium independens, quod Deus dicitur, esse nequeunt. Sed diuinus Plato quid censuit? I. C. Ille non est veritus asserere mundum esse Deum. ALEX. Quam ob causam vir tam diuinus adeò fœdè dilapsus est? I. C. Cum nihil agnosceret perfectum nisi Deum, & crederet mundum esse perfectissimum, coactus est eundem facere Deum ac mundum. ALEX. Mundum sane perfectum dixerim, nihil enim ei deest, alioquin primum efficiens esset in opere perpetuo imperfecto, quod nesciuerit aut nequiuerit absoluere, quod est ridiculum & impium: esset enim imperfectus ipse, neque posset opus efficere sibi dissimile, quod semper intra pensum esset. I. C. Empedocles agnouit in mundo generationem, vt interea seruetur perpetuitas: Si autem perfectus existeret, nihil in eo fieret noui, hoc enim generatio est. ALEX. Aliquid vero simile præsefert hæc Empedoclis ratio. I. C.

Ego nullam vnquam audiui absurdiorem. AL. Cur ita? I. C. Esset enim ea ratione mundus perfectus propter imperfectionem. ALEX. Quid concludis? I. C. Audi. iuxta Empedoclis opinionem mundus est imperfectus, quia in eo perpetuitas per generationem: At perpetuitas est perfectio, constans ratione æternitatis, quippe æternitas & continuū vnum idemque sunt: Generatio vero est imperfectio, constat enim ratione motus: Motus autem tametsi est perfectio mobilis, non tamen simpliciter, sed duntaxat vt mobile est, ideò motus perficitur per quietem, ALEX. Imò quies est priuatio motus. I. C. Ea ratione qua motus est priuatio quietis, & prout alterum alteri succedit. ALEX. At quomodo quies est perfectio motus? I. C. Quia eadem vis naturalis, quæ mouet ad locum suum, continet in loco suo. AL. Quid inde infers? I. C. Si quies est perfectio motus, & generatio constat ratione motus, ergo finis generationis quies est: cum eum natura finem adipiscitur, non amplius generat: omnia ante finē, imperfectio, sunt enim propter aliud: Ergo Mundus erit Empedocli perfectus propter imperfectionem, Est enim perpetuus per generationem, vt asserit: Perpetuitas autem perfectio est, generatio vero imperfectio, vt probauimus. Insuper si mundus est imperfectus propter generationem, ergo ea cessante erit perfectus, quod secus est, nam cessante generatione cessabit etiam perfectio illa perpetui-

tatis, hæc enim interruptionem tollit. Alex. At succedet (inquit Empedocles) perfectio complementi. I.C. Imò hæc erit imperfectio, Nam cessante generatione destituetur mundus. Sed ne nostris rationibus intumescant Platonici, nego illis, mundum esse perfectum, nihil enim in eo agnosco, quod aut corruptibile per se non sit, aut corruptionis principiũ in se non habeat: sane ipsemet Plato Deos ipsos suapte natura corruptibiles, conditoris autem benignitate sempiternos esse attestatur. Si aliquid in mundo perfectum dici potest, cœlum est: quam autem Cœlo tribuã perfectionem, ignoro, sanè semper mouetur vt perficiatur. Al. At quomodo Cœlum motu perficitur? I. C. Multiplici Dei imitatione. mouetur vt agat omnia quæ agi apta sunt, ita Deus omnium opifex; Cœlum non mutat locum ita vt ab eo exeat, sic Deus non mouetur, neque ex se exire potest. vt Cœlum in seipsum motu recurrit, eodem modo totus in seipso Deus. Cœli superficies nullo extimo corpore terminatur, atque ità infiniti rationem habet, similiter nec Deus vllis circumscribitur limitibus. Alex. Profectò hoc postremum fauet Platonicis. I. C. Illud igitur euertamus: Ens finitum per imaginationem terminatur à non ente, vera enim est hæc assertio. Extra illud ens finitum non est aliquid ipsius entis, vt extra Cœlum primum, determinatur enim per intellectus nostri vim, à non corpore. At Deus neque ab ente, neque à

non ente vllo modo præſcribitur, quia noſtra eſt finita comprehēſio, eſt igitur intra ipſum, qui infinitus eſt. Si ſemper intra, nunquam aliquid quod ſit extra illum, capere poterit. Ergo vere Deus infinitus , mundus non vere, non ſimpliciter, non à ſe, ſed quadam quaſi adulatione, vt ita loquar. Præterea apud ipſum Platonem, mundus genitus eſt, non igitur perfectiſſimus, eguit enim primi principij auxilio, vt eſſet id quod eſt. Alex. Sed valde miror cur mundum à Deo genitum Plato dixerit. Quicquid enim gignitur, eiuſdem vel ſpeciei , vel generis, vel eſſentiæ eſt cum eo à quo generatur. I.C. Dicam ego. Cùm ipſe Plato perlegeret quæ de Dei filio ſacri vates prædixerant, neque tres perſonas in Vnitate comprehendere valeret, ea tranſtulit ad rem ſenſu perceptibilem, mundum ſcilicet. Eſt autem Dei filius à Deo genitus , intelligens enim ſeipſum Deus generat ex ſeſe ſibi æqualem filium, propterea quod intellectio æqualis eſt intelligenti, ergo etiam res intellecta. Præterea cum vnum eundemque ſibi Deum Deus congeneret, quia generans eſt immaterialis, & infinitus , indiuiſibilis igitur, vnum igitur, non enim ex ſe poteſt exire : Hinc inter intelligentem & rem intellectam nullum cùm ſit interuallum, & illi ſunt æquales inter ſe , vna voluntas, vnus ſpiritus procedit ab vtroque, qui vtriuſque eſt etiam illis vnum. Alex. Tam acutè ratiocinaris, vt ipſos Philoſophos , qui Trinitatis myſterium, tanquam aliquid Chi-

merichum & impoſſibile irridebant, ratione conuincere poſſis. Nunquam tamen ego tuæ ſubtiliſſimè ratiocinationi fidem meam alligarem, eâ namque polles ingenij vi, vt etiam Poetarum fabulas ad rationis libellam deducere valeas. Sed in qua nam Religione verè & piè Deum coli vetuſti Philoſophi exiſtimarũt? I. C. In vnica Naturæ lege, quam ipſa Natura, quæ Deus eſt (eſt enim principium motus) in omnium Gentium animis inſcripſit: cæteras verò leges non niſi figmenta & illuſiones eſſe aſſerebant, non à Cacodemone aliquo inductas (fabuloſum namque illorum genus dicitur à Philoſophis) ſed à principibus ad ſubditorum pædagogiam excogitatas, & à ſacrificulis, ob honoris & auri aucupium, confirmatas non miraculis, ſed ſcriptura, cuius nec originale vllibi adinuenitur, quæ miracula facta recitet, & bonarum ac malarum actionum repromiſſiones polliceatur, in futura tamen vita, ne fraus detegi poſſit, quis enim (inquiunt) inde redux? atque ita ruſticana plebecula in ſeruitio coercetur, ob metum ſupremi numinis, quod omnia inſpiciat, & pænis, & præmijs cuncta compenſet æternis. quare Epicureus Lucretius cecinit, Primos in orbe Deus fecit timor. Sed miror cur Romani ſapientiæ patres tot fabuloſis addicti fuerint ſuperſtitionibus? I. C. Nihil mirum, ſola ſane plebecula, quæ facile decipitur, eam agnoſcebat Religionem. Magnates vero & Philoſophi nequaquam: illi non

pro fine Religionem habebant, sed pro medio ad finem, qui erat Imperij conseruatio & ampliatio, quæ non nisi sub aliquo religionis prætextu haberi potest: pro Republica enim morientibus præmia æterna promittebantur, vt nunc apud Turchas. Homines statuebant adorandos pro Dijs, vt & homines studerent fieri Deos strenuè pro patria belligerando: Heroes namque fortissimos in Diuorum numero referebant: sacrificijs vtebantur, vt sanguinis effusio iuuenes ad inimicorum vltionem accenderet: quemadmodum Lacedemones Deos ponebant armatos, vt iuuentus, nō genu flexa, & illachrymans (imbecillioris animi argumentum) armata Deos comprecaretur. Hi vero, Philosophos inquam, animaduertebant quidem hæc omnia esse fabellas, attamen ob metum publicæ potestatis silere cogebantur. Aristoteles cum Socratis mortem ab Atheniensi Inquitore inflictam audiret, discessit Athenis, Causam interrogatus, *ne iterum*, respondit, *Athenienses peccent in Philosophiam*. ALEX. At si falsa erat Ethnicorum religio, cur tot tantisque erat referta miraculis, prodigijs atque portentis? I.C. Lucianum interroga, ipse tibi responsum dabit, hæc omnia nihil aliud quàm sacerdotum imposturas fuisse. Ego vero ne repondendi onus subterfugere videar, ad naturales causas illa omnia reducam. ALEX. Tu vero si hæc præstiteris, illis omnibus maius miraculum facies. I.C. Tuus explorare labor, mihi respondere fas est.

DIALOGVS LI.

De Apparitionibus in aëre.

ALEX.

CVr armatos & belligerantes equites in aëre aliquando apparuisse historiarum monumenta testantur? I.C. An potius fabulosas istas irridebimus narratiunculas, à Principibus confictas, vt rusticanæ plebeculæ timorem incuterent. ALEX. At quomodo ista confingi potuere? I.C. An simplici Regum depositione de visu, vt legulei loquuntur, quemadmodum (vt à Nicolao Machiauello relata exempla subticeam) Numa Pompilius & Romulus, Deos vidisse apud Populum prædicabant, à quibus legum sanctiones accepissent: & Maximini exercitus Dux, vt se suosque milites in Aquileiensi pugnâ ob ignauiam victos atque fugatos excusaret, vociferabatur à se visum D. Apollinem pro Aquileiensibus fortissime dimicantem. An dormientes subditos Principes curarunt fascinandos? Cenechus, Scotorum Rex cum non valeret Alpini patris in bello à Pictis interfecti vltionem subiectis timore perculsis persuadere, Regni Proceres in Aula Regiâ perhumaniter excepit, & hospitio conuiuioque dignatus est: Sequenti

Sequenti nocte, cum omnia tuta silerent, Aulici quidam Regi fidelissimi ex illius mandato in hospitum cubicula ingrediuntur, baculum ex putrido ligno, quod veluti fax splendebat in tenebris, dextra tenentes, veste ex non disquamato piscino corio, quæ in noctis vmbra maxime refulgebat, circundati, habentes insuper in sinistra bouillum cornu, atque ita vociferantes, Regi parendum est, Picti daturi sunt scelerum pœnas, Scoti victores erunt, Deï nuntij nos sumus; atque ita res feliciter cessit. Namque proceres illi summo manè Regem conueniunt, eique testantur vidisse Dei Angelos, qui ipsos ad bellum aduersus Pictos exhortabantur. Rex vero pertimescens ne figmentum hoc detegeretur, idem Angelorum spectaculum sibi apparuisse confitetur, eisque interdixit, ne diuinitus monita promulgarent arcana: qua de re à conficta fabella ad bellum inflãmãtur, & victoriam ex hostibus reportarunt. De cruce autem Beati Andreæ quæ Hugoni Pictorũ Regi pro Scotis aduersus Athelotanũ Anglorũ Regem prælianti apparuit, & de vexillo D. Cuthberti quod Egdaro Scotorũ Principi aduersus Donaldum dimicanti accidit, succulentissima oratione à nobis disputatum est in libro nono de Vera Sapientia, vbi etiam & de Iacobæo, & Cõstantinianæo vexillo, poteris legere quæ scripsimus.

An verè aliquando spectra illa apparuerunt, Mathematicis tamen regulis compacta, &

Agrip. de occul. phil. l. 1. c. 6 fol. 11. Card. l. 4 de subtil. c. de luc. & lum. fol. 228.

in aerem librata, vel per specula, de quibus disserit Cornelius Agrippa, & Cardanus. Vel ascendentibus è terrâ, vel ex aquâ vaporibus, vel si quis fumo apponat imaginem rimarum plenam, recētibusque delineatam coloribus: vapores enim & fumus dum ascendunt, illius coloratæ figuræ Ideam in altum deferunt, & in crassiori aere aliquandiu permanet. Quinimo Aquila Aesopica non instruit, ipsiusmet pedibus rei alicuius leuem anectere imaginem, nam in altum deferre & populares oculos stupefactos ad se pertrahere pollicetur. An ista plausibili Lucianistis ratiocinatione neglecta, cum Arist. dicemus, spectra hæc nihil aliud esse quàm accensos in aera vapores? An ingenio nostro molestas Aristotelicæ angustiæ metas transgrediētes asseuerabimus, Castrorū acies in aëre apparuisse, quia aliqua in terræ marisve parte acies illa erat, cuius imago in aëre velut in speculo reflexa est, quare flāte Austro id facilius eueniet, tunc enim aër condensatur in tenues nubes, in quibus velut in speculo inferiorum imagines reflectantur; Hinc Apollonium Thianeum, ex eo quod cerneret ea quæ in remotissimis regionibus peragebātur, Necromantistam non dixerim: Inferiora enim hæc species suas in aërem & ad Cœlum vsque diffundunt, vnde, liceat mihi barbarè loqui & bene sentire, reiterantur ac reuerberantur in his inferioribus quemadmodum vnum speculum in alterum.

Ar in 1. Meteor.

An dicemus corpora nostra pro sua magni-

tudine emittere vaporem, qui illorum refert effigiem, quæ in denſo aëre complicata à ventis in altum eleuari poteſt, atque ita humanã imaginem oculis noſtris ſubijciet: Quapropter in Eccleſiaſticis Cimiterijs mortuorum figuræ viſæ ſunt à nonnullis (ſi vera referunt) quia à paucis diebus nec in profundo lectulo cum eſſet ſepultum cadauer, vaporem iuxta ſui menſuram emiſit: idcircò olim, quia cremabantur cadauera, & ſcitiſsimè quidem ad aeris corruptionem prohibendam; nihil tale videbatur. ALEX. At quomodo verum dicemus id, quod legimus, defunctorum animas, flammis circundatas apparuiſſe, nec non humanas edidiſſe voces? I.C. Fides ſit penes præſcripta Religionis, nam & ſacroſanctis Gregorianis apparitionibus debitus à nobis exhibetur honos; non enim Atheis aſſentior qui hæc figmenta à fraterculis ſacrificulis excogitata eſſe exiſtimant, vt à deuotis mulierculis pecuniolas corradere poſſint. Sed Cardani Philoſophi ſubtiliſſimi ſuper hac re ſententiam in medium adducere decreui. Is igitur hæc verba profert, *Refert Miſaldus quod à pluribus etiam viſum eſt, quandoque infantis effigiem ſemouentis ignes hos præbere, qui præter id quod equos terreant, etiam homines perturbant, adeo vt nonnunquam adducant in præcipitia, & fluuios & paludes, eoque præſertim, quod iuxta Cimiteria patibula templaque ſoleant videri. Quis, qui naturales cauſas non norit, non admiretur ignem hunc præcedere ſequentes ſtareque cum ſtantibus,*

Car. l. 14. de rer. var. c. 169. fol. 690.

& quacunque circumaguntur habere semper hoc ostentum ante oculos quasi equi ductorem atque hominis equo insidentis aurigam? *Contingit vt præter id dum crepitant hi ignes, pariant etiam inconditas voces quasdam atque humanis simillimas. Vnde credulis quibusdam persuasum est animas defunctorum his ignibus circumdatas expiari, atque purgari, sed non esse propria humanis corporibus hæc, indicat quod etiam in coquinis, & cloacis vbi sordes animalium occisorum expurgantur, talia videri soleant, imponunt tamen talia multis, & terrent non immerito pauidos.*

An & rectiùs dicemus, conspici spectra illa in aëre, quia diuersæ rerum species in phantasia nostra cum sint, non mirum vbi tenuis sit cutis, tenuesque spiritus, cerebrum calidum, & imaginatio valida, si aliqua illarum specierum nostris se obijcit oculis, à quibus, si visoria facultate præstent, facile conspici poterit: Quod Cardano sæpenumero contigisse ex ipsius testimonio, constat. Ita enim loquitur, *Cum volo video quæ volo, oculis non vi mentis, velut imagines illas, de quibus dixi cum infans essem, me vidisse, sed nunc credo ob occupationes, nec diu nec perfectas, nec omnino semper cum volo, nec tamen nisi velim: Mouentur autem perpetuo, quæ videntur imagines, itaque video lucos, animalia orbes, ac quæcunque cupio. Credo causam esse vim virtutis imaginatricis visusque subtilitatem.* Et paulo post, *Prima, inquit inuenta, quod & alias dixi, & cum Tiberio Cæsare commune fuit, nuper experrectus in maximis tenebris omnia*

Card. l. 8. de rer. var. c. 43. fol. 410.

Ibid. fol. 412.

lustrabam, ac si dies clara esset: sed breui tamen dies illa mihi subtrahebatur. Nunc etiam aliquid video, sed tamen non discerno. Causa est cerebri caliditas, spirituum tenuitas ac substantiæ oculi, & vis calida imaginantis virtutis. Et iterum paulò post, *Recitat Aristot. 3. Metor. cap. 4. fuisse hominem qui suam semper imaginem ante se velut in speculo videret, id, si ille non finxit ostentationis causa, & leuitate Græca, certe ob solam visus imbecillitatem accidere non potuit, sed accedente ad hanc etiam summâ anterioris cerebri caliditate, spiritusque visiui tenuitate, efflati quoque vaporis craßitie, vt sic tanquam in speculo reflecteretur.*

An & subtilius asseremus, à sola imaginatione spectra hæc efformari? Nec mirum, si namque mulier in actu Venereo, & dum prægnans est, conceptam rei alicuius imaginem fœtui imprimere valet; cur nequibimus nos vehementissimo desiderio concupitæ rei effigiem in nobis ipsis obsignare? Quapropter vapores, qui à nobis ita affectis exeunt, figurati erunt imagine illâ, quæ iam nobis infixa est: Ijdem autem vapores quam ipsi retinent speciem effingere in aere crasso valebunt: Similitudo verò illa poterit per aliquod temporis spatium subsistere, si aer sit spissior, vt post imbres, nec non moueri de vno loco ad alium, ventorum nimirum agitatione. An cum Pomponatio nostri seculi Philosophorum Principe asseremus, visiones has admirabiles confici à supernis mentibus

immaterialibus Cœlorum motricibus, homines quos ipsę fideliter custodiunt, ita instruendo, dirigendoque, vt futuros eis euentus præostendant: sane nunquam hæc apparuisse legimus apud historicos, quin cædes, vel fames, vel pestis, vel Regum, legumque subsecutę fuerint mutationes. Si enim (inquit Diuinus Præceptor in aureo opusculo de incantationibus) in somnijs Intelligentiæ aliquando nos edocent, vt comprobat Auerr. representantes sensibus nostris imagines, non modo ad extra, sed etiam intrinsecus per spiritus transmissos, cur non valebunt, & in vigilia eædem orbium temperatrices pro mortalium regimine, quod eis à prima causa demandatum est, figuras aliquas atque Idęas, in suis cœlestibus corporib⁹, quæ sicut pelles extenduntur, depingere, vt in illis futuros euentus perlegamus? si ęgroto (ait ille) Æsculapium pro valetudine deprecanti immissa est ab Intelligentijs Æsculapij imago salubrem ei herbam pręostendens, quid vetat quo minus idem ęger, intelligentiarum fauore adiutus, consimilis herbę & Æsculapij imaginem in aere conspicere possit? Contemnentur hæ nostræ subtilitates à perditissimis nebulonibus, qui sanctitatem in ore habent, otio supinitate, aut flagitiosa licentia marcentes, scientias curiositatis titulo despicantur. ALEX. At quam ob causam post Iulij Cęsaris obitum tergemini Soles apparuerunt, quod Quinto Minutio, & Q. Martio. CC. Marco Antonio L. Plāco,

Auer. in l. de diuinat. somn.

Et Claud. Princ. CC. etiam contigisse in historijs proditum est. I.C. An quia Solares radij tam crassos in aëra vapores sustulerunt, vt in ipsis tanquam in solidiori materia Solis imago recepta conseruataque fuerit: Propterea sapientissimi vates Reipublicæ imminentes calamitates scitissime & veridicè prædixerunt, nam subsecutæ illæ sunt, quia Solis lumen densâ obsessum caligine, imbecilles caloris suppetias terræ subministrat, quare fructus non maturescunt, hinc sterilitates, & pestilentiæ; Præterea varia illa, densaque vaporum copia in vastissimos imbres resoluitur, iccirco aluei intumescunt, disrumpuntur aggeres, inuia redduntur itinera & mœstæ segetes computrescunt: quare famem cædis pestilentiæque auctricem atque altricem subsequi necesse est. Alex. At quid in causa fuit, vt Carolo magno augustissimo Principe Imperante, meridie Sol defecerit, triduo postquàm Lunæ Ecclipsis facta fuisset, vt in illius vita legimus? I.C. An propter attractos à Sole vapores adeo spissos, vt visus interciperetur. Al. At quæso dic sodes, cur maximá ex parte Solis conspectus adimitur à nubibus? quæ in nocte non sunt impedimento, quominus Lunæ globus appareat. I. C. Quia Sol condensat attractione aerem; à quo donec eum discusserit, tegitur. Luna verò non attrahit, sed laxat, mediocris enim, aut etiam pusillus calor eius est, quapropter diffusus aer Lunæ speciem liberiùs admittit. Alex. At

cur videtur aliquando Solis lumen croceum? an lugubres dies in Regum obitu apud superos celebrantur? I.C. Minimè, sed ob deliquium id euenit. ALEX. Cur Solis lumen in deliquio croceum? I.C. Quia (inquit Cardanus) lumen paucum est, & ob id croceum. ALEX. At quomodo paruum esse potest Solis lumen? quid ei ablatum est? I.C. Profecto nihil: non enim ille patitur, sed priuatur oculus noster. Deinde qua ratione paruum lumen transeat in croceum, plane ignoro: non enim fulgoris detractione, sed fusci aut crassi admixtione fieri croceum conspicimus in Aurora, quæ non à tenui luce, vt Cardanus existimat; est enim tunc prope Sol, sed à vaporum crassitudine, & varietate croceum colorem adipiscitur: exalant tunc enim vapores aurei, lutei, crocei, rutili pro materiæ quisque ratione: id quod anno elapso certissimo mihi comprobatum est experimento, cum prope Niciam perditissimorum nebulonum sentinam, & indignam sane quæ inuictissimi Sabaudici Principis Imperio subijciatur Augustissimo, in agresti casula ob latronum metum pernoctarem: quo in loco per totam insomnem noctem siderum lumine vsus sum ad præcauendas insidias: in Aurora tenuis caligo oculis nostris exorta est, non alio sane modo quam vbi repentinæ Soli nubes obducuntur. Eius rei causam existimaui, quod siderum lumen, cuius vi sub eam vsque horam vsus fueram ad videndum, à Solaribus radijs

Card. l. 4. de subt. c. de luc. & lum. fol. 219.

extingueretur. Sed non arridebat mihi hæc ratiocinatio, non enim Solis lumen poterat ſiderum lumini vim facere ſine maiori poteſtate, atque ita mihi illuxiſſet: quare in eam deſcendi ſententiam, vt crederem, non in aere, ſed in oculo factam eſſe mutationem ad obſcuritatem: qui cùm ſubluſtri nocturno lumine ad viſionem vteretur, ſuperuentu maioris lucis hebeſcere cæpit: Illam tamen cauſam veriorem exiſtimaui, quod vapores eo in loco vbi nos eramus, attollebantur, quorum conſiſtentia propter pelluciditatem non apparuit, propter craſsiuſculam naturam medium effecit ad viſionem ineptius. ſed ad quęſtionem propoſitam. ALEX. Quare in Eccliṗſi Solis lumen croceum videtur? I.C. Ita dicendum puto, magnum lumen totum ſubire aerem, & ſeſe in eum inſinuare, atque in ſuam naturam fulgidam transformare. Paruum lumen vinci à partibus aeris, qui tametſi pellucidus eſt, in longiori tamen tractu ſpeciem habet denſitatis propter longinquarum partium ſubitionem in linea viſuali: Quodam igitur modo videtur coloratus, quocirca cum à paruo lumine non mutetur, vt ab eo ſplendoris aliquid recipit, ita ei adiungit, & quaſi admittit denſitatis aliquid, quo fit vt croceum videatur.

ALEX. Acutiſsimè, ſed cur poſt Cometis apparitionem è Principibus aliquis ſuo fato fungitur? I. C. An quia Cometes ſiccitate vt

plurimum concreatur, est enim vapor à calido sydere attractus & illustratus, quare regiones, quas ille peragrat, vehemēter incalescūt: siccis autem temporibus Principes moriuntur vt potè cibis odoratis, vinis præpotentibus, & curis confecti, atque vigilijs. An quia Cometes res exilis cum sit, vbi conspicitur, aërem tenuissimum esse oportet, quare æstiuali tempore quam hyemali frequentius visuntur: Aer autem tenuis vapores, ex quib⁹ fit pluuia, retinere nequit, quare succedit siccitas, & sterilitas, hinc multos emori necessum est, præcipuè principes, qui senes vt plurimum cum sint, & Veneri indulgentes, vel leuissimæ morborum causæ sunt obnoxij: Vel inter complures qui moriuntur, ipsi propter dignitatem magis conspicui sunt, & eorum interitus citiùs animaduertitur, quàm lucernarij Philosophi. An quia ob aeris tenuitatem mutantur humores in bilem, omne enim valde tenue siccum est, quare homines concitantur ad seditiones, & ad bella, quæ vel cruentam Regibus mortem inferunt, vel morbos eis minitantur ob curas & molestias, quibus è subditorum rebellione afficiuntur. An quia supremæ mētes immateriales cœlorum motrices Regum præcipuè curam gerunt: quare vt ab hostilibus insidijs caueant, per Cometem fidissimum nuntium eos admonent. An cum Lucianistis dicemus falsum assumi in propositione problematis: Sanè multi sunt à nobis Come-

tæ visi, quos nulla vnquam subsequuta est in tota Europa Regum pernities: è contra complures Principes mortui sunt absque vllo Cometes indicio. An Cometes vbi apparet terret Principes ob commune de ipsorum morte iudicium: ideòq; tristi illa cogitatione sibimetipsis mortem accersunt.

DIALOG. LII.

De Oraculis.

ALEX.

AT quid de Oraculis censes? Lapideæ Deorum statuæ responsa dabant, futura prædicebant, quæ in remotissimis terræ partibus agebantur, manifestabant, vt historicorum monumēta testantur. I. C. A Dæmone hæc omnia facta esse, pro certo habetur apud Christianos: Attamen quia nullum extat Ecclesiæ decretum, non est veritus Magister meus Pomponatius id inficiari. ALEX. Quæ illum mouet ratio? I. C. Quia responsa edebentur circa singulares actiones, quæ nullomodo Dæmoni innotescunt. ALEX. Imò cognoscit Dæmon, vt inquiunt aliqui, per suam essentiam. I. C. Minimè inquit ille, qui enim ita cognoscit, aut est causa rei cognitæ aut effectus: Sic Auerr. dixit Deum esse

cauſam omnium , quia per ſuam eſſentiam omnia intelligit. Et author de cauſis, & Albertus affirmant, inferiorem Intelligentiam intelligere ſuperiorem, quoniam effectus eſt ſuperioris. At neutrum dici poteſt de Dæmone, non enim eſt horum inferiorum effectus, vt patet: neque cauſa, creandi namque poteſtatem à Dæmone Theologi merito abdicãt. Al. Non deſunt qui Dæmonẽ per alterius eſſentiã cognoſcere aſſeuerẽt. I. C. Fictio hæc eſt & merum ſomnium. Haud enim res materialis intellectus forma eſſe poteſt. Alex. At eſſentiæ rerũ ſunt immateriales. I.C. Non ego hoc admittam , qui inter eſſe & exiſtere nullum agnoſco diſcrimen. Quis niſi mẽtis inops negaret exiſtere id quod eſt & eſſe quod exiſtit? Alex. Communis omnium opinio eſt, Dæmonem intelligere ſingularia per ſpecies , vel congenitas, vel de nouo receptas. I.C. Neutro modo. Sane non per congenitas: nam vel per ſpeciem vniuerſalem , vel per particularem indiuidua cognoſceret : vtraque concluſio falſiſſima eſt. Si per vniuerſalem , vel per ſpeciem hominis diſtincte cognoſceret ſingulos homines , quod quidem eſt impoſſibile, nam ſi ita eſſet, Dæmon infinities infinita cognoſceret: cognoſceret enim vnico intuitu vniuscuiuſque ſpeciei indiuidua omnia non ſolum præſentia, ſed & præterita & futura. Vel per ſpeciem vniuerſalem aliqua duntaxat ſingularia cognoſcet, quod non eſt veriſimile, vniuerſalis namque ſpecies æque om-

nium est repreſentatiua. ALEX. Forſitan ſpecies illa repreſentat ſingularia tãtum quæ exiſtunt. I.C. Ad hunc modum neque præterita neque futura Dæmon in ſtatua idoli prædixiſſet, niſi quis confingat Dæmones ratiocinari. Præterea vt ſic cogitatio Dæmonis de Titio non eſſet quid abſolutum, ſed reſpectiuum, quare inciperet & deſineret eſſe in illo quemadmodum incipit & deſinit eſſe in me æqualitas & ſimilitudo. Atque ita Dæmonem cognoſcere Titium, idem eſſet, ac ſi Titius fieret mihi æqualis nulla facta in me mutatione, quæ comparatio non poteſt procedere, nam per æqualitatem reale nihil additur quantitati: At intelligẽti rem aliquam aduenit aliquid; Quare concludo, à Dæmone non cognoſci ſingularia per ſpeciem vniuerſalem. ALEX. Quid ſi per ſpecies ſingulares? per ſpecies inquam vniuſcuiuſque rei quam intelligit. I.C. Nequaquam, Nam vel omnium ſingularium ſpecies habet congenitas, vel aliquorum duntaxat. Primum eſt abſurdum, nam actu infinita diſtinctè ab vno quoque Dæmone intelligerentur, quod fieri nequit. Præterea in eodẽ ſubiecto eſſent infinita eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ & abſolutæ. Addam, nullum fere ex antiquis exiſtimaſſe, ſpeciem ſingularis materialis eſſe in noſtro intellectu, quanto minus in ipſis Intelligentijs. Secundum eſt ridiculum, non ſolum quia (vt dixi) ſpecies ſingularis repreſentata eſſet in intellectu immaterialium, ſed quia nulla veriſimilis ſubeſt ratio, cur hu-

ius potiùs quam alius species sit in Dæmone. Alex. Esto Dæmonem non cognoscere singularia per species cōgenitas, quid vetat asserere per species de nouo receptas? I.C. Vel istæ species in intellectu Dæmonū producuntur ab ipsis Dæmonibus, aut ab alijs agētibus: non ab ipsis, quoniam generarentur per cognitionem præcedentem, atque ita discerendi facultas concedenda esset Dæmonibus: at reclamāt ij qui materiæ expertes Dæmones prędicāt: Materialia autem instrumenta ad ratiocinandum requiruntur. Neque ab alijs, sanè non à materialibus: Nec enim agunt in spiritualia, cui ordini Dæmones adscribuntur: neque à spiritualibus, hi enim nequeunt rei alicuius speciem effingere, & incorporeo subiecto imprimere. Alex. Quid igitur concludendum est? I. C. Pomponatius concludit, Dæmones non poterant oraculorum responsa edere, nisi singulares res intellexissēt, at hoc præstare nequibant, nec illa igitur. Alex. Si Dæmones miracula illa non operabātur, quis igitur illorum author? I. C. Intelligentia forsitan, inquit Pomponatius, quæ mouet orbem. Alex. Quid ais? I. C. Locupletissimè in Amphitheat. aduersus Athæos probauimus, curare Deum hęc inferiora, & præcipuè hominem, quem omnium finem Philosophus esse asseruit: Verum quia Deus non agit in his sublunaribus nisi mediante Cœlorum instrumento, immutaretur enim, si immediate age-

ret, vt inquit Philosophus, mutatio namque effectus infert nouitatem causæ à qua dependet; sunt enim correlatiua: iccirco per cælestia corpora, vbi hominibus, maximè Principibus, ad quorum exemplum orbis componitur, pericula imminent, responsa dat & in somnis, & in oraculis, & in brutis, vt illos commonefaciat: cum pulsus esset à Regno Tarquinius, canis humanas edidit voces, serpēs adlatrauit. antequam Augustus crearetur Imperator, bos in Romæ suburbijs sic colonum est allocutus. Quid me stimulis vrges, non frumenta, sed homines cito deficiēt. C. Volumnio, & Seruio Sulpitio Conss. Bos humanū sermonem protulit. apud Homerum equus, cui nomen erat Xantus, testatus est, Patroclum non ignauia sed fato occubuisse. Marco Lepido, & Q. Catulo Conss. in villa Galeni Romano idiomate Gallus locutus est: ante Cæsaris obitum (vt C. Epidius inquit) etiam arbores locutæ sunt, quæ omnia opera non nisi intelligentiæ adscribi possunt. Intelligentia igitur Cœli motrix, quæ propriè in loco non est, vt inquit Ar. fuit & in Idoli statua, & sicut Tibicen per Tubam edit sonum: ita intelligentia per os Idoli vocem edere potuit, & futura prædicere. Si namque à syderibus vis indita est Sylenitæ & Ar. 6. phys. Quiritiæ Lapidibus, vt futurorum prædictionem conferre possint, vt inquit Albertus, cur ipsamet intelligentia cum suo Cœlesti corpore idem in Idoli statua operari nequibit? si pó-

tuit id Dæmon efficere secundum aliorũ opinionem, cur non & intelligentia? sanè plus virtutis non est in Dæmone, quàm in intelligentia, ad hoc scilicet, vt in oraculo esse possit illudque mouere. ALEX.. Subtilia audio, sed quæ meum non expleant animum. Quomodo intelligentiæ curent hæc inferiora percipere nequeo, cum hæc non intelligant. I.C. Hoc pernego, ALEX. At resistunt à te adductæ rationes aduersus Dæmonum cognitionẽ. I. C. Nequaquam, Intelligunt enim in seipsis intelligentiæ hæc inferiora, quoniam ipsorum causæ sunt: Sane Deus medio instrumento Cœlorum, quorum Duces sunt intelligentiæ, nostratia produxit, non enim licebat purũ ab impuro tangi: Quare vt artifex non nisi per cognitionem producit opus, ita intelligentiæ Cœlorum motrices per cognitionem hæc nostratia architectatæ sunt. ideò diuinus Auerrois immaterialium scientiam à nostra differre asserit, quoniam illorum scientia res operatur, nostra vero à rebus efficitur: Est igitur in intelligentijs nostri cognitio, & cura igitur, quæ eis à prima causa demandata est. ALEX. At mihi nunc maior exoritur dubitatio. Nam si à cœlestibus corporibus id factitatum est, cur non vbique & semper? eadem nunc sunt cælestia corpora quæ tunc fuerant, cur non igitur effectus idem, si causa eadem viget? I.C. Plutarchus multis verbis hanc dissoluit quæstionem in libro cur oracula esse desierũt,

vaticinandi

vaticinandi enim vim adſcribit Sybillæ & oraculo: Sybillæ, quia à ſeipſa diſpoſita erat ad vaticinationẽ, idque propter ſpirituũ agitationem in corpore, qui varias rerum imagines repræſentant: Oraculo, quia eo loci exhalabant vapores, qui vatis mentem impellebant ad fata canẽda, quemadmodum & vini vapores ad cantandum nos excitant: cùm igitur deſierunt hi vapores, & oracula ceſſare ceperunt. ALEX. Hanc opinionem in tuo Amphitheatro optime confutaſti. Sed ſcire aueo quid Ariſtoteles reſponderet.? I.C. Forſitan ita: omne progenitũ in vnaquaque ſpecie, incrementum ſuſcipit, ſtatos habet dies, & tandem abit in corruptionem, quam cum noua generatio conſequatur, neceſſe eſt præcedere diſpoſitiones, atque illius diſpoſitionibus eſſe contrarias: niſi enim diſpoſitiones generationis ſuperarent diſpoſitiones corruptionis, non fieret generatio, cum nihil generetur, niſi adæquatę adſint in materia diſpoſitiones, quemadmodum nihil corrumpitur, niſi & corrumpantur diſpoſitiones ſubiecti conſeruatrices: Quæ regula non modo vera eſt in particularibus hominibus, ſed in Vrbibus, Regnis, & Religionibus, vt innuere videtur Ariſtoteles & probatur non ſolum ratione hac vulgari & trita: Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcũt, ſed quotidianis experimentis, vt hiſtoricos per legens videbit cuiuſque Dominij & Religionis principium & finem, qui non ſenſu tam aperte percipitur, vt in plantis, quia vt nobi-

liora sunt indiuidua, ita magis subsistunt; quare sic Plato scripsit. *Verum cum omne quod genitum est corruptioni sit obnoxium, talis etiam constitutio semper manere non poterit sed soluetur. Solutio vero hæc est non solum circa plantas, sed terrena etiam animalia; fertilitas, & sterilitas animæ corporumque contingit, quando reuolutiones singulis circulorum coniunxerint ambitus, his quidem quæ breuioris sunt æui, ambitus breuiores, contrarijs contrarios. Illi verò quos ad Ciuitatis gubernationem educauistis, quamuis sapientes fuerint, nihilo magis vestri generis, vel fœcundam vel sterilem generationem, ratione vnâ cum sensu assequantur, sed latebit eos oportunitas generandi, & plerumque cũ oportunum fuerit gignendis filijs operam dabunt. Est autem ei quod diuinitus generandum est, circuitus, quem numerus continet perfectus.* Ex his licebit cõcludere, & oracula incepisse & desijsse; quẽadmodum omne indiuiduum generabile, & corruptibile: verum quia corruptionem insequitur generatio, quæ ad illam contrarias habet dispositiones, ideo ad vnius legis cessationem alia succedit lex contraria penitus. Quid in Gentili lege Iouis nomine illustrius, & sanctiùs? Quale nunc nomen vile magis & execrandum? Cùm igitur Ethnicorum Religionis senectus accessit, & corruptio instabat, primò corrumpi debebant illius legis dispositiones: hæ autem erant oracula, quæ propterea desierunt, atque illico in eius locum alia subrogata est legis forma vetustæ è diametro opposita: Verum quia haud facile homi-

nes de vna Religione ad aliam pertranseunt, ideò in nouæ legis aduentu admiranda opera fiunt: Sanè nulla est lex quæ sui ortus miracula non deprædicet; Quare à cœlestibus corporibus vnus è sanctis animalibus homo eligitur, cui confertur potestas admirabilia operãdi, & maximè curandi languores: nam quæ in herbis, lapidibus, & animalibus omnibus præcipuæ virtutes consperſæ sunt, quasi in vnum colligunt, & vni tribuunt, vt alter Deus habeatur: idcirco vbi nouæ legis initijs quis resistere audet, statim ab intelligentijs terretur in somnis & in vigilijs tetris apparitionibus, atque ita cœlestia corpora pro mortalium beneficio Religiones ædificant; Quapropter cũ Cœlorũ influxus cessabit, lex labefactari tunc incipiet donec in nihilum redigatur, *Nec enim nos latere debet*, inquit Albertus, *quod sicut virtutes naturales perdurant in quodam tempore, & non vltra; ita est etiam de virtutibus imaginum, non enim influit aliqua virtus de Cælo, nisi in quodam tempore periodi, sicut diximus in fine perigeneos, & postea cassa & inutilis remanet imago frigida & mortua. Et hæc est causa quare quædam imagines non operantur hoc tempore quod fecerunt tempore antiquo* : ideò distinguntur in Astronomia diuersi anni imaginum cœli, & Planetarum, & quarundam Stellarum dicuntur esse anni maiores, medij, & minores, in quibus explicant suos effectus, vel fortiores, vel imbecilliores, vel mediocres. Et Cardanus cõplurium legislatorum genituras descripsit, in qui-

bus persuadere nititur, Religiones opus esse Stellarum. Addatur & alia ratio secundum Philosophos, nam iuxta eorum opinionem maximè Platonis & Aristotelis, mundus est æternus, neque infinita secundum speciem esse possunt, neq; vnquam fuerunt, nec erunt, quoniam ex his corruptibilibus nihil secundum indiuiduum potest perennari. Ea de causa qui nunc sunt in vsu ritus, centies millies fuerunt, totiesque renascentur, quoties ceciderunt, nihilque est quod simile non fuerit, & cui simile non erit aliquando: denique nihil est, aut erit, quod non fuit, nihil fuit quod non erit; Qua de re cùm continua, & æterna sit talis vicissitudo, habet causam æternam: in nullam autem aliam causam reduci potest, nisi in cælestia corpora, Deum & Intelligentias, ergo à corporibus cœlestibus, quibus ex Dei mandato intelligentiæ præsunt, leges originem ducunt, incrementa, & interitū: Plutarchus sic scribit. *Non est fortasse mirandum per infinitum tempus alibi aliter fortuna influente res humanas in eundem casum sæpius deferri. Siue enim quod subiacentium rerum multitudo terminata non est abundantem & facilem habet fortuna ad similitudines edendas materiam, siue quod ex quibusdam terminatis numeris series rerum connexa existit: ita enim necessarium est ex earum discursu & circumuolutione sæpe eadem euenire & emergere in lucem quæ euenerant* Ad maiorem huius rei probationem, si quis & antiquas & recentes historias attentè perlegat, agnoscet cor-

pora cœleſtia de Regibus,de Regnis, de Ciuitatibus, &, vt vno verbo omnia comprehendã, de magnis rebus nimis eſſe ſollicita : quare vbi illis immutatio imminet, imò vbi remotiſſima eſt,in Cœlo,in Elementis,in plantis,in brutis, & in hominibus diuerſa nobis ſigna & prodigia obijciunt. A Capys tempore vſque ad Iulij Cæſaris imperium mille fere anni effluxerunt: In Capys tamen ſepulchro reperta eſt tabula ænea, in qua ſcriptum erat, Iul. Cæſ. In Senatu fore interficiendum: huic mirabili quidem exemplo poſſem multa etiam ſubtexere admiranda magis, ni hiſtoriam ordiri viderer. Hoc vnum aſſeram, Reges à Deo conſtitui, Regibus cœleſtia corpora opitulari. Cogitet aliquis,quâ hominis induſtriâ Romulus ex paſtore ad ſceptrum tam citò peruenerit? Quo hominum artificio Roma tam breui tempore mundi caput facta fuerit, opptimè conſiderans,manifeſtò videbit Deorum procuratione accidiſſe: Quid dicemus de Cyro? de Hyerone? de Habide? poſtquam Iuſtinum legerimus?ego ſanè obſtupeſco. quapropter cum Deus & corpora cœleſtia maiorem de legibus & Religionibus, quam de Regibus,& eorum Regnis ſollicitudinem habeant, ſunt enim diuturniores& nobiliores, non mirum ſi pro mortalium beneficio(nullum autem Religione præſtantius, Hæc enim & ſi falſa ſit,dunmodo vera credatur, animorum ferociam domat, libidines coercet, ſubditos Principi obſequentes efficit) ab ipſis corpori

bus cœlestibus constituantur legislatores, & diuinæ voluntatis prænuntij, qui Dei filij merito nūcupari possunt. vniuersi ordinem, Cœlestium corporum potentiam, Deique prouidentiā contēplāti animo, si oculis non potest, ista nec dissona neque naturę ordini repugnātia videbūtur. Rimetur aliquis rerū diuersitatem, in mineris, in plantis, in brutis, & in hominibus aliquid boni, aliquid verò mali adinueniet: Regna quoque ipsa ex optimis institutis ad pessima declinant, modò vnam, modò aliam legem aliàs turpissimam, nunc sacratissimam deuenerātur: has enim vicissitudines vniuersi perfectio expostulat. Quælibet Religio in sui ortu & interitu, non in medio miracula ostētat, cuius rei ratio illa est: quia in longissimis temporis interuallis potentissimæ intercedunt Planetarum coniunctiones, quo tempore nouam Religionē institui ac proinde cessare veterē clarissimis experimētis Astronomi comprobant. & ego validissima ratione: Ea est, quia ex magnis siderum coniunctionibus inferiora hæc summam cum nanciscantur potestatem, admiranda opera proferunt. Insuper hominum voluntates tunc immutantur: phantasia, qua intellectus voluntatis consiliarius vtitur, cælo subiicitur: Quare vir sapiens sacros æterni nominis honores appetens cum hæc futura præuidet, Prophetam à Deo missum se prædicat: quæque necessaria cœlestium corporum vi miracula fiunt, confictæ sui ipsius omnipotētiæ adscribit, atque ita de-

Iusa plebecula illum admiratur & adorat:sanè ea miracula vocitãtur, quæ post lõgissimas cœlorũ cicuitiones accedũt, non quæ naturæ vires exuperãt. Sic igitur ad quæstionẽ propositã responderi potest: desierunt oracula quia incæperunt: Nam iuxta præcedentes suppositiones, quicquid incipit, desinit. Desinere autem non potest, nisi dispositiones contrariæ aduenian, veluti non corrumpitur sanguis menstruus, nisi introducantur dispositiones hominis formatrices, quæ prioribus aduersantur: sic post oracula aduenit lex illis opposita; apud posteros oraculorũ lex etiã vigebit: ita sãguis mẽstruus corrũpitur & generatur homo, sub cuius forma ille delitescit, & tandem vegetiori spiritu, ac vita imbutus, palam se prodit. est tempus infinitum ratione motus, quem subministrare numquam deerit æternus motor: at infinita secũdum speciem esse non possunt, igitur quæ interierunt, à cœlorum circũctionibus postliminio in vitam reuocabuntur secundum speciem, non secundum indiuiduum, vt Plato somniauit. Subtilissimæ Philosophiæ nostræ rudimenta pariunt hæc præclara facinora: at in Christianæ fidei obsequiũ ea libens detestor, imò tacite detestatus sum, antequã ioci ergo excogitassem Alex. Quid igitur de Oraculis censes? I. C. Sacerdotum imposturas fuisse. Alex. At quomodo fraus non detegebatur? I. C. Ob publicæ potestatis formidinẽ allatrare Philosopi non audebãt. Gra-

tias tamẽ Luciano debem⁹, qui illorũ Nebulonũ figmẽta posteris patefecit. ALEX. Quæso aliqua ex eius libris enarra. I.C. Luciani opera in meo Musæo sunt, ad te deferenda curabo, tuque metipse solus pellegere poteris. AL. Gratias tibi ago ingentes.

DIALOG. LIII.

De Sybillis.

ALEX.

Finita oraculorum disquisitione, Videamus, quomodo Sybillæ, futuros rerum euentus prædicebant? I.C. An è corporum cœlestium, quibus tanquam instrumentis ad mundi regimen Deus vtitur, inspectione, atque contemplatione? Ita quidem Aruspex Spuria admonuit Caium Cæsarem, vt caueret periculum, quod non vltra Idus Martias proferreretur. Iulius Marathus antequam nasceretur Augustus Cæsar ita vaticinatus est: natura citò pariet Regem populo Romano. Sic Publius Nigidius accepta eiusdem Augusti genesi, orbis Dominum natum esse affirmauit. Sic etiam Scribonius Tiberio Regna prædixit. Sic idem Mathematicus eidem Tiberio denũtiauit Galbam aliquando imperaturum, cum tamen Galba ex Æneadum familia non esset. Eadem ratione Seleucus Astronomus Othoni Cæsari, superstite Nerone, promisit Imperium. Sic Ga-

nethliaci cognitâ Vitellij Natiuitate, infælicissimum eius exitum antenuntiarunt. Iosephus fama magnus apud Hæbreos vespasianũ dixit Romæ imperaturum. Sic denique, & non aliunde Ascletarion Mathematicus suam & Domitiani Cæsaris necem auguratus est. Infinitos prope alios ex Plutarcho, Liuio, Iustino, Valerio Maximo, & alijs grauissimis authoribus in medium adducere possem, quos silentio prætereo. An ipsimet vates & sybillæ sub ea natæ erant constellatione, quæ confert facultutem Vaticinandi. Alex. Quid fingis? I. C. Experimentis & ratione probabo. Alex. Quis hæc vnquam expertus est? I. C. In Saguntinorum excidio per Annibalem facto, puer vix natus futura prædixit. Hali habẽragel ex syderibus, veneris scilicet, Iouis martisque coniunctione, in octauo libræ gradu, vna cum Mercurio, qui solus in tali gradu fines habebat, nuntiauit natum esse puerũ qui cœlesti circũfultus fauore futura nũciaret. boues aliquando & alia animalia insequentia antenuntiasse in vita Marcelli Plut. refert. Alex. Quomodo Ratione id suades? I. C. cũ Deus Cœlorũ motricibus intelligẽtijs mũdi gubernacula demandarit, vt alibi probauimus, illarum est hæc inferiora curare, maxime hominem, ad quem tanquam ad finem omnia adeo ordinata dixit Philosophus. Ex hominibus autem præcipue Reges curant, & Principes, ad ipsorum namque exemplum regitur orbis. Hinc Iacobus faber Stapulensis asserit, in Ægipto

tias tamẽ Luciano debem⁹, qui illorũ Nebulonũ figmẽta posteris patefecit. ALEX. Quæso aliqua ex eius libris enarra. I.C. Luciani opera in meo Musæo sunt, ad te deferenda curabo, tuque metipse solus pellegere poteris. AL. Gratias tibi ago ingentes.

DIALOG. LIII.

De Sybillis.

ALEX.

F Inita oraculorum disquisitione, Videamus, quomodo Sybillæ, futuros rerum euentus prædicebant? I.C. An è corporum cœlestium, quibus tanquam instrumentis ad mundi regimen Deus vtitur, inspectione, atque contemplatione? Ita quidem Aruspex Spuria admonuit Caium Cæsarem, vt caueret periculum, quod non vltra Idus Martias proferreretur. Iulius Marathus antequam nasceretur Augustus Cæsar ita vaticinatus est: natura citò pariet Regem populo Romano. Sic Publius Nigidius accepta eiusdem Augusti genesi, orbis Dominum natum esse affirmauit. Sic etiam Scribonius Tiberio Regna prædixit. Sic idem Mathematicus eidem Tiberio denũtiauit Galbam aliquando imperaturum, cum tamen Galba ex Æneadum familia non esset. Eadem ratione Seleucus Astronomus Othoni Cæsari, superstite Nerone, promisit Imperium. Sic Ge-

nethliaci cognitâ Vitellij Natiuitate, infælicissimum eius exitum antenuntiarunt. Iosephus fama magnus apud Hæbreos vespasianũ dixit Romæ imperaturum. Sic denique, & non aliunde Ascletarion Mathematicus suam & Domitiani Cæsaris necem auguratus est. Infinitos prope alios ex Plutarcho, Liuio, Iustino, Valerio Maximo, & alijs grauissimis authoribus in medium adducere possem, quos silentio prætereo. An ipsimet vates & sybillæ sub ea natæ erant constellatione, quæ confert facultutem Vaticinandi. Alex. Quid fingis? I.C. Experimentis & ratione probabo. Alex. Quis hæc vnquam expertus est? I.C. In Saguntinorum excidio per Annibalem facto, puer vix natus futura prædixit. Hali habẽragel ex syderibus, veneris scilicet, Iouis martisque coniunctione, in octauo libræ gradu, vna cum Mercurio, qui solus in tali gradu fines habebat, nuntiauit natum esse puerũ qui cœlesti circũfultus fauore futura nũciaret. boues aliquando & alia animalia insequentia antenuntiasse in vita Marcelli Plut. refert. Alex. Quomodo Ratione id suades? I.C. cũ Deus Cœlorũ motricibus intelligẽtijs mũdi gubernacula demandarit, vt alibi probauimus, illarum est hæc inferiora curare, maxime hominem, ad quem tanquam ad finem omnia adeo ordinata dixit Philosophus. Ex hominibus autem præcipue Reges curant, & Principes, ad ipsorum namque exemplum regitur orbis. Hinc Iacobus faber Stapulensis asserit, in Ægipto

appropinquãte ortu vel interitu Regum, fere semper prodigia apparuisse: Quare apud Catholicos etiam hæc viget opinio, Principibus duos datos esse custodes Angelos; itaque eos commonefacere debent de futuris euentibus: Cumque dicat Philosophus hominem præ cæteris animalibus plures habere operationes, atque ideo multis indigere: nam ipsemet Aristot. & Plat. in Politicis asserunt, diuersas secundum speciem operationes melius à diuersis artificibus, quam ab vno solo perfici, ideò operæ precium erat, vt nonnullis præclarissimis viris eam conferrent potestatem qua futuros rerum euentus Reipublicæ denunciarent: hoc autem cœlestibus corporibus factu facillimum est: si enim illa herbis, & lapidibus quibusdam futura præsentiendi facultatem impertiunt, vt ex grauissimorum virorum testimonio & experimento Albertus comprobat, quanto facilius homini qui cum sit medium inter æterna & corruptibilia, aptior est ad similes cœlestes impressiones excipiendas. Confirmatur: Nam Plato in Menone ait, Poëtas nasci, cuius rei signum est, quoniam multoties quæ dicunt ignorant. Idem in Phædro asserit, vates, sybillas & Augures à furore duci, mente commotos, & ecstasi correptos appellans. In Ione, poesim dicit rem sacram esse, Dei nuntios Poëtas appellat, & nõnisi Deo plenos canere asserit. AL. Vera hæc sunt, nam & Ouidius scripsit.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo
Sedibus Aethereis spiritus ille venit,

Non tamen digna vt à Platone recitentur, quì à Republica Poëtas expellendos consulit. Sed quæso illud nos contemplemur, quomodo Cœlestia corpora possunt vates instruere? I.C. An vatis phantasmata cōmouendo, futurarũ rerũ species in eius intellectù effingẽt? Quid miraris? si Sol dat muris formã in fimeto, quantò faciliùs futuri euentus speciem in vatis fantasia? sanè materialis cũ sit, æque Cœlo subijcitur ac sterquilinium. Si traditum est apud historicos, in somnis futura reuelata compluribus, quod non nisi ad Cœlorum motrices Dei ministras referri potest: cur in vigilia idem in vate efficere nō valebunt? An vate vtetur intelligentia tanquam instrumento, & quemadmodũ tubicẽ per Tubam editũ sonũ, sic intelligẽtia per os vatis: quare multa canũt aliquādo, quæ nec ipsi intelligunt, veluti Psittaci: Sanè intelligentia neque est corpus, neque virtus in corpore vt octauo Phisicorum dicitur: Quare propriè neque est in loco, neque in subiecto: quid igitur prohibet ipsam intelligentiam vati assistere? Præterea quid amplius habet Angelus, vel Dæmon in vate mouendo, quàm intelligentia? Certè hi qui aliter de intelligẽtijs & cœlestibus corporibus loquuntur, videntur eas existimare esse viros vel fœminas, quæ loco determinentur, & multa simul exercere nequeant, cum tamen in vno Solis corpore omnia opera lustret Solis

Intelligentia. An vates ijs abundant humoribus qui conferunt ad vaticinandum ? Qua de causa Aristot. Philosophorum Deus arbitratus est omnes vates esse melãcholicos; At hæc facultas non ab ipso vate ad actum deducitur, sed à cœlesti sidere : quapropter Sybilla non semper responsa dabat, sed cum melancholia se disponebat ad diuinos afflatus recipiendos: Sunt enim actiones in patiente bene disposito, & cum cœlestia corpora benigne aspiciebant vatem, ea tunc plena Deo dicebatur, quare Poëta Princeps de Cumæa sybilla ita loquitur.

--Non vultus, non color vnus,
Non compta mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propinquiore Dei.

Et paulo post.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore poßit
Excußisse Deum: tantò magis ille fatigat
Os rabidum fera corda Domans, fingitque premendo.

Alioquin Sybillæ non vaticinabantur, aut non vera proferebãt, id quod ex ipsarum indispositione, & ex diuersitate situs Cœlestium corporum proueniebat, non ex ira Deorum, vt plebecula existimabat. Quod si hæc tibi fortassis non arridet opinio, Cardani adducam sententiam. Is censuit, vnam in omnibus animantibus esse animam, quæ pro materiæ dis-

positione plus & minus alicui se communicat, atque exinde varios scientiæ vel ignorantiæ ordines animalia sortiuntur. *Cur prophetæ, inquit ille, & qui de futuris apertè verißima doceant, qualis admirabilis fuit Esaias? Mens ipsa cum nullo modo corpori immiscetur, belluas facit: cum mediocriter, homines: cū autem copiosus effunditur spiritus, non repugnante vi corporeâ, propheta euadit. Propterea nemo prophephata eruditus est, quoniam mens illa pura, Doctrinâ non indiget, nec in omnibus regionibus Prophetæ apparent, Nam iuxta polos impoßibile est vt nascantur, corpus enim eorum qui illic habitāt, densum est, ideoq; repugnat tātæ mētis sinceritati, at verò imbelle, & tenue corpus factū esse homini ob excellentiam animæ, declarat Plato in Timæo dicēs. Potuerat Deus solidū hominis corpus concinnare, vt nocumēto forinsecus occursanti minus foret obnoxiū; sed mollius efficere præoptauit, quo esset contēplationi paratius, Ergo in Palestina tantum floruere prophetæ. Ea enim regio perquam temperata est, atque omnium cæli regionum amænißima. Hi vero tales nec timidi sunt nec iracundi, affectus enim hi necessario corporis validioris sunt, vnde & iracundos longiùs æuum protrahere videmus. Sed & hi in cibo moderati sunt, namque victus plenior corpus obesum reddit, plures autē illorum propter id etiam in desertis locis habitarunt, ob id etiam expertes sunt veneris, ea enim corpus & mentem concutit. Declaratum est autem tales ab omni mentis concußione vacare opertere: progenitores vero non impios illorum esse necesse est. Talibus enim praui humores insunt, vnde tam sinceri vasculi ge-*

Cardan. de anim. immortal. fol. 297.

neratio impeditur: Mentem autem illam, quæ sic mouet palam est ex vniuersalium cognitione, non singularium procedere, quibus postmodum simul iunctis, efficitur singularis cuiusdam notitia, cui hæc omnia insunt, vnde accidit, vt non nisi post euentum, oraculum illorum intelligatur, tunc vero ad vnguem omnia expleta cernere fas est. Velut enim in somnijs dictum iam est ex Auerr. sententiâ generales apparent futurorum conationes, quibus ad singularium coniecturam peruenimus, sic vigilantibus in Prophetis: fortius enim mētem mens communis mouet, quàm per somnum cælum imaginationem, præsertim cum corpus vt dixi paratum habeat: plurimos autem imo populos ab his moueri necessariū est, quia mens communis multorum commouet mentem, ob id assentiuntur plebei maxime homines, necesse est enim vt pars toti, & productum producenti pareat, vt lumen Soli, aut lux ipsa. Propterea nec cur illis pareant satis nouerunt, sed naturali impetu ad hæc mouentur. Ergo tantum à bellua homo quantum ab homine Propheta distat: hic autem quasi medius est inter separatam mentem, & hominem. Mens separata vniuersalis mentis, & prophetæ, rursus medium est, media etiam mens illa communis, inter vltimā cælestium intelligentiam & singularem. Auicenna verò arbitratur quod talis vis habeat virtutem admirabiles res agendi, vt ob hoc à populari consensu omnium aliquid maius cæteris hominibus obtinere credatur: ostendunt autem dicta prophetarum in Vniuersali mentem illam nostrum originem singularia sub generali modo intelligere, atque hoc idem animus noster habet postquam fuerit separatus. Cur autem

multis contingat vt mortem amicorum aut affinium absentium sentiant? hoc ideo euenit quia lux illa vtrisque coniuncta est. Propterea non nisi in coniunctissimis animis accidit, tum maximè in matre ac filijs & fratribus si nobis valde chari sint: atque ideo illis contingit, quod Cristallo si solis radijs exponatur, namque dum amouetur Cristallus, motum quendam efficere videtur in radijs etsi non faciat: hora igitur illa cum lucem corpus relinquit, si proxima valde sensibilis fuerit, & corporeis vinculis explicata, sentiet mutationem illam, quæ cum leuißima sit facilius per somnum percipitur: nam & reliqua leuia, ut etiam exigui dolores in somno grauißima esse videntur, quoniam virtus animæ omnibus exterroribus explicata negotijs, totam sentit alterationem, non igitur omnibus, sed multis hoc contingit atque etiam ob hoc non nisi ipso temporis momento, quo obeunt, sic autem commota mens simulachrum ex imaginatione suscitat vel videntis, aut audiendis vocem, aut in somno etiam speciem eius, qui moritur videre se existimantis: ob id igitur in magnis cladibus sic multos affici necesse est, vnde concursus & diuinatio. Cur autem hoc hic magis quàm alibi contingat, in præcedenti dubitatione ostēsum est. Palam etiam fit non omnes eiusdem loci accolas hoc præsentire, non enim omnes mentem habent à corpore sic liberam, nec omnes propinquos: quare non ex cœlo hæ præstigiæ fieri possunt, vereque esse, nam omnes eas sentirent, videtur autem communis illa mens, ac nobis coniuncta, huic causæ non parum conferre. Ex his non obscurum est, Cur maxime per somnum diuinemus. Nam vt diximus, mens minus,

à corporis sensibilibus functionibus detinetur. Ergo si mens valida fuerit, corpus autem inane & languidum, animus optimè expolitus, sensus interiores puri: tunc maximè etiam simulachra ipsarum rerum intueri potest, Nam mens quæ nos illuminat, aut singularia agnoscit, id quod Auicenna fatetur, aut omnibus uniuersalibus cognitis, hoc ipsum singulare agnoscere, quanquam nequeat ostendere, tamen potest. Ex quo etiam maximè apertũ est, Cur morituri magis discessum suum præuideant, quàm cæteri? Nam tunc iam intellectus separari incipit à corpore, atque à residuo animæ, ideoque anima & corpus hanc sentiunt separationem, non vt aliquam rem, sed vt oculus tenebras, ac cæcitatem, aut vt quercus robur ad quod radices dirigit: ipsa etiam mens principio suo hærere incipit, ob idque simulachra futurorum excitat, inde morientium animus diuinior habitus vt ex Cicerone retulimus, mandatumque legibus vt supremæ voluntates seruentur. ALEX. Acutissimè profectò Cardanus ratiocinatur. sed illud me edoceas, quomodo Peripateticorũ opinio à Platonicis differat circa Sybillarũ vaticinia. I.C. Ambo id attribuunt humori melancolico: sanè Ar. trac. de diuinat, inquit, Melancholicos propter humoris vehementiam longè bene coniectare, citoque habitum imaginari, & facillimè Cœlestium impressionem suscipere. in Problemat. ait, ex melancolia quosdam diuinos euasisse, & Sybillas à naturali melancholica humorum complexione fuisse diuinatrices attestatur. Quemadmodum & Plato etiam in Menone, in Phædro, & in Io-

ne

ne asserit, cui veritati complures fabellas Platonici addunt. ALEX. Quæso animi gratia illas repetas. I.C. Inquiunt, tantum esse melancholici humoris imperium, vt suo impetu etiam cœlestes Dæmones in humana corpora nonnunquam rapiantur, quorum præsentia & instinctu homines debacchari, & mirabilia multa effari, omnis testatur antiquitas: idque sub triplici differentia, iuxta triplicem animæ apprehensionem, videlicet imaginatiuam, rationalem & mentalem contingere putant. Dicunt itaque, quando anima melancholico humore impulsa, nullo cohibẽte, corporis habenas membrorumque vincula transgressa, tota in imaginationem transfertur, subitò efficitur inferiorum Dæmonum habitaculum, à quibus manualium artium sæpè miras accipit rationes. Sic videmus rudissimum aliquem hominem subitò in pictorem egregium aut architectum, vel alterius cuiusque artis euadere magistrum. Quando verò eiusmodi Dæmones futura nobis portendunt, tunc ostendunt quæ ad elementorum turbationes, temporumque vicissitudines attinent, vt futuram pluuiam, tempestatem, inundationem, terræ motum, mortalitatem, famem, stragem, & eiusmodi: quemadmodum apud Aulum Gellium legimus, Cornelium Sacerdotem, quo tempore Cæsar & Pompeius in Thessalia cõfligebant, Patauij furore correptum, & tempus, & ordinem, & exitum pugnæ prænarrasse. Quando verò anima tota in rationem con-

uertitur, mediorum Dæmonum efficitur domicilium: hinc rerum naturalium humanarumque nancifcitur fcientiam atque prudentiam. Sic videmus hominem aliquem fubitò Philofophum, vel medicum, vel oratorem egregium euadere: ex futuris autem prædicere quę ad regnorum mutationes & feculorum reftitutiones fpectant, quemadmodum Sibylla Romanis. Cùm verò anima tota in mentem affurrexerit, tunc fublimium Dæmonum receptaculum effecta, ab illis diuinorum arcana edifcit, putà Dei legem, ordines Angelorum, & quæ ad æternam rerum cognitionem, animarumque falutem pertinent. De futuris verò præuidet quæ diuinæ prouidentiæ adiacent, vt futura prodigia feu miracula, futurum Prophetam, vel legis mutationem. Al. Quomodo id probant? I. C. Quia de Chrifto Sibyllæ ante aduentum eius longo tempore vaticinatæ funt. Sic Virgilius nafciturum Chriftum iam in propinquo intelligens, Cumanæ Sibyllæ recordatus, cecinit ad Pollionem:

Vltima Cumæi iam venit temporis ætas,
Magnus ab integro feclorum nafcitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies Cœlo demittitur alto.

Et paulò poft innuens originalem culpam irritam fore, ait:

Te duce fi qua manent fceleris veftigia noftri
Irrita, perpetuò foluent formidine terras.

Subditque inde ferpentis occafum, & ligni

mortis, siue ligni scientiæ boni & mali venenum sopitum iri, inquiens:

Occidet & serpens, & fallax herba veneni.

Mansurum tamen originalis peccati fomitem innuit, cùm dicit:

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis.

ALEX. Non desunt authores, qui de Augusto potius hos versus interpetrentur. Cæterum mirum non est, si de Messia aliqua Sibyllæ prædixerunt, nam in Propheticis Hebræorum libris perlegendis versatæ erant. Sed quam aliam ad Sibyllinas Prophetias responsionem excogitarunt? I.C. Animus noster, (inquit Apuleius) simplex cùm sit & purus, potest sacrorum quorundam auocamento ac delinimento soporari & exterminari ad præsentium obliuionem, ita vt remota corporis memoria, in naturam suam diuinã redigatur, atque sic diuino lumine illustratus, ac furore diuino afflatus, futura rerum præsagire, tum etiam mirabilium quorũdam effectuum cum hoc suscipere virtutem. ALEX. At si animus simplex est: quomodo ceremoniolis delinitur, & sopitur? quomodo diuina cogitans, corporis obliuisci potest, si corporeis vtitur instrumentis, vt illa meditetur. I.C. At Iamblicus ad Porphyrium sic scripsit: *Sibylla Delphis duplici ratione Deum suscipere solita est. aut enim per tenuem spiritum & ignem, qui alicubi ex ore antri prorumpebat: aut ipsa etiam in adytu sedens, super æneam sellam tripodem numini dicatam, & vtrobique hoc diuino spiritu acta, vaticinia fundebat: tum*

plurimus ignis ex antro volans, vati vndique circumfunditur, eamque suo numine repletam agitat; aut sacræ sedi adhærens, per quam Deo afflata, protinus ad vaticinia erumpit. Sed & vates fatidica in Branchis, quæ in axe consedit, aut virgam manu gestat à numine sibi aliquo concessam, vel pedes interdum Lymbumque vndis proluit, vel ignis vaporem ex vndis haurit. His omnibus diuino splendore repletur, editaque plena rerum pandit oracula. ALEX. Fabellæ hæ sunt, quibus ne delyrantes quidem aniculæ adstipulentur: probabilior, (ni fallor) eorum sententia est, qui Sibyllas à Dæmone obsessas dicunt. I.C. Medici hanc irrident opinionem. ALEX. Quid de Dæmoniacis Hippocrates & Galenus scripserunt, pellegi. Quid Cardanus ignoro. I.C. Habes præ manibus, perlegas.

DIALOG. LIV.

De Dæmoniacis.

ALEX.

Card. de anim. immortal. fol. 304.

HÆc sunt illius verba. *Sed cur Dæmoniaci quidam esse videntur? Accidit hoc diuisa luce velut in striatis subtiliter columnis ac fractis speculis: nam in columnis lux diuisa, & in speculis plures repræsentat imagines quæ cum diuersæ videantur, accidit eis quod & oculo altero depresso: nam vna res duæ esse videntur,*

quoniam oculus eãdem rem, & altam & depressam simul esse non posse recte dijudicat, ob id duo existimat, quæ vnum sunt nec plura, quia plures esse oculi non possunt: at in anima lux illa cum innumeras patiatur diuisiones, ob id mens multiplicata, & spiritus immundi etiam innumeri inesse creduntur, vt non negauerim fucum subesse multis, aliquibus etiam Dæmonem adesse, sed quod frequentius contingit, expono, ob id igitur exorcismis potius quam medicinis sanantur, nam anima, fide vt diximus, & imaginatione regitur ac permutatur. Palam enim est, plurimos ex eis verbis non sacris, sed prophanis liberari. Dum verò sic mouentur & halitu fœdo caput tentatur, simile quid patientibns comitiali morbo, ob id in mulieribus frequentes, ob vteri corruptiones. Sed cur Dæmoniaci videntur aliqua cognoscere quæ antea nesciebant? facta diuisione, si non colluceant partes, Dæmoniaci fiunt stupidi, & amentes: si verò quasi animus inflectatur, vt de columna striata diximus, in cæteris sunt prudentes, ob imaginum autem multitudinem Dæmoniacos se esse putant. Ergo in tam multiplici imaginum apparentia illud idem accidit, quod in nebularum varietate, & plumbi colliquatione, cum in aquam postmodum proycitur, namque figuræ diuersæ, atque admirabiles animalium, plãtarum, hominum, instrumentorumq; emergunt, aliarumque rerum visu quidem delectabiliũ, sed incognitarum: vnde cum motus, & iam illis quasi in circulo accedat, varietates penè infinitæ exurgunt: ab hac igitur formarum multitudine & mentis communis auxilio futurorum, & aliorum incognitorum accedit notitia, verum si men Card. fol. 306

non coadi suet, vt plerumque fit, multa dicunt sed falsa pleraque: necesse est enim, vt in frequenti talorum iactu, etiam casu diuinare. Esse autem hunc metum, & hanc simulachrorum multitudinem declarat inquietudo illorum, sermonisque abrupta series, & sine sensu ac ratione edita. Porrò qui fractam habent illam animi specularem leuitatem, tum lumen, nunquam sanitati restituuntur; qui autem inflexam, plenè sanantur. Conquiescunt autem motiones hæ, cum motus spirituum sedatur, nam opinio quidem manet, sed affectus vexatio tollitur. Hæc ille subtilitatis professor. Tu verò quid de Phrænericis, vulgo Dæmoniacis dijudicas? I.C. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ me subijcio: cæterum illud scio complures (omnes dicere vetat Religio) qui à Dæmone oppressi creduntur, solis melancholicis humoribus conflictari: nam melancholiam purgantibus medicamentis adhibitis conualescunt. vt subiiceam non nisi melancholicos morbo huic esse obnoxios, puellas nubiles innumeras, quibus suppressi sunt menses, & viduas multas, quarum retentum semen corrumpitur, ac tetros congignit vapores, hinc mæsti spiritus, qui cerebrum exasperant. Præterea non parum ad hæc confert opinio, & credulitas: quare in Hispania, & Italia duntaxat Dæmoniaci esse creduntur. in tota Gallia vix vnus. in Germania, & Britannia nullus. nec ad Cœli temperiem id ego referam, nam quo tempore ijs in partibus Catholicismus vigebat, innumeros penè ἐνεργουμένους adfuisse

legi, & à ſapientiſſimis viris accepi, quibus adhibuiſſe fidem non me redarguent, qui norunt in Hiſpanico & Italico Cœlo nullum Philoſophum, nullum Theologum à Dæmone obſeſſum eſſe. Alex. Ita eſt, ſed quid ad hoc? Pataui cùm eſſem, vidi mulierem à Dæmone oppreſſam, quæ peregrinas, ſibiq; ignotas proferebat voces: at cùm Sacerdos Aqua benedicta eius caput conſperſit, conſiluit. I.C. Non ego luſtralis aquæ vires inficiabor, quando Alexander Chriſtianorum Doctor & Pontifex & diuinæ voluntatis interpres innumeris eam priuilegijs condecorauit: neque aſſeram, pauculas duntaxat latinas voculas ab illa muliercula prolatas, quas conſulto didicit, vt ſacrilegos tegere poſſit amores: ſed ita Philoſophabor. Mens humana omnium rerum ſcientiam, omnium linguarum notitiam in ſe complectitur; eſt enim Cœleſtis originis, & diuinitatis particeps: at corporis mole oppreſſa inſitas vires palam non exſerit, & veluti ignis cineribus obductus, exſuſcitari poſtulat, ita excitari debent ingenij noſtri igniculi, vt denſis humoribus diſcuſſis elucecſcant, quare ſcire noſtrum reminiſci eſt apud Platonem. Alex. Scio, ſed quid concludis? I.C. Vbi feruentiſſima fit humorum ebullitio, vehemens quoque ſpirituum agitatio ſubſequitur, quare concitatiſſimo motu ad cerebrum delati, peregrini idiomatis notitiam, quæ in eo latebat, quodammodo extorquent, non ſecus quàm ex ſilicis colliſione emicantes ſcintillas elici

videmus. Alex. Mira narras. I.C. Nonne sub æstiuo sydere quotidianis constat experimentis, æstuosa febre correptos extranei idiomatis voces edere? generosum, meracissimumque vinum affluenter haustum, homines quālibet stupidos, disertos reddit, quod benè nouit Horatius, cùm scripsit:

Fœcundi calices quem non fecere desertum?

Sic in Traciæ Regione adytus erat Libero sacer, ex quo vaticinia & oracula reddi solebāt: at eius templi Antistites, nonnisi vino affatim epoto, res peragebant: acuit sanè mentem vini calor, sopitosque spiritus expergefacit, qui in cerebrum delati, quæ in eius latebris voces delitescunt, in apertum proferunt: quapropter Apostolos varijs linguis loquētes veteres Philosophi cùm exciperent, ebrios temerè dixerunt, vt D. Lucas his testatur verbis. *Alij irridebant eos, dicentes, quia musto pleni sunt.* Pari ratione vbi melācholici morbi vis & impetus cerebri sinus implerunt, mentemque ac spiritus cùm vitales, tum animales concitare cæperint, eas proferunt voces, quæ in intimo recessu latitabant. Alex. Quid hæc ad Sacrosanctæ aquæ aspersionem? I.C. Si variarum linguarum elocutio melācholicis accidit, quia (vt probauimus) humorum ferocia tanquam face subdita illorum mens exardescit, atque spirituum concussione ex insita sibi omniū vocum notitia, peregrinas aliquas voces extrudit, quid mirum, si aqua frigida capiti admota morbi feruorem, qui sua vi varias inde

voculas extorquebat, discutit? ALEX. Imò accensa magis tunc apparebat. I. C. Hoc ideò euenit, quia humorum capiti ingruentium discussa ab aqua fuligine, à morbo, mentisque errore vindicata est, & eorum omnium quæ dixerat & fecerat profundi illam cæpit obliuio: at cùm posteà in memoriam nonnulla ei tu reuocasti. ALEX. Ita est. I.C. Suppudescere cæpit: at omnes in verecundia rubent. ALEX. Non ego Thomæ Morij exemplum imitabor, qui cum Erasmum ignoto habitu acutissimè differentem excepisset, ita dixit, vel Dæmones, vel Erasmus: sed ita de tua sapientia eloquar, vel Deus es, vel Vaninus. I.C. Hic sum.

DIALOGVS LV.

De sacris Ethnicorum Imaginibus.

ALEX.

CVr Deorũ Simulachra, quæ humana & pulchra forma pingenda curabant Romani, vt scilicet similitudo & species amorem aspicientibus conciliaret, aliquando sudasse legimus? I. C. Theophrastus has assignat causas: internam patientem materiam scilicet, externam alteram agentem, aëris teporem, tertiam addit huius comitem exti- *Theoph. de caus. plant. l. 5. c. 5.*

mam humiditatem quæ illi internæ foras à temporibus euocatæ occurrit, atque ita vna cũ illa fit vt in tumorem coruscat, & in stillas resoluatur; quamobrem sudasse ait imagines, quoties eis adblãdiebatur austrina tempestas sua humiditate. Haud tamen omnes, sed quibus modo tenuis succus inerat, vt è Cedris Cupressis & oleis elaboratis, ex qua materia tunc, quòd minus sit corruptioni obnoxia, Diuorum idola cõficiebantur. Theophrasto adstipulatur Card. *Non minore, inquit, admiratione dignum est, quod statuæ sudent; Nam ratio in prõptu est, quum humidum pingue vi caloris expressum, sudoris imaginem præstet, ob id maxime sudent quæ ligno constãt Cedri, oliuæ, vitis, ac cupressi. Contingit autem hoc magis Austris flantibus, quod humor sit copiosior ac tenuior.* ALEX. Acutè quidem. sed & eas ligneas statuas illachrymasse pellegi quæ succum omnem, qui intus fuerat, vetuitate amiserunt. I. C. An tepidus aer, quem Notus, vel mulierculæ basiolis perspirarunt, imaginibus adhærescens, nactus superficiei frigus aliquod, in guttas, quas plebs appellat lachrymas, coactus est? An æstiui syderis, seu candelarum calor rubros simulachri colores colliquefecerunt, atque ita concolor sudor apparuit? An depicti Deunculi cutem beluino, vel humano cruore clam tingendam? vel sanguineam vndam per canaliculos ad Idoli oculos confluendam sacricolæ curarunt? mox templi ianuis apertis occurrens plebecula obstupuit, naturalemque euentus causam

Cardan de subt. l. 8. c. de Plant. f. 447.

non agnoſcens, miraculum dixit. ALEX. Et lapidea etiam ſymulachra ſudaſſe legimus. I.C. Quid mirum? fluuiales lapides ortus ſui appetentes ſunt, quemadmodum reliqua omnia naturalia: quamobrem è fluuijs extracti, vbi aerem ex Auſtrina tempeſtate humidiorem nanciſcebantur, furtim hauriebant, quem poſtea ęſtus deprehendens, bulliendo excoquebat, quare redundans humor ampullis euocabatur, ALEX. Georgij Buchanani lex illa eſt:

Dignus morte perit qui mortua viuus adorat

Sed à gentibus lapides putriaque ligna honorificè colebantur, quæ aliud non erant niſi

Vermibus eſca, cibus tineis, domus hoſpita blattis.

Morte igitur digni erãt, cur igitur cõceptis in idolũ votis, vitæ diſcrimen effugiebãt? vt innumeræ ferè pictæ tabellæ templũ ingrediẽtibus teſtabãtur? I.C. Illi nunquã picti erãt, qui Dijs inuocatis periculum non euaſerunt. cũ in aliquo vitæ diſcrimine quis verſabatur, ſtatim ad Diuos ſupplicationibus votiſque accedebat: Si fortè fortuito voti compos erat, Dijs acceptam gratiam referre voto ſe teneri arbitrabatur, aliàs voti reus à Pontifice declarabatur: ſi res pro voto non ſuccedebat, & adhuc vouẽs ſuperſtes erat, ſacerdotes inculcabant, propria ſcelera obſtaſſe quominus eius oratio à Dijs exaudiretur: at viro pio voto tamen deluſo perſuadebant, vt Deorum miſericordiam agnoſceret, qui dilectos in hac vita caſtigant; ſi qui deuouerat, perierat, nullus erat, qui ignauiam, vel impietatem Dijs obijceret,

atque his futulibus superstitionibus Sacerdotes populum eludebant. Alex. At Pyrrhus epirotarum Rex cùm è Locris Proserpinæ tesauro pecunias substulisset, naufragij multatus est calamitate. I. C. Dionisius eiusdem locrensis Proserpinæ tesaurum compilarat, secundis tamen ventis postmodum nauigauit, atque ita Deos irridendo, socios alloquebatur. *Videte quàm prospera à Dijs immortalibus sacrilegis nauigatio detur.*

DIALOGVS LVI.

De Augurijs.

ALEX.

QVid de Priscorum Augurijs, & Auspicijs credendum existimas? I.C. Fabulæ sunt, sacerdotumque illusiones ad laudis & lucri aucupium, Ethnicorumque Principium figmenta ad Plebem metu superni Numinis in seruitio detinendam. Alex. Quæ te mouent rationes ad Auguria vetustate robusta peruertenda? I. C. Fulgidissimum Illustrissimæ, sanctissimæque Dominicanæ Religionis sydus Aquinas Angelicus Doctor nuncupatus, imò & Doctorum Angelus, & Angelorum Doctor (multa, inquit Paulus, per Ecclesiam Dei Principibus, & potestatibus inno-

tescunt) in libello quem de Sortibus inscripsit, Auguriorum ineptias subtilissimis rationibus confutauit, quibus, Tullianas omitto declamationes, nostra hæc addatur. Si Auguria futuros euentus prænuntiant, ergo illorum causæ sunt, vel effectus; sic Astronomi è syderibus sublunarium effectricibus dijudicant. Medici ex effectibus: at Auguria nihil eorũ sunt, temerè igitur ad futurorum præcognitionem vsurpantur: Alex. Fateor auguria non esse per se causas rerum, nec effectus, attamen sunt coeffectus, quia & Augurium, & res quam portendit, ab eadem causa, Luna scilicet dependent. I.C. Quid igitur opus erat Auspicibus, qui ex volatu, pastu, & cantu auium futura diuinarẽt? etiam puerulus ex Asini stercore futurum Reipublicæ statum denuntiare poterat, sanè hæc omnia Lunæ sunt coeffectus. Alex. Vrinã igneam dices ne causam, an effectum febris cœlericæ? I.C. Neutrum dicam. Alex. At quia ambo eãdem regnoscunt causam nempè cholericum humorem, iccirco febrem colericam præmonstrat vrina ignea: hæc autem ab illa portenditur. I.C. Causæ hæ sunt proximæ quæ immediatè agunt in suos singulares effectus, ideò mutuo se respiciunt, & indicant: at Luna inferiorum causa vniuersalis penè est, & remota. Alex. Quid sophismata obaudiam, cum firmissimis Historicoricorum attestationibus aduersentur? Cur non te mouet clarissimis monumentis testata, consignataque antiquitas? An Etruriam, Pamphiliam, Ciliciam,

uertitur, mediorum Dæmonum efficitur domicilium: hinc rerum naturalium humanarumque nanciſcitur ſcientiam atque prudentiam. Sic videmus hominem aliquem ſubitò Philoſophum, vel medicum, vel oratorem egregium euadere: ex futuris autem prædicere quę ad regnorum mutationes & ſeculorum reſtitutiones ſpectant, quemadmodum Sibylla Romanis. Cùm verò anima tota in mentem aſſurrexerit, tunc ſublimium Dæmonum receptaculum effecta, ab illis diuinorum arcana ediſcit, purà Dei legem, ordines Angelorum, & quæ ad æternam rerum cognitionem, animarumque ſalutem pertinent. De futuris verò præuidet quæ diuinæ prouidentiæ adiacent, vt futura prodigia ſeu miracula, futurum Prophetam, vel legis mutationem. AL. Quomodo id probant? I. C. Quia de Chriſto Sibyllæ ante aduentum eius longo tempore vaticinatæ ſunt. Sic Virgilius naſciturum Chriſtum iam in propinquo intelligens, Cumanæ Sibyllæ recordatus, cecinit ad Pollionem:

Vltima Cumæi iam venit temporis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies Cœlo demittitur alto.

Et paulò poſt innuens originalem culpam irritam fore, ait:

Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita, perpetuo ſoluent formidine terras.

Subditque inde ſerpentis occaſum, & ligni

mortis, siue ligni scientiæ boni & mali venenum sopitum iri, inquiens:

Occidet & serpens, & fallax herba veneni.

Mansurum tamen originalis peccati fomitem innuit, cùm dicit:

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis.

ALEX. Non desunt authores, qui de Augusto potius hos versus interpetrentur. Cæterum mirum non est, si de Messia aliqua Sibyllæ prædixerunt, nam in Propheticis Hebræorum libris perlegendis versatæ erant. Sed quam aliam ad Sibyllinas Prophetias responsionem excogitarunt? I.C. Animus noster, (inquit Apuleius) simplex cùm sit & purus, potest sacrorum quorundam auocamento ac delinimento soporari & exterminari ad præsentium obliuionem, ita vt remota corporis memoria, in naturam suam diuinã redigatur, atque sic diuino lumine illustratus, ac furore diuino afflatus, futura rerum præsagire, tum etiam mirabilium quorũdam effectuum cum hoc suscipere virtutem. ALEX. At si animus simplex est: quomodo ceremoniolis delinitur, & sopitur? quomodo diuina cogitans, corporis obliuisci potest, si corporeis vtitur instrumentis, vt illa meditetur. I.C. At Iamblicus ad Porphyrium sic scripsit: *Sibylla Delphis duplici ratione Deum suscipere solita est. aut enim per tenuem spiritum & ignem, qui alicubi ex ore antri prorumpebat: aut ipsa etiam in adytu sedens, super æneam sellam tripodem numini dicatam, & vtrobique hoc diuino spiritu acta, vaticinia fundebat: tum*

plurimus ignis ex antro volans, vati undique circumfunditur, eamque suo numine repletam agitat, aut sacræ sedi adhærens, per quam Deo afflata, protinus ad vaticinia erumpit. Sed & vates fatidica in Branchis, quæ in axe consedit, aut virgam manu gestat à numine sibi aliquo concessam, vel pedes interdum Lymbumque undis proluit, vel ignis vaporem ex undis haurit. His omnibus diuino splendore repletur, editaque plena rerum pandit oracula. ALEX. Fabellæ hæ sunt, quibus ne delyrantes quidem aniculæ adstipulentur: probabilior, (ni fallor) eorum sententia est, qui Sibyllas à Dæmone obsessas dicunt. I.C. Medici hanc irrident opinionem. ALEX. Quid de Dæmoniacis Hippocrates & Galenus scripserunt, pellegi. Quid Cardanus ignoro. I.C. Habes præ manibus, perlegas.

DIALOG. LIV.

De Dæmoniacis.

ALEX.

Card. de a-nim. immor-[illegible]l. fol. 304.

HÆc sunt illius verba. *Sed cur Dæmoniaci quidam esse videntur? Accidit hoc diuisa luce velut in striatis subtiliter columnis ac fractis speculis: nam in columnis lux diuisa, & in speculis plures repræsentat imagines quæ cum diuersæ videantur, accidit eis quod & oculo altero depresso: nam vna res duæ esse videntur,*

quoniam oculus eãdem rem, & altam & depressam simul esse non posse recte dijudicat, ob id duo existimat, quæ vnum sunt nec plura, quia plures esse oculi non possunt: at in anima lux illa cum innumeras patiatur diuisiones, ob id mens multiplicata, & spiritus immundi etiam innumeri inesse creduntur, vt non negauerim fucum subesse multis, aliquibus etiam Dæmonem adesse, sed quod frequentius contingit, expono, ob id igitur exorcismis potius quam medicinis sanantur, nam anima, fide vt diximus, & imaginatione regitur ac permutatur. Palam enim est, plurimos ex eis verbis non sacris, sed prophanis liberari. Dum verò sic mouentur & halitu fœdo caput tentatur, simile quid patientibus comitiali morbo, ob id in mulieribus frequentes, ob vteri corruptiones. Sed cur Dæmoniaci videntur aliqua cognoscere quæ Card. fol. 306 *antea nesciebant? facta diuisione, si non colluceant partes, Dæmoniaci fiunt stupidi, & amentes: si verò quasi animus inflectatur, vt de columna striata diximus, in cæteris sunt prudentes, ob imaginum autem multitudinem Dæmoniacos se esse putant. Ergo in tam multiplici imaginum apparentia illud idem accidit, quod in nebularum varietate, & plumbi colliquatione, cum in aquam postmodum proijcitur, namque figuræ diuersæ, atque admirabiles animalium, plãtarum, hominum, instrumentorumq; emergunt, aliarumque rerum visu quidem delectabiliũ, sed incognitarum: vnde cum motus, & iam illis quasi in circulo accedat, varietates penè infinitæ exurgunt: ab hac igitur formarum multitudine & mentis communis auxilio futurorum, & aliorum incognitorum accedit notitia, verum si men*

non coadiuuet, vt plerumque fit, multa dicunt sed falsa pleraque: necesse est enim, vt in frequenti talorum iactu, etiam casu diuinare. Esse autem hunc motum, & hanc simulachrorum multitudinem declarat inquietudo illorum, sermonisque abrupta series, & sine sensu ac ratione edita. Porrò qui fractam habent illam animi specularem leuitatem, tum lumen, nunquam sanitati restituuntur; qui autem inflexam, plenè sanantur. Conquiescunt autem motiones hæ, cum motus spirituum sedatur, nam opinio quidem manet, sed affectus vexatio tollitur. Hæc ille subtilitatis professor. Tu verò quid de Phrænetícis, vulgo Dæmoniacis dijudicas? I.C. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ me subijcio: cæterum illud scio complures (omnes dicere vetat Religio) qui à Dæmone oppressi creduntur, solis melancholicis humoribus conflictari: nam melancholiam purgantibus medicamentis adhibitis conualescunt, vt subijceam non nisi melancholicos morbo huic esse obnoxios, puellas nubiles innumeras, quibus suppressi sunt menses, & viduas multas, quarum retentum semen corrumpitur, ac tetros congignit vapores, hinc mæsti spiritus, qui cerebrum exasperant. Præterea non parum ad hæc confert opinio, & credulitas: quare in Hispania, & Italia duntaxat Dæmoniaci esse creduntur. in tota Gallia vix vnus. in Germania, & Britannia nullus. nec ad Cœli temperiem id ego referam, nam quo tempore ijs in partibus Catholicismus vigebat, innumeros penè ἐνεργυμένοις adfuisse

legi, & à ſapientiſſimis viris accepi, quibus adhibuiſſe fidem non me redarguent, qui norunt in Hiſpanico & Italico Cœlo nullum Philoſophum, nullum Theologum à Dæmone obſeſſum eſſe. ALEX. Ita eſt, ſed quid ad hoc? Pataui cùm eſſem, vidi mulierem à Dæmone oppreſſam, quæ peregrinas, ſibiq; ignotas proferebat voces: at cùm Sacerdos Aqua benedicta eius caput conſperſit, conſiluit. I.C. Non ego luſtralis aquæ vires inficiabor, quando Alexander Chriſtianorum Doctor & Pontifex & diuinæ voluntatis interpres innumeris eam priuilegijs condecorauit: neque aſſeram, pauculas duntaxat latinas voculas ab illa muliercula prolatas, quas conſulto didicit, vt ſacrilegos tegere poſſit amores: ſed ita Philoſophabor. Mens humana omnium rerum ſcientiam, omnium linguarum notitiam in ſe complectitur; eſt enim Cœleſtis originis, & diuinitatis particeps: at corporis mole oppreſſa inſitas vires palam non exſerit, & veluti ignis cineribus obductus, exſuſcitari poſtulat, ita excitari debent ingenij noſtri igniculi, vt denſis humoribus diſcuſſis eluceſcant, quare ſcire noſtrum reminiſci eſt apud Platonem. ALEX. Scio, ſed quid concludis? I.C. Vbi feruentiſſima fit humorum ebullitio, vehemens quoque ſpirituum agitatio ſubſequitur, quare concitatiſſimo motu ad cerebrum delati, peregrini idiomatis notitiam, quæ in eo latebat, quodammodo extorquent, non ſecus quàm ex ſilicis colliſione emicantes ſcintillas elici

videmus. Alex. Mira narras. I.C. Nonne sub æstiuo sydere quotidianis constat experimentis, æstuosa febre correptos extranei idiomatis voces edere? generosum, meracissimumque vinum affluenter haustum, homines quamlibet stupidos, disertos reddit, quod benè nouit Horatius, cùm scripsit:

Fœcundi calices quem non fecere desertum?

Sic in Traciæ Regione adytus erat Libero sacer, ex quo vaticinia & oracula reddi solebãt: at eius templi Antistites, nonnisi vino affatim epoto, res peragebant: acuit sanè mentem vini calor, sopitosque spiritus expergefacit, qui in cerebrum delati, quæ in eius latebris voces delitescunt, in apertum proferunt: quapropter Apostolos varijs linguis loquẽtes veteres Philosophi cùm exciperent, ebrios temerè dixerunt, vt D. Lucas his testatur verbis. *Alij irridebant eos, dicentes, quia musto pleni sunt.* Pari ratione vbi melãcholici morbi vis & impetus cerebri sinus implerunt, mentemque ac spiritus cùm vitales, tum animales concitare cæperint, eas proferunt voces, quæ in intimo recessu latitabant. Alex. Quid hæc ad Sacrosanctæ aquæ aspersionem? I.C. Si variarum linguarum elocutio melãcholicis accidit, quia (vt probauimus) humorum ferocia tanquam face subdita illorum mens exardescit, atque spirituum concussione ex insita sibi omniũ vocum notitia, peregrinas aliquas voces extrudit, quid mirum, si aqua frigida capiti admota morbi feruorem, qui sua vi varias inde

voculas extorquebat, discutit? ALEX. Imò accensa magis tunc apparebat. I. C. Hoc ideò euenit, quia humorum capiti ingruentium discussa ab aqua fuligine, à morbo, mentisque errore vindicata est, & eorum omnium quæ dixerat & fecerat profundi illam cæpit obliuio: at cùm posteà in memoriam nonnulla ei tu reuocasti. ALEX. Ita est. I.C. Suppudescere cæpit: at omnes in verecundia rubent. ALEX. Non ego Thomæ Morij exemplum imitabor, qui cum Erasmum ignoto habitu acutissimè differentem excepisset, ita dixit, vel Dæmones, vel Erasmus: sed ita de tua sapientia eloquar, vel Deus es, vel Vaninus. I.C. Hic sum.

DIALOGVS LV.

De sacris Ethnicorum Imaginibus.

ALEX.

CVr Deorū Simulachra, quæ humana & pulchra forma pingenda curabant Romani, vt scilicet similitudo & species amorem aspicientibus conciliaret, aliquando sudasse legimus? I. C. Theophrastus has assignat causas: internam patientem materiam scilicet, externam alteram agentem, aëris teporem, tertiam addit huius comitem exti- *Theoph. de caus. plant. l. 5. c. 5.*

mam humiditatem; quæ illi internæ foras à temporibus euocatæ occurrit, atque ita vna cũ illa fit vt in tumorem coruſcat, & in ſtillas resoluatur; quamobrem ſudaſſe ait imagines, quoties eis adblãdiebatur auſtrina tempeſtas ſua humiditate. Haud tamen omnes, ſed quibus modo tenuis ſuccus inerat, vt è Cedris Cupreſſis & oleis elaboratis, ex qua materia tunc, quòd minus ſit corruptioni obnoxia, Diuorum idola cõficiebantur. Theophraſto adſtipulatur Card. *Non minore, inquit, admiratione dignum eſt, quod ſtatuæ ſudent; Nam ratio in prõptu eſt, quum humidum pingue vi caloris expreſſum, ſudoris imaginem præſtet. ob id maxime ſudent quæ ligno conſtãt Cedri, oliuæ, vitis, ac cupreſſi. Contingit autem hoc magis Auſtris flantibus, quod humor ſit copioſior ac tenuior.*. ALEX. Acutè quidem. ſed & eas ligneas ſtatuas illachrymaſſe pellegi quæ ſuccum omnem, qui intùs fuerat, vetuitate amiſerunt. I. C. An tepidus aer, quem Notus, vel muliercułæ baſiolis perſpirarunt, imaginibus adhæreſcens, nactus ſuperficiei frigus aliquod, in guttas, quas plebs appellat lachrymas, coactus eſt? An æſtiui ſyderis, ſeu candelarum calor rubros ſimulachri colores colliquefecerunt, atque ita concolor ſudor apparuit? An depicti Deunculi cutem beluino, vel humano cruore clam tingendam? vel ſanguineam vndam per canaliculos ad Idoli oculos confluendam ſacricolæ curarunt? mox templi ianuis apertis occurrens plebecula obſtupuit, naturalemque euentus cauſam

Cardan de ſubt. l. 8. c. de Plant. f. 447.

non agnoſcens, miraculum dixit. ALEX. Et lapidea etiam ſymulachra ſudaſſe legimus. I.C. Quid mirum? fluuiales lapides ortus ſui appetentes ſunt, quemadmodum reliqua omnia naturalia: quamobrem è fluuijs extracti, vbi aerem ex Auſtrina tempeſtate humidiorem nanciſcebantur, furtim hauriebant, quem poſtea ęſtus deprehendens, bulliendo excoquebat, quare redundans humor ampullis euocabatur, ALEX. Georgij Buchanani lex illa eſt:

Dignus morte perit qui mortua viuus adorat

Sed à gentibus lapides putriaque ligna honorificè colebantur, quæ aliud non erant niſi

Vermibus eſca, cibus tineis, domus hoſpita blattis.

Morte igitur digni erãt, cur igitur cõceptis in idolũ votis, vitæ diſcrimen effugiebãt? vt innumeræ ferè pictæ tabellæ templũ ingrediẽtibus teſtabãtur? I.C. Illi nunquã picti erãt, qui Dijs inuocatis periculum non euaſerunt. cũ in aliquo vitæ diſcrimine quis verſabatur, ſtatim ad Diuos ſupplicationibus votiſque accedebat: Si fortè fortuito voti compos erat, Dijs acceptam gratiam referre voto ſe teneri arbitrabatur, aliàs voti reus à Pontifice declarabatur: ſi res pro voto non ſuccedebat, & adhuc vouẽs ſuperſtes erat, ſacerdotes inculcabant, propria ſcelera obſtaſſe quominus eius oratio à Dijs exaudiretur: at viro pio voto tamen deluſo perſuadebant, vt Deorum miſericordiam agnoſceret, qui dilectos in hac vita caſtigant; ſi qui deuouerat, perierat, nullus erat, qui ignauiam, vel impietatem Dijs obijceret,

atque his futulibus superstitionibus Sacerdotes populum eludebant. ALEX. At Pyrrhus epirotarum Rex cùm è Locris Proserpinæ tesauro pecunias substulisset, naufragij multatus est calamitate. I. C. Dionisius eiusdem locrensis Proserpinæ tesaurum compilarat, secundis tamen ventis postmodum nauigauit, atque ita Deos irridendo, socios alloquebatur. *Videte quam prospera à Dijs immortalibus sacrilegis nauigatio detur.*

DIALOGVS LVI.

De Augurijs.

ALEX.

QVid de Priscorum Augurijs, & Auspicijs credendum existimas? I.C. Fabulæ sunt, sacerdotumque illusiones ad laudis & lucri aucupium, Ethnicorumque Principium figmenta ad Plebem metu superni Numinis in seruitio detinendam. ALEX. Quæ te mouent rationes ad Auguria vetustate robusta peruertenda? I. C. Fulgidissimum Illustrissimæ, sanctissimæque Dominicanæ Religionis sydus Aquinas Angelicus Doctor nuncupatus, imò & Doctorum Angelus, & Angelorum Doctor (multa, inquit Paulus, per Ecclesiam Dei Principibus, & potestatibus inno-

tescunt) in libello quem de Sortibus inscripsit, Auguriorum ineptias subtilissimis rationibus confutauit, quibus, Tullianas omitto declamationes, nostra hæc addatur. Si Auguria futuros euentus prænuntiant, ergo illorum causæ sunt, vel effectus; sic Astronomi è syderibus sublunarium effectricibus dijudicant. Medici ex effectibus: at Auguria nihil eorũ sunt, temerè igitur ad futurorum præcognitionem vsurpantur: ALEX. Fateor auguria non esse per se causas rerum, nec effectus, attamen sunt coeffectus, quia & Augurium, & res quam portendit, ab eadem causa, Luna scilicet dependent. I.C. Quid igitur opus erat Auspicibus, qui ex volatu, pastu, & cantu auium futura diuinarẽt? etiam puerulus ex Asini stercore futurum Reipublicæ statum denuntiare poterat, sanè hæc omnia Lunæ sunt coeffectus. ALEX. Vrinã igneam dices ne causam, an effectum febris cœlericæ? I.C. Neutrum dicam. ALEX. At quia ambo eãdem regnoscunt causam nempè cholericum humorem, iccirco febrem colericam præmonstrat vrina ignea: hæc autem ab illa portenditur. I.C. Causæ hæ sunt proximæ quæ immediatè agunt in suos singulares effectus, ideò mutuo se respiciunt, & indicant: at Luna inferiorum causa vniuersalis penè est, & remota. ALEX. Quid sophismata obaudiam, cum firmissimis Historicoricorum attestationibus aduersentur? Cur non te mouet clarissimis monumentis testata, consignataque antiquitas? An Etruriam, Pamphiliam, Ciliciam,

Phrygiam, Pisidem, Arabiam, Vmbriam, Ægyptum, & Babiloniam in extis delirasse putas? Romani ipsi sapienriæ Patres tantam Augurijs fidem præstarunt, vt sine eis nihil pvblicè, nec domi, nec militiæ gererent I.C. Viri illi sapientissimi ad plebis pædagogiam his vtebantur superstitionibus. ALEX. Imò nec vrbes condere occipiebant, nisi prius pecudum viscera introspexissent. I.C. Scitissimè, nam si sana erant, Cœli clementiam & soli feracitatem arguebant: macilenta verò & marcida testabantur Cœlum insalubre, & tellurem frugibus infelicem. ALEX. At bellicam rem administrare maiores nostri nisi auspicato noluerunt: pullis gallinaceis è cauea depromptis esca porrigebatur: si auidè edebant ita vt cibus ore cadens, terram feriret, tunc auspicanti tripudium solistimum nuntiabatur, & fœliciter cessurum quicquid ille animo concepisset: cōtra, omnia infausta portendebantur, si escam non caperent: Quapropter conflictum à Numantinis in Mancinum illatum prædixerunt pulli, qui escam non ceperunt, sed ex cauea euolarunt. L. Papyrio aduersus Sannites dimicanti infelix fuit exitus, quia pulli ab esca abstinuerunt. I.C. Nugæ sunt, quæ Philosophorum animos non irretiunt. Nonio victoriam auguranti ex septem Aquilis quæ in Pompeianis castris captæ fuerant, respondit Cicero, *Rectè moneres si aduersus Picas nobis pugnandum foret.* Messolanius Hæbreus cum ad bellum progrederetur, sacri vates sistere iusserunt

milites, donec ex aue, quæ proximè aderat, augurium captarent: at ille ſagitta auem occidit, vatibuſque excandeſcentibus dixit: *Quid ægrè fertis mali Dæmones? quomodo hæc auicula ſuæ inſcia ſalutis noſtram prædicere poterat?* ALEX. Quomodo reſpondes exemplis à me ſuprà relatis? I.C. Res ita ſe habuit. Imperatores cùm ardentiſſimo bellici certaminis deſiderio flagrabant, milites verò præſentiſſimo vitæ diſcrimini tergiuerſabantur, vt eos ad viriliter belligerandum impellerent, comprobare nitebantur, non humano, ſed diuino conſilio inire certamen: atque ideo inopi victu, longiſque ieiunijs pullos domabant, deinde miſeros illos famelicos è cauea educebant, qui oblatam offam deuorabant, & præ nimia comedendi celeritate, aliquid ex ore cadere, terramque pauire contingebat. Tunc Aruſpices, Pompaticis veſtibus circumamicti, Deorum nomine victoriam exercitui pollicebantur, atque ita credulam plebem ad depugnandum inflammabant: nam vt Dijs obſequium præſtaret, omnes in hoſtium perniciem rationes fortitudinis excitabat. è contra, vbi Imperator belli fortunam tentare non audebat, pullis ſaturis eſca offerebatur, cùmq; ab illis reſpueretur, Augures, qui erant à ſecretis belli conſilijs, per Deorum viſcera milites obſecrabant, ne hoſtes congrederentur, nam Dij irati ob exercitus ſcelera ruinam minitabantur, atque ita omnes tanti Pontificis monitis obtemperantes, à pugna vacabant: ne-

Ioſeph. de antiq.

que Ducis ignauiæ, sed Fato id tribuebatur. Propterea vbi victi, vel fugati erant, ne excelsi, atque inuicti animi magnitudinem, & robur ipsis defuisse quispiam suspicaretur, Aruspicinis responsis reluctantibus dimicasse fingebant, vt Mancinus, & Papyrius, qui maluerunt haberi Deorum contemptores, quàm hostibus inferiores. ALEX. Flamminius non paruit auspicijs, itaque perijt cum exercitu. I. C. At anno post Paulus paruit, cecidit tamen cum exercitu in Cannensi pugna. ALEX. At Aruspices ex victimæ extis futuros euentus prædicebant. I. C. Sordidissimos dicerem Deos, si in iecorum, & viscerum sterquilinio sua occultassent consilia. Diuinabant fortassis aliqua ex aliunde petitis coniecturis, etsi Aruspicinæ scientiæ temere id adscriberent. Noui virum ingeniosissimum, qui ex manus inspectione vitæ terminum obnixè petentibus sæpenumerò verè prænuntiat, cùm tamen ipse Chiromantiam fabulosam existimet, sed ex metrico arteriarum percussu, & ex vultu vaticinatur. Romanorum figmenta illa erant, vt subditos in omnibus haberent obsequentissimos. Nota est omnibus illius Ducis prudentia, qui vt desides milites ad pugnam excitaret, has in manu inscripsit literas. *Aude, victoria tibi Deorum dono decreta est*. Mox ille immolans victimæ iecur de more apprehendens, literarum notas impresſit. Mox belli Proceres ad se accersi iubet, qui caracteres illos tanquam à Deo depictos perlegentes, vi-

ctoriæ

ctoriæ ſpem conceperunt, eamque, ferro acerrimè decertantes, ab hoſtium manibus extorſerunt. ALEX. Sed quid ad hæc? Marco Marcello, Claudio, Pyrrho Rege, & Cæſare Imperatore immolantibus, ſumma iecoris pars victimæ defuit, & iuxta Aruſpicum reſponſa, paulo poſt ſuo fato functi ſunt. I.C. Non ante, ſed poſt ipſorum obitum vates prædicabant huiuſmodi Auguria præceſsiſſe. Periit ab Anibale non modo Marcellus, qui immolans iecoris caput in victima non inuenit, ſed complures alij belli Duces abſque vllo Auſpicino inditio Claudius, & Pyrrhus obiere, quia ex marcidis victimæ extis pernitioſam contagem contraxerunt: vel quia ipſis perſuaſum erat, augurium illud necem portendere, ideò mortis timore perculſi, ſibiipſis triſti illa cogitatione mortem intulerunt. calor enim vndique per corpus diffuſus, præ timore ad cor tanquam ad arcem ſe colligit, ſuique copia cor ſuffocat. Quòd Auguſto verum Aruſpex prædixerit, Aſtronomicæ ſcientiæ adſcribendum eſt. Immolauit enim Calen. Martij, quo die Cæſarem interficiendum ex illius GeneſiSpurina multo antè prædixerat. ALEX. Cæſar cùm immolaret illo die, quo primum in ſella aurea ſedit, & cum purpurea veſte proceſsit, in extis bouis opimi cor non fuit. I. C. Nego excordem fuiſſe bouem: quomodo enim ſine corde viuere poterat? ſed aſſero, tum interijſſe cor cum immolaretur; vel aliquo morbo contactum, bouis exile, & exi-

Dd

In lib.1.de Diuin.

guum & vietum cor fuisse arbitror. ALEX. At cur Tauri Diis immolati linguam, & pulmonem per diem palpitasse Cicero refert? I. C. Quia calor non dum solutus erat: quippe boui natura vegeto crassior sanguis, qui esset caloris fundamentum, diu conclusus fuit: idem conspicitur in piscibus, quorum pulmo in frustula dissectus, nihilominus viuit. Sturionis intestina in frusta secta, sese mouent. Vranoscopus etiam omni viscere vacuatus, & viuit adhuc & mouetur. Polypus præcisus omnibus suis partibus diu vitam retinet: multorum piscium cor exemptum longo tempore palpitat: id autem mirum non esse suadent vitæ principia quæ in eo sunt: cor quoque bubulum diu viuit postquam auulsum est, & crus etiam ipsum, & fortasse diutius, quàm lacertæ cauda. ALEX. At crus non mouetur, non viuit igitur. I. C. Consecutio negatur, sanè vinctæ arteriæ pars inferior non mouetur, quę tamen neutiquam emortua est. ALEX. At cur auulsum à boue crus non mouetur, lacertæ cauda maximè? I.C. Quia in boue nerui, ac musculi dependent à cerebello, in lacertæ cauda vbique motus principium ad est, nam (vt ait Philosophus) est quasi multa animalia. ALEX. Fabellam (vt conijcio) ratione tu comprobares. I.C. Quænam illa est? ALEX. Taurus exectus impleuit vaccam. I.C. Quid mirum? potuit semen in vasis vltimis viuificum contineri. ALEX. Cur efficis, vt fabulę rationis libellæ respondeant, & sapientissimorum vi

rorum de Augurijs sententiam reijcis? Mercurius Trismegistus, Plotinus, Iamblicus, cęterique Platonici Augurijs fidem præstarunt. Aristoteles etiam, Theophrastus, Themistius, Plutarchus, Plinius, Porphyrius, Pythagorici, Varronici, & Ægyptij Astronomi vera prædicant auguria: an illi omnes oberrarunt? tu solus sapis? I.C. Mercurius ille fabulosus author facilè à me reijcitur, non modo quia Sacerdos fuit, atque ideo testis in causa propria, sed quia asserit Augurifica moueri à Dęmone. At quomodo dari Dęmones ratione ille comprobat? profectò nulla. ALEX. Hoc ipso quod victimæ exta mira edebant portenta. I.C. Fabulosa illa quidem, vt testis est locupletissimus Tullius, quem prę mille Trismegistis literaria Respublica deueneratur. Sed vera sint Auspicia: cur potius ad Dęmonem, quam ad Intelligentias Cœlorum motrices referenda erunt? ALEX. Quid Porphyrij, Plotini, & Iamblici sententiæ respondes? illi asserebant, duos adesse cuique hominum custodes. Cacodemon dicebatur vnus, id est malus genius, qui ad pessima scelera hominem extimulat, eique mala omina offert. Calodemon alter, id est bonus genius, qui ad bona nos hortatur, eorumque iam proximam adeptionem felici aliquo augurio præostēdit I.C. Cum bona & mala indies cunctis adueniant, quotidiana etiam auguria singulis accidere debebāt, cum vix centum ipsaque fabulosa ab historicis referātur. Deinde

percipere nequeo, quomodo à bono genio illi custodiebantur, cùm tot infortunijs obnoxij iacerent: modò ad lapidem pedes offendebant, in foueas & abyssus sæpenumero cadebãt: à sagittis miserè percutiebãtur: domus ruina aliquos infestabat: cõplures à serpentibus demordebantur : feræ multos deuorabant. Heccine boni genij custodia? hæc ne Calodæmonis inculpata tutela? ALEX. Huic præualere Cacodæmonem asserebant. I.C. Consimilem errorem quidam Atheus Absterodami tuebatur. Has ille, nescio quo misero, funestoque fato compulsus, delyrans euomebat blasphemias. Ex *Bibliorũ contextu infertur, Dæmonem Deo præualere. reluctante Dei voluntate Adamum, & Euam totúmque Genus humanum ad interitũ duxit: cumque malo huic Dei filius occurrere vellet, & ipse etiam, Dæmone Iudicum animos sollicitante, vt Christus asserit, Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarũ, morte turpißima dãnatus est. efficacior est* (asserebat ille) *iuxta biblicum codicem diaboli quàm Dei voluntas. vult Deus omnes homines saluos fieri, perpauci tamen seruantur: vult Dæmon damnari omnes, innumeri damnantur: ex amplissimo terræ gremio soli Christiano-Catholici qui in Angustißimis Italiæ, Hispaniæ, non nullarum Galliæ, Germaniæ,* & Poloniæ *prouintiarum limitibus continentur, seruari possunt: ab his si auferas* Iudæos, *occultos hæreticos, atheos, blasphemos symoniacos, adulteros, masculorum concubitores, qui Regnum* Dei *non poßidebunt, vix è mille millibus reprobis vnus electus aderit.* Sic *& in veteri lege to-*

tus mundus Dæmoni inseruiebat. Soli Hæbrei quorum Regni *amplitudo* Britanniæ *insula minor erat, Deum agnoscebant, sæpissime ab eius cultu defecerũt, cumque Deum colebant, calamitatibus, & miserijs, à Dæmone inflictis opprimebantur.* Hæc ille blasphemus. ALEX. Tu vero quid responderes? I.C. Vix æqualem se Deo facere Dæmon excogitauit, & ilico ad tartara demissus, pœnis coercetur æternis: primæuos parentes elabi Deus permisit, ad dæmonis ignominiam, nam pro hominis, non Dæmonis lapsu medelam parauit, non angelicam, sed humanam naturam Dei filius assumpsit, qui pro homine Deo patri spontè oblatus est; imò ipsemet Dæmon regni sui ruinam à Christi morte infligendam pertimescens, apud Pilati coniugem omnes neruos intẽdit, ne mortis reus Christus diiudicaretur, moriẽs Christus victor extitit. Dæmõ qui in ligno vicerat, in ligno victus est: mundi princeps foras eiect⁹ ad inferos miser se trãstulit, at eò Dei filius descendẽs non modo eũ vt canem ligauit, quare latratu solo nos lędere valet, sed quæ ibi aderant trophea & spolia resurgens ad superos reportauit. Multi sunt vocati, pauci electi, nemo tamen, licet carnis illecebris deceptus, adinuenitur, qui Deum summum Dominum, & bonorum authorem non existimet: Satanam verò sentinam malorum, vilissimumque mancipium detestetur: complures æternis supplicijs à Deo mancipantur, quia ipsi in interitũ lapsi sunt voluntarium, non quia Dæmon ad peccandum coegit: quinimo

ex infinito propemodum reproborum numero Dæmonis miseria dignoſcitur, nemo enim ad tartara deſcendit, qui pænarum augmentum Satanæ non annuntiet. ALEX. Tam acutè aduerſus Atheos diſſeris, vt illorum Antegoniſta iure merito ab omnibus vociteris: errarūt igitur, Platonici, dum Calodæmonem hominis cuſtodem Cacodæmoni aduerſario inferiorem conſtituebant. I.C. Illud ſcio, nos Chriſtianos ab Angelis cuſtodiri, in quorum venerationem Sanctiſſimus ouilis Dominici Paſtor & (fremant Hugonoti, atque extabeſcant) Chriſti vices gerēs in terris Paulus Quintus Pontifex Maximus peculiarem lyturgiam à ſacerdotibus recitandam inſtituit. ALEX. At quomodo Ariſtoteles vir ſingulari, & diuino penè ingenio auguria vera eſſe profitetur? I.C. Hoc tibi probandum eſt. AL. Sic ille loquitur. *Gallina etiam diſciſſa, talia ſubſepto, quo loco fæminis oua adhærent, reperta ſunt colore luteo tota magnitudine oui perfecti, quod pro oſtento augures capiunt* I.C. At non ipſe Philoſophus. AL. Imò ipſe cenſuit coruos eſſe Cædis nuntios veriſſimos. I.C. Quia odoratus ſenſus illis eſt præſtātiſſimus, cadauera à longe perſentiunt, & auidi ad ea decurrunt: quinimo biduo, triduouè ante eò congregantur, vbi futura ſunt cadauera, mirum enim in modum corporibus putrefactis delectantur, vnde eos appellare ſoleo ſepulchra animata. AL. At alibi aſſerit ſternutamentum eſſe augurale ſignum. I.C. Aliorum refert ſententiam, non ſuam. Neapoli cum eſ-

Ar. l. 6. de hiſt. anim. c. 2.

Lib. 1. de hiſt. anim. cap. 11.

ſem, à Zacharia Olimpio viro in humanioribus literis apprimè verſato Alberti de ſternutamẽtis libellum accepi& curioſulus Albertinas regula obſeruaui : ſed fabulis cucullatus ille me deluſit. Infirmis ſternutatio cum accidit, augurium eſt apud medicos, ſic Hippocrates dicebat. *Grauedines, & ſternutationes in morbis circa pulmonem & anteceßiſſe, & ſuccedere malum eſt, reliquis autem ſternutatatio non incommoda eſt.* Al. Quid diuinum ſternutamẽtis ineſſe innuere videtur Ariſtoteles. I. C. Quatenus procedũt à capite, quod domiciliũ eſt intellectus, quẽ diuinitatis participẽ cẽſuit. Rectius ego ſic dicerem. Sternutationẽ prodeſſe capiti non modo Plinij confirmat authoritas ſcribentis, *Proboſcidis tactu capitis dolor leuatur, efficacius ſi & ſternutet*, Sed ex ſui definitione eluceſcit, *ſternutatio* (inquit Hipp.) *fit ex capite, percaleſcente cerebro, aut vacuo quod eſt in capite perhumeſcente, aër enim qui intus eſt, foras erumpit: ſtrepitum verò edit quia tranſitus eſt ipſi per anguſtum.* Tunc ſic infero: ſi caput denſis humoribus oppreſſum, ſternutatione recreatur : intellectus igitur qui in capite reſidet , ingenitas facultates efficacius tunc explicabit: ingenij inſuper igniculis eo ſtrepitu excitantur, ac propterea veriſimile eſt, incœptum negotium, benè feliciterq; (virtute Duce) ad exitum peruenturum. Alex. Quid Plinio, Theophraſto, ac Themiſtio reſpondes? I.C. Plinius aſſeruit auguria nihil ſignificare, ſed ex noſtra duntaxat imaginatione vires ſortiri : quare ad incredulum

In l. de Pranotio.

Plin. lib. 28. c. 8.

Sect. 6 aphoriſ 51.

Plin. l. 28.

illa pertinere abnegat : æquam in partem augurium interpetrantibus, proſpera aduenient. ijs autem qui in malam partem accipiunt, aduerſa inſtant:ſic Aquila multis portendit imperium, quibuſdam ruinã, vt Deiotaro Siciliæ Regi, qui cum Aquilam ad Regia tecta veniẽtem conſpiceret,domum ruituram auſpicatus eſt,nec auſpicio defuit euentus. AL. At quomodo ſola imaginatio hæc efficere poteſt ? I.C. Theophraſtus,& Themiſtius reſpondent, cùm inconſultè aliquid auguramur, naturali quodam impetu nos moueri, hic autem motus ab intelligentia orbis motrice eſt,quæ cum ſit ſapientiſſima,ad rei veritatem nos deducit. AL. Imò ſæpiſſimè cum ex re aliqua omem ſumimus,decipimur. I.C. Ego cum Tauriſanum patriã meam nobiliſſimã & velut in orbis anulo gemmam peterem,mæſtum cornicis cantum audiui, atque inde mihi in æſtiuis caloribus obequitanti auſpicatus ſum necem: at vana(Deo gratias)auguria ceciderunt. Iohanni Mariæ Ginochio Theologo præclariſſimo Germaniam peragrãti,dedi me in ſocium. cùm ab Argentorato diſcedabamus,vix aſcendit nauiculam & coruum aſpexit,hinc naufragio auſpicato, domum redire volebat; at ego reſpondi. *Nec naufragus ire recuſo.* Fiat immutabilis Dei voluntas,quæ ab æterno menſurabiles noſtræ vitæ dies conſtituit,vt propheta loquitur.atque ita audacior factus,terrificas Rheni minas neglexit,& incolumes ambo ad portum peruenimus. Multæ mihi acciderunt ca-

lamitates, nec tamen intelligentia ad Auguria accipienda me mouit vnquã, neq; intelligentiæ inuisum me dicent Philosophi, cùm in Naturæ lege sine crimine vixerim. ALEX. Pythagoricis quomodo responderes? illi crediderunt, non fortuito, nec humano consilio, sed ab ipso Deo Auguria instituta, vt hominibus, quos ille optimus maximus æternis moderatur imperiis, bona & mala denuntiaret, iccircò Auguria Deorum voces nuncupabant. I. C. Valeant sordidissimi Pythagorici Deunculi, qui in putrida iecorum sentina æternitatis consilia abscondúnt. Quanto rectius hic:

Thure Deum placa, vitulum sine crescat aratro.

Mutius Schæuola inter primarios omnium seculorum Augures Principem locum obtinens, cùm in sacrosanctis vestalibus Ædibus aram amplecteretur, præter opinionem, quam de suis Augurijs conceperat, interfectus est. felicissima erant Neronis Auguria, infelix tamen illi fuit exitus. Audite nũc manes Pytagorici (forsitan catelli huius corpus inhabitatis) si Auguria hæc Deorum voces erant, Deos vestros mendaces dicere cogimini, aliter ego vos mẽdacij redarguam, nam Auguria omnia diuinas voces dicere consueuistis.

AL. Quid ad Plutarchum? is censuit auguria quæ à sinistro nobis occurrerint, fœlicitates portendere, quæ à dextris, calamitates. I. C. Quo rationis fulcro hanc fabellam decolorauit; AL. Censuit Terrena cœlestibus esse op-

posita,& per consequens,quæ è sinistra parte nobis adueniunt,Deos è destra dimittere:quę verò à dextris nobis occursant omina, è sinistris Deos porrigere:Deorum autem dextra fauores pollicetur, sinistra vindictam minitatur. I.C. Vulgi oculos hę oblectant picturæ, non sapientum,qui cùm agnoscant Deum esse summum,simplex, & æternum ens,negant in eo esse dextrum, vel sinistrum, nam hunc admodum esset corporeus,ex diuersis compositus,finitus,& corruptibilis. Alex. Varronicorum sententiam quomodo eludes?illi asserebant augurifica moueri à Luna.Est enim propinqua nobis,diuinationisque parẽs ab Astronomis dicitur. I.C. Nugæ.quid luna cum victimæ extis? Alex. Forsitan & Lunæ intelligentia homines curat. I. C. ô vtinam,nam ego opibus abũdarem:sanè in mei ortu luna erat in medio Cæli: quid immoror in istis ineptijs refellẽdis, luna(hæ sunt ipsorum ineptæ,& barbaræ voces)tenente Arietem, si fera domum ingreditur,lites, & calumnias denuntiat: at si cantus auditur, gaudium expectandum est. Audite nunc Varronis sectatores,luna existente in eodem Cœli signo eodem tempore erit fœlix, & infœlix argurium. Al. Porphyrius has argumentorum tuorum salebras declinare videtur, asserit enim auguria moueri non à Luna, sed à Dæmone mediante corpore lunæ, quo tanquam instrumento vtitur ad futuros euentus hominibus aperiẽdos. I. C. His insomijs adstipulatur Agrippa, qui lunæ assignat Demoniũ,

& intelligentiam: illud appellat *Hasmodai*, cuius Princeps est (risum tenete pueri) *Sched barschemot schartachan*. Hanc vocat Gabrielem, cuius dominus est (nugæ nugarum nugacissimarum) *Macha Betarsisim hed Beruas schehati*. ALEX. conficta hæc sunt nomina; at multa in his inferioribus operari Dæmonē per cœlestia corpora Augustinus Niphus hoc probat exemplo *Quod autem Dæmon stellis vtatur Habenragen nobis est testis, qui narrat cuiusdam Regis filium natum esse eo die, quo quatuor planetæ coniuncti erant eo in signo, quo in illius genitura horoscopabat: eo verò die puerum illum locutum esse, iacturamque patri Regi prædixisse: At consonum non est, puerum sic recenter ortum loqui potuisse, nisi vi demonis, qui ea Celi constellatione ad prædicendum vtebatur: fortasse enim demon Mercurialis erat, nam in v. libræ gradu, qui tunc horoscopabat, Mecurius præerat, Venus enim Jupiter, Mercurius, & Mars in illo 8. gradu coniuncti fuerunt, nullus tamen eorum, nisi Mercurius in tali gradu fines habebat, quare Dæmon ille Mercurialis fuit. quod si ita est, Dæmon qui nos custodit, vtens solo motu lunæ per 12. signa, poterit omina, atque augurifica mouere omnia in bonum nostrum illa concitando* I.C. Vix in animum meum inducere possum, Niphum tanti nominis Philosophum ita ratiocinari: nulla ratio suadet dari Dæmones nec bonos, nec malos, nec subter, nec supra lunam: excusabilior est Pomponatius qui intelligentijs hæc omnia adscribit, & si nulla ratione probari possit, intelligentias dari. Humanus intellectus eas confingit, & ex

Arip. de occul. Phi. l.2.c.22.

Niph. l.1. de Augur. c.21.

ſe nomen eis indidit: Ego exiſtimo fabuloſum eſſe pueruli vaticinium, quod Hali Habenzagel pro vero iactitat: quoties in eodem ſigno iijdem Planetæ coniuncti fuere, nec pueris recens natis loquelam, & prophetiam contulerunt. ALEX. Imo tu in Amphitheatro æternæ prouidentiæ phyſicam cauſam reddidiſti, cur puer ille ſtatim ab ortus ſui die locutus eſt. I.C. Multa in eo libro ſcripta ſunt, quibus à me nulla præſtatur fides. *Coſi và il mondo.* ALEX. Non miror, nam ego crebris vernaculis hoc vſurpo ſermonibus. *Queſto mondo è vna gabbia de matti.* Principes excipio, & Pontifices. Nam de illis ſcriptum eſt. *Cor Regis in manu Domini. Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernũt.* Hos vero *ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam* Dei, *quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Qui vos audit* (inquit Chriſtus Apoſtolis, & ſucceſſoribus) *me audit.* I.C. Non dixerim Chriſtianos eos, qui hæreticos appellant Chriſtianos Dei filius hæc verba protulit. *Qui* E*ccleſiam non audit, ſit tibi tanquam* E*thnicus, & publicanus.* Sed abſoluanus hanc de Augurijs diſputationem. ALEX. Ægyptiorum duntaxat Aſtronomorum ſententia reijcienda eſt. I.C. Quid hi circulatores, à quibus circuncisionis inſtitutum accepiſſe Moyſem impius & ſacrilegus Diodorus ſiculus atteſtari non erubeſcit, blacterant? AL. Diodori mendacia in tua apologia optimè confutaſti, nam Moiſes ex Dei mandato in octauo à natiuitate die puerum circumcidendum mandauit, nulla habita con-

ſideratione ad Planetarũ influxũ, quē proculdubio obſeruari iuſſiſſet, ſi Aſtronomorum opus eſſet circuncisio: nam Haly Abenragel ſui ſæculi Aſtronomorum Princeps mandauit, vt circumciſio & baptiſmus conferantur luna ſupra venerem eleuata! I.C. Legi hanc fabellam in 7.par. ſuæ ſummæ cap. 33. ſed quid Ægyptij de Augurijs? Alex. hi affirmant vera eſſe augurria, quia mens noſtra ad augurãdum mouetur non à luna, ſed ab vno è quinque Planetis erraticis, nec ſemper, ſed cùm erraticum ſydus in figura Cœli tenet tertiam, vel quartam, vel ſeptimam, vel nonam, vel decinã domum I.C. Pudet me in fabularũm confutatione bonas horas conterere.

DIALOG. LVII.

De Valetudinum Curatione quæ ſub Ethnicorum Religione mirabiliter quibuſdam contigit.

Alex.

Svetonius veſpaſiani Cæſaris vitã deſcribens, in Capite de miraculis per eum geſtis ita loquitur. E *plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure ſedentem pro tribunali Veſpaſianum pariter adierunt, orantes opem valetu-*

dinis, demonstratam à Serapide per quietem restituturum oculos si conspuisset, confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset rem vllo modo successuram, ideoque neque experiri quidem auderet, extremo tot hortantibus amicis palam pro concione tentauit, nec euentus defuit : aliasque curatas infirmitates legimus, vt omittam Pirrhi digitum igne nunquam comburi potuisse: Et Marsos seu Psillos homines (Plutarco teste) Serpentum morsibus verbis duntaxat mederi solitos. I. C. Ad dæmones hæc vulgus refert: At fieri id nullo modo potuit; nam ex communi Theologorum sententiâ, dæmones non operantur nisi actiua passiuis applicando. Ab omnibus habentur dæmones sapientes, id est dæmones dæmones: nam dæmon sapiētem significat, quæ enim ignorat vulgus adscribit dæmonibus, id est sapientibus, quemadmodum & illud inuasit, Canonicus regularis, id est regularis, regularis. Sanè Canon regula dicitur. Sed ad rem. Sunt dæmones (inquiūt nostrates homilistæ) sapientissimi, & herbarum virtutes cognoscunt, cumque omnia materialia ex Dei permissione illis obtemperent, quæ aduerterint herbarum medicamina idonea huic infirmo applicant, atque ita ille sanitatem consequitur. At hoc est quid fictitium, nam illa medica pharmaca ab aliquo viderētur, sunt enim corpora, imo herbæ cum sint, sensu olfactus perciperentur. Alex. Forsitan dæmon fascinat ægrum? I. C. Nugæ: fascinatio inducitur, alterando sensus, hi autem non immutantur nisi à

remateriali: quare vtrumque ægro innotesceret; at secus est. Deinde quomodo illa tã præsto sunt dæmonibus, vt ab oriente fortassis ad occidentẽ illico transferant. Suntne dæmones Pharmacopæi, an Chirurgi, qui semper pixides varijs emplastris, ac vnguentis repletas secum deferant? ALEX. Tu igitur quid sentis? I. C. Cum in herbis, mineris, ac lapidibus variæ insint virtutes, quæ vel immediatè per manifestas qualitates corpus afficiunt, quæ calida sunt, excalefaciunt, quæ frigida, frigefaciunt; vel mediate quando in vapores resoluuntur, quæ deinde in nos agunt, vt, radix Pontica, vulgo Rheobarbarum, vbi per natiuum calorem in vapores conuersa fuerit, melancholiam expurgat: vel per occultas proprietates operantur vt magnes ferum attrahit, Adamas resistit: Saphirus fugat Anthraces, & fouet oculos, aliæque complures sint occultæ mistorum facultates, à Plinio Alberto, & Marsilio Ficino, à doctoribus de simplici medicina scribentibus recitatæ: hinc fit, vt philosophi medicamentorum, quæ tertio modo operantur, cognitionem habentes, insensibili propemodum modo valetudinem ægris cõferant: quare rustici dæmonis familiaris hæc esse opera suspicantur. Quis plebeius, si a pisciculo remora nauim secundis velis incedentem, statim detineri, & remorari conspiceret, dæmonum legionem ibi absconditam esse non assereret? Si obtupescere eum, qui arundinem à Torpedine contactam, digito at-

tigerit, rusticanus aspexerit, non ne statim ob dæmonum timorem dominico signaculo se præmuniret? Sane Galenus cum ex medicinæ scientia multa huiusmodi perficeret, dæmoniacus creditus est: Attamen ipse ex philosophorum placitis nullos dari dæmones censuit. Præterea, quemadmodum in herbis, lapidibus, & animalibus variæ insunt proprietates ad morbos profugandos, ita & vni ex hominibus eadem competere possunt. Homo namq; inter cœlestia, & terrena medius est, idcirco de vtrisque participat: hinc philosophus virtutem heroicam attribuit hominibus, qui diuinitatis sunt participes, vitia vero iis, qui belluis assimilantur: Sic aliqui dicuntur Iouiales, Saturnini, aliqui Mercuriales, prout illorum proprietatibus correspondent, aliqui leonibus, nonnulli vulpibus, aut lupis comparantur. Quare Albertus ex philosophorum sententia dicit homines gerere naturam illius animalis cui similia membra retinent. Inde homo dictus est microcosmos, quoniam tota natura tam superiorum quam inferiorum in humana comprehensa est. Qui igitur herbarum, lapidum, & animalium proprietatum aliquarum, particeps erit, morbos discutiet, atque ita Deus à plebecula acclamabitur. sunt apud nos qui Paulina gratia communitos se gloriantur: nam a serpentibus demorsos confestim curant: facultas hec à Natura omniũ gentium parente illis indita est, ideoque suborum linguâ paruulam serpentis effigiem

giem ab ipſa natura impreſſam ego aliquando adſpexi. Varias ineſſe hominibus proprietates occultas à Cœlo inditas certiſſimum eſt. Albertus narrat, in Germania duos natos eſſe pueros, qui hoc ſydereo dono circũſepti erant, vt dum hoſtijs appropinquarent, illico etſi clauſa, vltro aperirentur: quod licet Albertus vt veriſſimum affirmet, nolle credere mihi religio eſt, ne miraculum quod Petro accidiſſe credimus, quodammodo imminui videatur. Sed quid vetat áſſerere, à cæleſtibus corporibus conferri alicui facultatem ægritudines aliquas profugandi? Nonne à Chriſtianiſſimis, & inuictiſſimis Galliarum Regibus, totius orbis Dominis meritiſſimis, ſola manuum impoſitione ſtrumoſos curari pro confeſſo omnes accipiunt? Si Pyrri Epirotarum Regis digitus igne concremari nequibat, nonne toti alterius corpori poteſt hæc ineſſe poteſtas, quem ſi à flammis intactũ vulgus conſpiceret, in Diuorũ albo adſcriberet, nec immerito quidem, cùm nonniſi iuſtiſſimis viris hæc à Cœlo tribui dona æquitatis ratio perſuadeat. Alex. Acuta hæc ſunt, ſed meum non explent animum. I.C. Aliam igitur reſpõſionem adducam. Senſitiua anima quum ſenſibilium omnium ſpecies in ſe recipiat, eſt quodammodo omnia ſenſibilia, quemadmodum intellectus omnia intelligibilia. Quare cum omne ens ſit vel ſenſibile, vel intelligibile, anima noſtra vtrumque comprehendens, erit omnia: nec ſolùm ſpiritualiter (vt loquuntur) rerum ſpecies in intelle

ctu est, sed species illa realiter, vt ita dicam, rem producet in subiecto apprimè disposito; amasiæ species quæ intus est, penim attollit. Gallinæ vbi vicerint, mariũ more coitum tẽtant, cristam, & caudam erigunt, quinimo veluti gallis calcaria illis tunc suboriuntur, vt superiùs ex Aristotele, & Auicenna retulimus. Prægnantis mulieris auiditas tenerum fœtum inficit rei exoptatæ notis: imaginatio demorsi à cane rabido, canis imaginẽ in vrinam imprimit. Gulosi vbi ferculum aliquod auidè appetierint, saliuam simili sapore inficiunt. Neque solum intrà hos admirabiles effectus operabitur species, quæ in anima est, Sed etiam extrinsec⁹, scilicet in alienis corporibus. Fieri nãque potest, vt æque hæc disposita sint ad illas affectiones recipiendas: Nam veluti Titius est paratus ad aliquem morbum, ita potest esse & Caius; cumque à Titij corpore morbis obnoxio egrediantur vapores interno morbo affecti, eosdem in Caio extra, sicut in Titio intra effectus operabuntur: qui peste laborat, vapores emittit, qui alios infestant. Si Regulus spiritus eiaculatur qui homines occidunt, si ieiuni hominis anhelitus nobis obest, mulieres menstruatæ speculum conspurcant, vetulæ per spirituum emissionem pueros fascinant, quid vetat quin optimæ à natura complexionis homo possit vapores diffundere, qui valetudinẽ alicui communicẽt? Sanè cum ad Alexãdrum accedebant homines, lætabantur, & vigorem quendam

imbibebant, quia totum eius corpus optime redolebat. Imo & Galenus asseruit pulchri adolescentuli anhelitum medicinam esse optimam. Concludam igitur, vehementem imaginationem, cui spiritus & sanguis obediunt, rem mente conceptam realiter efficere, non solum intra, sed etiam extra. Ergo præpotens animæ de valetudine cogitatio poterit ægroto sanitatis aliquid impertire. quemadmodum & ægritudinis meditatio ægritudinem alijs inuehit, vt patet in fascinantibus. ALEX. At quomodo id fieri potest? I. C. Imaginatiuæ facultati spiritus & sanguis exancillantur, idcircò læta imaginatio, qualis est sanitatis amico conferendæ, hilarem generat sanguinem hilaresq; spiritus, qui per afflatum è corpore expulsi, & ad infirmum ibi propinquum delati, valetudinem illi adferre poterunt, cum enim sint optimi spiritus, vt qualitas rei ostendit, & præpotentes, vt vehemens imaginationis vis declarat, tetros atque obscuros spiritus expellent, atque ita viuificabunt, & sanitatem inducent. Quid miraris, ô Alexander, si illud herbæ efficere possunt, & aliqua brutorum cadauera, quanto magis humana anima, quę in his inferioribus principem locum obtinet. Si per syrupos & cataplasmata potest æger conualescere, quãto faciliùs per vapores ab anima (cui terrena omnia inseruiũt) sanandi virtute imbutos & ad ægrum transmissos? Spiritus immediata sunt & proxima naturę instrumenta, alia medicamẽta, emota

Spiritus sunt per se agentes, syrupi non agunt nisi per calorem ad actum reducantur: illi sunt materiæ magis expertes: isti non item: qua de causa non ita vt spiritus facile ad partes interiores accedunt. Quinimò medica pharmaca vt materiæ magis participantia, sensum violentius perturbant, ideoque multoties ægro dolorem inferunt: illi vero minimè. Vnde qui à pestifero inficiuntur, vix discernere queunt, à quibus cõtagionem attraxerint: quo fit vt celerius & ordinatè magis in spiritibus, quam in syrupis & emplastris Natura procedat. Ideo non est mirum, si Empirici, imo litterarum omnino ignari, plures ægrotos sanant quàm scientissimi medici, nam præpotentis imaginationis effectus vt plurimũ sunt in plebeis & infimæ conditionis hominibus, vt pote magis credulis. ALEX. Acutissimè quidem ratiocinaris. Sed philosophorum Principi videris mihi aduersari. In problematibus enim sic quærit. *Cur à morbis inficiuntur, qui ægrotis appropinquant, a sanis nemo sanari potest.* sicq; ipse resoluit. *An quia morbus motio est, sanitas vero quies? An quod alterum non voluntariè, alterum verò voluntariè accidit. Res autem voluntaria, à non voluntarijs quamplurimum differunt*, Et alibi, *Quam ob causam qui cum homine sano moram traxerit, nihilo reddi integriori corpore poßit, neque qui cum robustiori aut pulchriori versatur, quicquam huiusmodi proficiat, iusto autem & temperato, & bono, qui se adiunxerit, melior in his ipsis animi bonis euadit.* Sic postea resoluit. *An quoniam bona corporis*

animo immutare non possumus, bona vero animi possumus, vnusquisque autem bonus est animi virtute, sanus vero virtute corporis: exemplo melioris possumus assuescere modò nunc lætari, modò contristari: exẽplo sanioris non possumus saniores effici. I. C. Aristoteles sibi, cæterisque omnibus medicis contradicit. Sibi ipsi, vt patet ex ijs quæ adducta sunt, & præcipuè de animi affectibus: Medicis vero, quoniam ex omnium concessione animi accidentia sanitati & ægritudini maximè conferunt, vt Galenus cõprobat: quemadmodum ægro immorari cum bene habentibus propitium est, vt ait Conciliator, & vulgi fertur prouerbio, leprosi affectant cum sanis conuersari. Videtur etiam dictum hoc Aristotelis rationi & experimento è diametro repugnare, quoniam ab homine siue sano, siue ægro continuò expirant & exhalant vapores; quid igitur impedit, quĩn minus à sano homine vapores propitij exeant, quemadmodũ ab ægro nocui spiritus procedunt, & euaporant: à pueris præcipuè temperatis flatus aliquos redolentes sentimus, ipsisq; non minus quam suauibus odoribus recreamur, veluti supra de Alexandro retulimus. Et in historijs animaliũ ipsemet Art. asserit, Panteræ odore animalia mirum in modũ oblectari. ALEX. At quomodo Aristotelis rationi respondes? ea erat, quia morbus est motio, sanitas quies. I. C. Si ægritudo, non aliâ de causâ inficit alium, nisi quia motus est, quæ igitur ægritudo esset maior motus, magis inficeret, quod est falsum, nam

morbi calidi, vt febres, quæ motu nos molestant, adstantes non inficiunt. AL. Acutissimè, at illud discutiendum remanet, quomodo Vespasianus Imperator sputo cæcum illuminauit? I. C. An ille cæcus non erat, sed cæcutire sibi videbatur, vt de Damocle refert Hippocrates, & compluribus accidit ex vaporum suffusione, ob ventriculi os malè affectum. An cæcitas repentè, aut breui tempore inuasit, quia crassus humor è cerebro in opticum neruum repentè incidit, vel longiùs in pupillam prolapsus, impediuit, ne crystalloides primum videndi organum externum rerum species, atque simulachra exciperet, neue illa liberè cerneret. An à matris vtero cæcitatem deduxit? sane accidere facilè potest, vt ibidem fumi, & vaporis, crassique humoris suffusio infantis oculis aduenniat, qui eòvsque crassescant, vt visionem præpediant, pupillam omnem abtegendo: quare nihil vetat asserere, crassam illam vaporum congeriem temporis progressu diffindi, atque resolui: sanè accidens est, idque separabile. ALEX. At quomodo sanitatem illi Vespasianus impertiit? I.C. An non iste, sed vehemens cæci imaginatio valetudinē operata est? Si è Cræsi filio, quem genitrix mutum ediderat, metus vehemens, auiditasque vocem excussit, cur cæcus constanti fiducia ad Vespasianum accedens, vi imaginatiuæ facultatis tetros ab oculo humores excutere nequibit? Si ex imaginatione gallinæ calcaria veluti Gallo innascuntur, vt ex Arist. & Auic. suprà probauimus, cur

l. 5. de morb. pop. n. 31. & l. 7. n. 44.

non & cæco videndi instrumenta eadem imaginatiua facultas suppeditabit? facilius ad hoc opus natura concurrit, quia homini necessarium est, quàm ad illud quod est gallinæ superfluum. Cyppus, qui posteà electus est Rex Italiæ, dum Taurorum pugnam vehementius admirans meditaretur, in illa cura obdormiens, manè corniger repertus est, non aliunde quam virtute vegetatiua vehementi imaginatione stimulata, humores in caput eleuante, ex quibus informatrix virtus imaginatiuæ facultatis ancilla, cornua effinxit. Si potest imaginatio hominem reddere cornutum, cur non & oculatum? Si animæ vis & potestas, quæ in spumoso semine esse dicitur à philosophis, membra nobis omnia elaboratissimè architectatur, cur eadem facultas in nobis existens, vbi omnes inferiores potentias obsequentes habuerit, prout in vehementi imaginatione satis abunde habere supra ostendimus, ocellos effingere non valebit? Sanè Plinius multis exemplis confirmat, fœminas in mares mutatas fuisse: quod & suo tempore accidisse Pontanus testatur, Caietanam vnam, Emiliam alteram vtrãque nuptam in viros mutatas esse perhibet. Alex. His authoribus ego fidem non adhibeo. I. C. Nec ego Suetonio, cæterum subtillissimè iuxta & Catholicissimè hæc sunt à nobis explicata in Apologia pro Christiana Religione aduersus Atheos in expositione illorum verborum, *Non poterat Iesus signa facere propter incredulitatem eorum.* An valida, & præ-

potens Vespasiani imaginatio tam admirabile opus molita est? Si prægnãtis appetitio in naturæ dedecus superfluum digitum fætui addit, quanto facilius vehemens Vespesiani imaginatio non reluctante natura leues oculorum membranulas pauculo humore replebit? At. At mulieri materia à semine suppeditatur: Vespasiano à nemine. I.C. Imò à spiritibus imaginatiuæ facultatis ministris obsequentissimis, his autem sanguis & humores præsto sunt ad obsequium, quare & sputo eum illinisse legimus; Audi nunc, si irati hominis saliuæ contactu sana membra læduntur, cur maximè hylaris, atque in opus animũ intendentis tactione infirma non sanabuntur? Luculentissima oratione hæc pertractaui in Apologia, vbi piissimè disserui aduersus Atheos, asserentes quemadmodum è Basilisco exeunt vapores, qui hominem interficiunt, ita à Diuo Petro excandescente egredi potuit vehemens exhalatio, quæ Ananiam exanimauerit; addunt Auicennæ dictum: ad validã alicuius imaginationẽ cadit Camelus: asserunt illi etiam ex Apollonidis, & Philarchi testimonio fœminas magas fuisse apud Schytas, Illyricos, & Triballos. hæ iratæ quem aspexerant, interimebant. Sed hæc argumenta ibi reiecimus. An asseram, Cælorum motrices Intelligentias curare hæc inferiora, maximè Reges, quare vt ab omnibus deuenerentur, vel Maiestatem in vultu, vt obseruauit Agrippa, vel mira cooperandi facultatem eis partiũtur. Ranis perstrepentibus Augustus Cæ-

ſar ſilentium indixit, atque ilico conticuere, vt in illius vita Suetonius ſcribit. Quid vetera exempla adducam, ſi noua præſto ſunt: totam Galliam hîc appello, voco teſtem Hiſpaniam: liberè fatentur, Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus, inter quos omnibus Regum omnium circumfultus virtutibus Ludouicus XIII. veluti Sol emicat, atque ſplendeſcit, diuinitus inditam eſſe poteſtatē ad ſtrumas è corporibus propellendas. An ſidera oculis vidēdi aciem conferre poſſint, nemo eſt, qui abneget: agunt enim ipſa in hæc inferiora, neque oculos tantum, ſed membra omnia effingunt, quare dicebat philoſophus, à Sole & homine generari hominem? A l ex. Legi apud Cardanum hæc verba. *Philoſophi multa dicunt, quibus ipſi fidem non adhibent*: quæſo mihi adaperias quid, diſputationum ambagibus omiſſis, de his omnibus ſentias? I. C. Cum Theologiæ operam dabam, cēſui, Dæmonem in cæco, & claudo aliquos appoſuiſſe obices quominus ille videret, hic obambularet, vt cū poſtea corā toto populo ad Veſpaſiani preces impedire deſierit, pro miraculo haberetur, atq; ita plebs in idololatria perſiſtens, in interitum rueret. Nunc aliter cenſeo. Veſpaſianus cùm Religione dominia conſeruari, & augeri intelligeret, Numæ Pōpilij præſertim & Romuli exemplo edoctus, vt maiori in veneratione à ſubditis haberetur, diuina poteſtate ſe communitum fingere uſus eſt, quare duos è ſubiectis deprecatum eſſe ſuſpicor, imò & pecu-

nia data coegisse (*Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?*) Vt vnus cœcum se simularet, claudum alter, & coram populo ad Imperatorem accederent, sanitatem deprecãtes, & postmodum curatos se prædicarẽt. ALEX. Veh illis, qui animam suam venalem habuerunt. I. C. Veh illis (inquit Machiauellus) quia proculdubio Imperator veneno necandos demandabit, vt omnem prorsus fraudis detegendæ timorem è pectore suo adimat. Sic impius Mahumetus socio persuasit, vt in foueam delitesceret, vt cùm ipse magna stipatus caterua eo aduenerit, has ederet voces. *Ego Deus vobis omnibus testor, Mahumetum super omnes gentes à me prophetam magnum constitutum*, atque ita ex animo successit. Sed metuens, ne conficta fabella detegeretur, ad populum iam fascinatum conuersus, Dei nomine illi dedit in mandatis, vt quemadmodum Iacobus lapidem erexit in loco vbi Deus apparuit, sic illi singuli in puteũ illum deuotionis ergo lapidem proijcerent, & sic miser ille lapidibus obrutus interijt, atque ita illi lapides Mahumeticæ Sectæ fundamenta extiterunt adeò firma vt per mille annos in suo robore & augmento fuerit, nec ruinæ adhuc vllum appareat inditium. ALEX. Procul abeant hæc Atheorum monstra à te veritatis Hercule debellata: meque doceas rogo, quomodo vnus Pyrri digitus igni non erat obnoxius? I. C. Forsitan vnguento aliquo eum obliniebat, cuius vi ab igne illæsus custodiebatur. An ex occulta nobis proprietate id ei

competebat, quemadmodum nec Salamandra prunis iniecta accenditur. An à syderibus Religiosissimo Principi illud concessum erat beneficium, vt maiori reuerentia coleretur à subditis, qui incorruptibilitatis, atque diuinitatis siguaculum in illo conspicerent. Alex. At quid censes de Marsis qui tangunt serpētes veluti nos passerulos. I.C. Quia (inquit Fracastorius) aliqua est inter eos similitudo. Alex. Idem censuit Pomponatius. I.C. Decepti sunt hi Philosophi: nam simile à simili non læditur, at saliua Marsi torpere faciunt serpentes, vt præfati Doctores asserunt. Præterea Psylli cæteris nocerent hominibus, quod secus est, nam à serpēte demorsis opitulari se apud stolidam plebeculam iactitant. Al. Imò verè affirmant, nam & viuos serpentes deuorant. I.C. Etiam Ciconia & mustella origani esu munitæ, serpentes in prolobum illesæ demittunt: impostores Itali circulatores nonnisi varijs cibis repleto stomacho, illos comedūt, mox à circulo domum se conferunt & butyro, vel oleo imbibito, omnia euomunt, antequā vitales partes veneni vis attigerit. Al. At ego per totum diem consultò obseruaui eos ab assumpta colubrina carne, & nihil euomuerunt. I.C. Forsitan vomitione opus non fuit, quia serpentes veneni erant expertes. Al. Imo venenosas viperas deuorarunt. I.C. In humido loco per multos dies eas reseruant, quare multum detrimenti patiantur necesse est, vt pote quæ siccæ admodum sunt: insuper per

Fracast. in l. de symph.
Pompon. in l. de incant. c. 4.

multos dies eis cibum denegãt, vt interim natiuus calor, qui otiosus esse nequit, proprium venenum in cibum assumat; An ab infantia assueti sunt serpentibus deglutiẽdis, quare connaturalis factus est eis cibus, & minimè insalubris, vt de Cleopatra, & alijs historici referunt. An Theriacæ, vel Mytridatij paululũ antea assumunt, atque ita venenum pellunt. AL. At quomodo Theriaca cum sit ex veneno cõposita, venenum expellit? I.C. Non solum ex veneno conficitur, sed ex ijs etiam quæ veneno aduersentur. ALEX. At cur additum est venenum? I. C. Vt peculiari similitudine cognatum venenum appeteret, cumque eo se inuolueret, atque ei afferret id quod ipsum vel expelleret, vel extingueret. ALEX. Profecto opportuna nunc mihi occasio suggeritur, vt quæ diu me torsit, eam nunc dissoluendam proponam quæstionem. I. C. Quænam illa est? ALEX. Cur Phalangij (quod quidem animal à Tarento vrbe Tarentula dicitur) morsu qui læsi sunt, Musica ad saltandum incitantur, adeo vt spectatorum lassent oculos? IVL. CÆS. An quia (de Saullis furore qui Dauidicæ cytaræ dulcedine subsederit, non loquor) sedatur interea dolor. ALEX. cur id euenit I.C. Quia motu venenum à corde reuellitur, atque aliorsum diffunditur, & à sensu mali mens amouetur, quare sublata Musica, non continuò, sed pedetentim morbus redintegrascit: Repetitâ, aboletur. ALEX. At cur morbus hic Musica tãdẽ

dem diſcutitur? I.C. An quia illius animalculi venenum ſpiritus ad intima contrahit, qui è contrario à Muſica incitantur, vt in equis & pueris videre licet. An rectiùs dicemus Muſicâ non curari, ſed ſaltationis, quæ à Muſicâ incitatur, labore: quamobrem iſtud venenum quodquidem frigidiſſimum eſt, ſudore tum vinci, tum expelli fidenter aſſeuerabimus: Eâ de cauſâ, apud Platonem legimus in Phædone, omne ſaltus genus Socrati prohibitum fuiſſe, ne cicutæ vis motu & calore obtunderetur. Alex. At cur à Tarentula morſi, alij ſopore occupantur, alij perpetuis vigilijs diſtrahuntur, flent alij, alij rident, quidam currunt, nonnulli inertes ſedent, ſunt qui ſudent, qui vomant, qui deniqui inſaniant: Quapropter Apuli arbitrantur, quot in hebdomade ſunt dies, tot eſſe noxarum ſpecies à beſtiolâ illatarum? I.C. An Tarentularum tot ſunt ſpecies, quot hîc agnoſcuntur accidẽtia? An quemadmodum ebrietas non vnius eſt modi, ſed ſuâ quiſque pro natura, & inſtituto flent, rident, ſilent, blatterant, dormiunt, diſcurrunt, Ita ex hoc morſu euenit? Alex. At quamobrem complures, qui ab illo veneno conualuiſſe videntur, cũ redit anni dies, in quo morſi fuerunt, iterum ægrotant? I.C. An ſi hoc verum eſt, ex ſyderei influxus ſimilitudine id accidit, quam ob cauſam herbæ ſunt nonnullæ qui ſimili die ſemper effloreſcũt; vt nuces quaſdam in 24. die menſis Iunij frondes emittere Cardanus obſeruauit? An ex in-

trinseca Tarentulæ natura id prouenit: quemadmodum febris colerica semel in tribus diebus continuâ successione diuexat, febris autē ex atra bile semel in quatuor. ALEX. At cur quandiu Phalangium superuixerit, agitatur qui ab eo morsus est: eo verò mortuo, hic conualescit? I. C. An ad Græcam fidem hæc pertinent, cum multis curentur Antidotis, vnum illud nobilissimum duco (Ignoscite Pontificij Canones Presbytero medica scribenti.) Aristolochiæ rotōdæ, Mithridati an. ℥.ij. Terræ sigillatæ ℥.ß. Muscas quæ de Napelli frondibus victum capiūt duodeuiginti, succi citri quantum satis. An, si verum est quod Apuli coloni vociferantur, Phalangij proprietatem eam esse dicemus, vt ipse eiusque morsus pari vitæ periodo terminentur, quoniam ab eadem foueantur constellatione. Et quid mirum, cum apud Suetonium legamus, in ortu cuiusuis Imperatoris ab Augusto descendentis nasci solitam laurum, quæ semper crescebat donec Imperator in viuis erat: hoc defuncto, illa quoque interibat. Addamus hic nobilissimā historiam, & difficillimi problematis solutionem. Mense Martio Lugduni cum essem, accepi à nonnullis amicis, pedissequum in diuersoriolo perblandè à Caupone exceptum, qui cum deinde triginta solidos pro cœnula exposceret, egregium nebulonem illum ad iram commouit, quare statim cauponi vale dixit, ascenditque cubiculum, & clausis ianuis, nescio quid in fictili vasculo apponere vi-

ſus eſt, & ſuffumigationibus impleta domo, abijt. cōſcendit dehinc famulus, vt inſpiceret an aliquid ille ſurripuiſſet, ſed ſtatim ſaltare incepit; quinimo cuncti, qui illuc introibant, ad idem impellebantur. Huius rei cauſam dæmonum arti omnes referebant, non modo Catholici, ſed & etiam Huguenoti. Iulius vero Cæſar irridebat huiuſmodi aniles fabellas, & naturali cauſæ omnia adſcribebat. Credendum enim eſt pediſſequum illum exſiccati Phalangij puluerem habuiſſe: Eamque vino infundiſſe. qui primus aſcendit hoſpitiolum, illius vini hauſtum aſſumpſit, moxque à ſede proſiluit. Si igitur Tarentulæ morſus ad ſaltandum incitat, cur illius exuſti puluis vino dilutus idem non operabitur? ALEX. At tu aſſeris, omnes illuc introeuntes, præſultaſſe, cum tamen omnes vinum illud non prægustauerint. I. C. Nebulonem illum ſuffumigia feciſſe in cauponiola dicebant, proculdubio ex phalangij pulueribus, & feneſtras clauſit, ne fumus egrederetur: quare eò accedentes, cum viderent puerum ſalientem, obſtupebant, atque ita aperto ore, vt mos eſt attonitis, ſtabant aliquandiu (quod ideo fit, quia vndique attrahit anima ſpiritus ad nouitatis illius cauſam inueſtigandam) atque ita vapores illos attraxerunt, ac propterea omnes in illa ſaltatoria domu ad ſaliēdum excitabantur. etiā canicula aderat ſaltatricula: nec mirū, cū & minimos peſtiferi corpuſculi vapores anhelitu attractos, non modo familiā inte-

gram, ſed ampliſſimas vrbes conflictatas fuiſſe ad interitum, apud hiſtoricos legimus :vt ſubticeam venenum illud à neſcio quibuſdam veneficis circulatoribus fabricatum, quod ſolo afflatu homines interimit. In Germania noui Catholicum virum, qui in maiori hebdomada publicas non adibat Eccleſias , ſed in priuato ſacello ſacris intererat, quia tunc Chriſtiani mæſti ſunt, & melancolicos edunt afflatus, & ſuſpiria:his igitur tetris vaporibus repletum Templum ille non ingrediebatur,ne conſimiles tetros vapores inde attraheret, qui ipſum ad melancoliam diſponerent. Quid miraris? nonne experimento comprobatum eſt, in rabiem verti illum, qui ſub arbore à rabido cane demorſâ iacuerit. quod aliunde prouenire nequit,quàm a vaporibus,qui ex ea arbore exhalant, quare ad viatorem præ labore defeſſum, atque ideo poros habentem apertos,delati,atque interno motu excalefacti, idem efficient quod rabiei ſeminaria : pariter de phalangij pulueribus ſuffumigatis philoſophandum duxi. ALEX. Dij tibi ignoſcant. I. C. Quod commiſi crimen? ALEX. Cum rabidi canis mentionem feciſti,ſubito mihi venit in mentem cuiuſdam anicularum ſuperſtitionis, quæ recitatis quibuſdam magicis incantationibus,à cane demorſos curant. I.C. Nugæ ſunt,nullam habent excantationes illæ omnes virtutem aliam quàm immutandi auditum,& incautos decipiendi. ALEX. At quomodo igitur curati ſunt? I.C. Non vere demorſi erant, qui huiuſmodi

præcularum

præculatum auxilio conualuisse censentur. *Videtur enim* (Inquit Cardanus in libro de rerum varietate.) *Rabies primum quandoque falsa cum miseri canes in fugam acti pro rabidis habentur: atque ita seruari à rabie, quæ tamen nulla est, frustra creduntur. Ipsi vero canes etiam rabidi quosdam afficiunt, quosdam non. Et hoc multis ex causis, aut quia exigua est, atque ita paratos afficit, vt puta ieiunum, & iratum, aliorum neminem: aut quia cum quadam sit proprietas non satis manifesta, non omnes afficere potest: aut quia in aliquibus hominibus quædam sunt proprietates, huiusmodi veneno minimè obnoxiæ velusi in cæteris animalibus: muli enim à canibus rabidis morsi, facile corripiuntur, non ita anseres; Ita hominum natura huic vel illi animanti similis conspicitur, aut huic homines nonnulli contraria natura sunt, velut humidiores non afficiuntur ita: vnde rarißimi, imo nulli, quos viderim, infantes rabie corripiuntur, neque fortes vt timidi, neque qui purgationes habent consuetas: aut ex vulneris qualitate, vbi enim multus defluxerit sanguis, spuma illa cum sanguine simul exit, & si vulnus amplum existat. aut si vni in carnosa parte, alteri in neruosa: vel ex syderum varia constitutione: vel quia affectus in cane nondum est plene confirmatus, vel iam minui ob vitæ imbecillitatem incipit: aut ob varietatem auxiliorum: Nimis longum esset, si cuncta referre velim. Itaque multis modis contigit hunc effectum frustrari, cum videamus ab vno cane rabido plures quandoque quàm centum alijs similiter ra-*

bidis demorsos interire : vt quasi fatale videatur homini illi , qui rabie correptus interierit. Quod si pro ratione numeri rabidorum canum, homines interirent , non adeo pauci hoc morbo succumberent. Sed cum tam multi euadant, & medicinæ & superstitioni , & miraculo locus amplißimus datus est. ALEX. At quî fit , vt in Apulia vbi quis à Cane obmordetur , statim postquam Diui Viti templum non longe distans à celeberrima vrbe Bario,adiuit,conualescat? I.C. Non inficior , hæc & maiora à Deo beneficia sanctum illum obtinere posse :mirabilis enim dicitur Deus in sanctis suis: Cum tamen Romana Ecclesia nihil super hoc definierit, vereor ne conficta fabella sit. ALEX. At duos sic curatos esse mihi relatum est. I.C. Ecclesia illa cum sit ad maris littus posita, verisimile est marina aqua lauari vulnus,atque ita virus eluitur,nec non aquæ metus , quo illi miseri percuti solent , prorsus eximitur , & bibendo rectè se habent : infirmitas enim illa in sicco consistit. canis in rabiem agitur à fame,atra bile,inuidentia, & fide,quæ omnia in illo inducunt vehementem spirituum agitationem , ac proinde siccitatem, qua sanguis exustus atque accensus, ad iram eum commouet ;hinc fit vt Sole feruido ,vel Caniculæ ardoribus rabiei sit obnoxius : Quam ob caussam Oceani accolas demorsos à cane rabioso certatim ad mare currere vidi Flessingiæ cùm essem. ALEX. Illud est mirum , si a siccitate

ortum capessit, rabies, cur a cane rabido morsi, aquam reformidant, atque tunc incurabilem esse morbum censuit Card. Iuxta illud Ouid.

Nec formidatis vlla medetur aquis.

I.C. Forsitan Catulorum species in aquis eorũ oculis occurrit? AL. Hac de re à me interrogatus ægrotus, negauit se quicquam in aqua conspicere: eam tamen exhorrebat. I.C. An quemadmodum alij morbi eduliorum quorundam abominationem inducunt propter stomachi, siue linguæ indispositionem, ita rabie afflictis accidit. ALEX. Non est verisimile, sitiunt enim, humida expetunt, & si pertimescant. I.C. An quemadmodũ phantasia aliquarum rerum memoriam exitat, quæ timorem solent incutere, ita & in rabie contingit? sanè vbi canis in rabiem concitatur, præ sanguinis æstu extumescente lingua ac neruo, qui illi subditus est, os spuma exitiali ac contagiosa saliua redundat, quæ contactu inficit dilaceratam cutem: morsus igitur cum reminiscuntur, extimescunt, vt pote quia ab eo conflictantur, caninæ ergo spumæ quoque memoria erit timoris, quippe eà læsi fuere: & quoniam aqua idæa spumæ est, ideò fit illis reminiscentiæ obiectum atque timoris.

DIALOGVS LVIII.

De Mortuorum Resurrectione.

ALEX.

AT quomodo eludere poteris tot defunctorum Resurrectiones, quę sub Ethnicorum Lege acciderunt? Alcestim Peliæ filiam, & Admeti Phæreorum Regis coniugem è mortuis ad vitam reduxit Hercules. Erichtho Thessalica malefica ad vitam reuocauit militem recenter occisum, qui Pharsalici belli euentum Sexto Pompeio prædixit. Apollonius Thyaneus emortuam puellam vitæ restituit. Zacla Ægyptius sacrificulus mortuum cadauer resurrexit. nonne Auiolam virum consularem, L. Lamiam, Cœlium Tuberonem, Corfidium, Gabienum, & plerosq; alios defunctos resurrexisse Plinius attestatur? similiter Æsopum fabulatorem, Tindoreum, Herculem, atque Palicos Iouis, & Taliæ filios demortuos iterum reuixisse legimus. Quid immoror? in Phygalia Arcadiæ vrbe complures erant sacerdotes, animarum quæ vita functæ essent, auocatores. Quid plura? nonne diuinus Plato refert, Phæreum Pamphilium inter eos, qui acie ceciderant, decem diebus iacuisse, biduoque post-

quam sublatus esset, Rogo impositū superuixisse. I.C. Lucianus responderet, fabulosas esse has narratiunculas à mēdacibus græculis excogitatas, & ab hippocriticis Platonicis sanctitatis fuco depictas : sanè Plato eò loci Socratem plebem instruentem confingit. Al. At quomodo hos diuinos viros contumelijs, & iurgijs lædere non verecundaris? I.C. Quam in ipsis agnoscis diuinitatem? Alex. Plato pro animorum immortalitate aduersus complures philosophos dimicauit. I.C. Etiam auiculæ huius animulam ab interitu vindicabat. Al. At Socrates fuit vir integerrimus. I.C. Ipse posteros docuit, expedire Reipublicæ, vt plebs confictis prodigijs in Religione decipiatur. Alex. Imo in Deorum detestationem pro veritatis tutela mori non dubitauit. I.C. Ita est: at non pro Religionis Zelo: sed vt contumeliam effugeret, risui namque se exposuisset, si in illo constantiæ, & fortudinis Seculo ob pœnarum formidinem ab incepto desistere voluisset. & fortassis Athenienses inquisitores eius palinodiam non admiserunt. Alex. Alia tibi excogitanda ratio est. I.C. Superstitiosorum hominum opinioni, qui ad Dæmones hæc referunt, non subscribam, donec adesse Dæmones naturali ratione mihi probauerint. Alex. Quid si scientia Necromantica hæc operata est? sanè animæ (inquiunt Platonici) post mortem adhuc relicta corpora diligunt, maximè quæ debita sepultura carent, & quæ suum corpus violenta morte dereliquerunt & adhuc in turbido illo,

humidoque ſpiritu circa cadauera oberrant tãquam circa cognatum aliquod eas alliciens: quare Philoſophi agnoſcentes ex defuncti moribus, illius animæ affectus & proprietates, per conſimiles vapores, liquores, nidoreſque facile ad vitam euocare poterunt: hinc apud Homerum Cyrces docet Vliſſem, ouis, lacte, melle, oleo, vino, aqua, farina &c. animas ad corpora inuitari. I C. Hæc ſi vera eſſent, perditiſſimã neqniſſimi nebulonis Henrici Syluij animã ad ſubtriſte cadauer blantijs ejus impudicus amaſius attraxiſſet, dũ illotis à ventris exoneratione manibus, illius mẽbra pertractabat. Cur Germanorum animas iterum corpori non reſtituit gratiſſimus illis vini odor, quo tota funebris domus, imo & ipſe loculus vbertim affuſus eſt? Alex. Tuus Pomponatius quid cenſuit? I.C. Non eſſe à veritate alienum, vt nouus legifer mortuos viuificet, hæc enim illi à ſyderibus facultas concedi poteſt. Alex. Thyaneus mortuos reſurrexit: ſyderibus tamen inuiſus erat: quod ex eo abundè colligere licet, nam illius lex vix exorta, interijt. I.C. Reſpondent Athei, illud accidiſſe, propterea quod paupertatem (quam ipſe mirum in modum excoluit: ſanè ingentẽ auri copiã in mari ptoieciſſe fertur, inquiẽs, *peſſundo diuitias, ne peſſundarab illis*) diſcipulis cõmẽdauit, at *vbi paupertas* (inquit Cardanº) *& cõtemptus, nullus ordo perpetuus, ſed omnes eò diuturniores, quò potentiores.* Al. Hæc in Amphith. ſcitiſſimè confutaſti. Sed quid Arabes Philoſophi de mortuorum Reſurrectione ſenſerunt?

l. 4. in Ptol de Aſtror iud c. 46. fol. 687.

I.C. Posse nonnullos homines eleuare se supra corporis vires, atque ita Cœli, & intelligentiarum perfectione adepta, diuinum vigorem & supra inferiores animas Principatum acquirere: quare defunctorum animæ vt minus perfectæ illis obtemperare cogentur, ac propterea ad illarum mandatum cadaueris domicilium non recusabunt. ALEX. Fabulæ hę sunt. I.C. Et fabulas adhuc excipies. Adsunt nonnulli, qui Peripatheticum axioma *à Priuatione ad habitum non datur regressus*, reijcientes, tribus modis defunctis vitam restitui posse affirmant. AL. Amabò enarra illos. I. C. Primus est, nonnullarum herbarum succis defuncto adhibitis. AL. *Pensate voi.* I. C. Pliniano testimonio communitos se prædicant: sic enim ille scripsit, *Xantus Historiarum author in prima earum tradidit occisum Draconis catulum, reuocatum ad vitam à parente herba, quam Balim nominat: eademque Tillonem quem Draco occiderat, restitutum saluti, & Iuba in Arabia herba reuocatum ad vitam hominem tradit* Plin l 25 c. 2 ALEX. At subdit Plinius. *Quæ & si fide careant, admirationem tamen implent* Sed qualis nam erat alius fabulosus resurgendi modus? I. C. Sic inquiunt: omnis anima (vt sacer Hæbreorum codex affirmat) in sanguine est, igitur nonnisi à sanguinis absentia, vel vitio mors accersitur, cui occurrere possumus, venas aperiendo, atque eis, marcido liquore expresso, calidum, & viuificum sanguinem infundendo. AL. O absurdum absurdissimorum. I.C. Viuentium afflatu mortuos reuiuiscere posse, nonnulli existimant,

non secus atque mustela interempta, spiritu, & voce parentis in vitam reuocatur: & Leones inanimem partum inhalando viuificant. ALEX. non hæc mihi probantur: Tuam modò, si placet, sententiam adducas. I.C. E mortuis resurrexisse credo illos duntaxat, quos sacra pagina, & Ecclesiasticæ historiæ Pontificijs confirmatæ decretis comemorant: Cæterum quos tu supra retulisti, non verè mortuos, sed morbo aliquo correptos fuisse arbitror ALEX. At qui morbi ementitam mortem inferre possunt? I.C. Ecstasis, lethargus, casus ab alto loco, sincope, vteri strangulatio, apoplexia, & epilepsia. AL. Cur ecstasim morbum appellas? cùm sanctissimis viris à Deo concedi Platonici affirment. eius causa est (inquiunt) continua sublimiorum contemplatio, quæ à sensibilibus & à corporis penso animum seuocat, & profundissima mentis intentione incorporeæ sapientiæ coniungit; cumque ad illum gradum peruenerit, qui est contemplatiuæ perfectionis supremus, tunc rapitur ab omnibus creatis speciebus, & intelligit non per species acquisitas, sed per inspectionem ad ideas, in quarum lumine omnia agnoscit: ideò ecstatici multa vera prædicunt. Hæc Platonici. I.C. quanto rectius Galenus ecstasim appellauit insaniam, & si non diu perseuerantem. est autem ecstasis priuatio officiorũ animæ sentientis, mouentis, & intelligentis. immoti manent ecstatici, ac potius rigent, transfixi non sentiũt. Aurelius Augustinus de quodam Calamẽsi Sacerdote, qui ecstasi corripiebatur,

ita ſcribit. *Iacebat ſimillimus mortuo ſine anhelitu, & cum vreretur, & ſecaretur, non ſentiebat* ALEX. Vnde id contigit? I. C. Forſitan ſumma rei aliuius admiratione anima capiebatur, ideò ad eius cauſam inueſtigandam omnes auocauit ſpiritus, qui ignaui, & ſtupidi cùm eſſent, ad vlteriorem intellectionem non progrediebantur; quare inſipientes vt plurimum & mulierculæ ecſtaſi laborant: Sæpiſſimè vero ſtolidi Turcharum monachi, vt hiſtorici referunt. ALEX. De lethargo nunc diſſeras. IVL. CÆS. Soporoſum huuc effectum, qui inexpugnabilis penè ſomni neceſſitas dicitur, efficit frigida cerebri intemperies, quę non ſimplex eſt, ſed ex humoris frigidi , pituitoſique copia, quam putredo inuadẽs, febrem accerſat, & lethargus excitatur: mortuis non abſimiles hi videntur, ſanè mortis imago dicitur ſomnus. AL. At per quod tẽporis ſpatium lethargici ſuperſtites eſſe poſſunt? I. C. Puerum æſtu, & itinere defeſſum, ſeptem & quinquaginta annos dormiuiſſe teſtatur Plinius. totidem annis (vt ferunt) Epimenides Gnoſius in ſpelunca quadam obdormiuit; Hinc ſomnolentis obijcere ſolemus illud Adagium *Plus Epimenide dormis*. Nota eſt omnibus de ſeptem dormientibus hiſtoria, quę annos centum, & nonaginta ſex illos in ſopore detentos refert. in Noruegia ſub eminenti litore adeſt antrum, vbi, & Paulus diaconus , & Methodius Martyr ſcribuut, ſeptemuiros diuturno ſomno oppreſſos diutiſſimè iacuiſſe. Narrat M. Damaſcenus, ſuo tempore in Ger-

mania rusticum quendam labore defatigatum sub fæneo tumulo per totum autumnum, & insequentē hyemem continuo dormiuisse, donec æstate, colliculo paulatim à colonis demolito, experrectus, tanquam semimortuus inuentus est: illud autem pro certo accipiūt omnes, vrsos, glyres, crocodilos, & plerosque serpentes per totam hyemem obdormire adeò profunde, vt Agrippa dixerit, *ego sæpe vidi dissectum glyrē immobilem manere, tanquam mortuum, donec concoqueretur, atque tunc primum in bulienti aqua dissecta membra vitam demonstrasse.* ALEX. Illud ego demiror, quî fieri possit, vt tam longo tēpore sine alimento viuant? I.C. Perpusillus est eis calor, maximè in hyeme, & ingens pinguis humidi copia, quare silens tunc temporis caloris vis, crassum illud & glutinosum humidum, quod propterea resolutioni resistit, lentè carpit, ideò non est opus supplemēto: tenuitate nāque & crassitie oppleti, ac obstructi cum sint meatus, illi crassæ substantiæ denegatur effluxus, nec per insensilem transpirationem in auras abire valet. AL. Acuté ratiocinaris: sed illud me edoceas, quomodo hæc animalia hiberno sōno pinguescant? profectò in maiori mole plus materiæ inesse videtur, at nulla eis extrinsecus cibi materia suppeditatur. I.C. Pinguescunt, non quia verè nutriantur, sed quia illorum partes crassiores attenuantur à calore naturali, qui per id tempus est modicus, atque etiam intra modum: ideò non resoluere, sed potius dissoluere potest, & propterea illarūm partium mutatio

L. 1 de occult. Ph. 1. 88. fol. 90.

contingit in aqueum aëreum, atque illa dilatatione turgent. ALEX. Diuinissimè: sed quomodo asserebas, illos, qui ex alto loco ceciderint, quasi mortuos iacere stupidos, & attonitos? I. C. Reuerendissimus Gregorius Spinola Theologus Carmelita Genuæ mihi retulit, ipsum annis elapsis ex alta fenestra cõcidisse, & per diem integrum omnes sensuum facultates ab opere vacasse. nec apertis oculis videbat, nec ferreos medicorum ictus persentiebat. Causa fuit, quia perculsis spiritibus, ac in intimos cordis sinus receptis, animam à suis functionibus absistere necessum erat. Agitatis & commotis spiritibus (asserebat ille vir ingeniosissimus) nullam rectè actionem edere poteram, ideò perturbatus subsistebam. insuper concussionis vi, & impetu depressa calua meninges cerebrique ventriculos & meatus premebat, quare sensus atque sermonis expers obstupescebam. ALEX. Quid de vteri strangulatione? I. C. E putrida illa vteri lacuna fœtidi vapores exhalantes, ad cerebrum deferuntur, à quo animales facultates cùm dependeant, mirum non est, si, ipso à venenatis vaporibus oppleto, reliquæ facultates consopitæ maneant. ALEX. At quid syncopes est? I. C. Præceps virium lapsus. ALEX. Quomodo dignoscitur? I. C. In hac arteriarum pulsus aut nullus est, aut extremè rarus, & obscurus: corporis summa frigent, tempora, ceruix, & thorax frigido sudore mandent: facies pallet: totumque corpus quasi eneruatum ia-

cet, mens, omnisque sensus deficit? AL. Quæ syncopem inferunt? I. C. Sæua animi pathemata, vt timor grauis, voluptas maxima, mæstitia fortis, dolor atrox, labor, inedia, vacuatio immodica, & quæcunque calorem natiuum, spiritusque dissoluunt, atque diripiunt. cuiusmodi causi sunt, febres magnæ, & ardentes, & malignæ. Syncopen etiam inducit grauis offensa in os ventriculi, est enim hoc eximij sensus, & cordi vicinum, imprimisque consentiens. Idem præstat inflammatio, erysipelas, & à bile compunctio, & venenatus humor, siue illic inhærescat, siue in crure, vel in bubone vel in quouis viscere conclusus, tetrum de se vaporem in ipsum ventriculi os, in cor eructet, exhaletq;. ALEX. Quid Apoplexia? I. C. Est repentina motus, & sensus, omnisque animalis functionis priuatio. ALEX. Causa morbi huius in quo consistit? I. C. In cerebro omnis motus atq; sensus cõmuni principio. AL. At quæ nam illa causa est? I. C. Crassior, frigidiorque pituita. ALEX. Quomodo hæc apoplexiam infert? I. C. Dum omnes cerebri ventriculos affatim, & vniuersim implet: aut dum minimũ quiddam retis admirabilis arterias, per quas spiritus ex corde in cerebri sinus influit, repente obstruit, aut coarctat. ALEX. Quid inde detrimenti nanciscitur animal? I. C. Sinus influente spiritu destituti, nihil deinceps suppeditare possunt sensuum, motuumque neruis, moxque necesse est animal collabatur. ALEX. De Epilepsia nunc aliqua. I. C. Veteres cùm pro-

ximè adſtantes tam ſubito miſeros conuelli, proſternique viderent, in peculiares Diuos morbum comitialem, ſeu Herculeum, reluctante Hippocrate, referebant. ALEX. Apud Chriſtianiſſimum etiam populum hæc inoleuit perſuaſio: tota namque Gallia Diuo Ioanni Chriſti præconi hunc morbum aſſignat, quare ex illius Diui nomine nuncupatur, *le mal ſainct Jean*. I.C. Non illorum ſimplicitati ego inſulto, ſed temerariam opinionem illam eorum animis eximendam cuperem. ALEX. Quid ad te? I.C. Si quis epilepſiacum in terra proſtratum, os rabidum ac diſtortum, genas inflatas, buccas humore, ſpumaque turgidas habentem conſpexerit, exhorreſcit, & ab iratis Diis calamitatem hanc inferri exiſtimās, immutabilem illorū voluntatē ſuperſtitioſis preculis immutare credit, atq; ita ſpretis Medicorū præſcriptis, miſer æger affligitur, & ſæpè, deuotionis ergo ſepulchro deſtinatur, antequam anima in auras prorſus euanuit. At vbi morbū hūc in naturales cauſas referendum eſſe intelligent, aliquod lenimen doloris, medelamque afferre curabunt. ALEX. Poſtquam tanta adiuuandi proximos naturalis in te reſidet pietas, efficias rogo, vt morbi huius cauſæ nobis innoteſcant. I.C. Heus pueri, Hippocratis de morbo ſacro libellum huc adducite. TARSIVS. Modò profecto ipſe eſt. I.C. Quomodo hæ tuæ manus tam cito veritatis teſtes adinuenerunt? Quid rides? Perlegas in ſectione ſeptima. TARS. *Quo verò modo, & ex qua cauſſa fiat morbus ſacer*

ego manifeste docebo. Cerebrum hominis duplex est, quemadmodum etiam alijs omnibus animalibus: Medium autem ipsius diuidit membrana tenuis. Qua propter non semper eandem capitis partem dolet, sed particulatim vtramuis, aliquando verò totum. Sed & venæ in ipsum tendunt ex vniuerso corpore multæ & tenues: duæ verò crassæ, altera ab hepate, altera de liene. Et quæ quidem ab hepate venit, hoc modo se habet. Altera quidem venæ pars deorsum tendit, per partes ad dextram, iuxta ipsum renem ac lumbum, ad internam femoris partem, & descendit in pedem, & vocatur vena caua. Altera verò sursum tendit per venas dextras ac pulmonem. Finditur autem & in cor, & in brachium dextrum. Reliquum verò sursum fertur per clauiculam in dextram ceruicis partem, ad ipsam cutem, vt conspicua fiat. Iuxta aurem verò occultatur, atque hic finditur. Et crassissima quidem ac maxima & cauissima ipsius pars, in cerebrum desinit: alia vero pars in aurem dextram, quæ sanè venula tenuis est: alia autem in oculum dextrum, alia in ipsum nasum. Atque sic quidem venæ ab hepate habent. Tendit autem & à liene vena in sinistra sursum ac deorsum, velut ab hepate, verum tenuior & imbecillior. Cæterùm in has venas etiam spiritus copiam inducimus. Hæ enim corporis nostri respirationes sunt, aërem in seipsas trahentes, & in reliquum corpus ac venulas deriuantes, refrigerantque ac rursus dimittunt. Non enim possibile est spiritum stare, sed procedit sursum ac deorsum. Si enim alicubi constiterit ac interceptus fuerit impotens redditur illa pars vbi constiterit. Cuius rei signum hoc est: Quum enim desidenti aut decumbenti

venulæ compressæ fuerint, ut spiritus à vena non discurrat, statim torpor occupat. Et de venis quidem reliquis sic habet. At vero morbus ipse fit in pituitosis, in biliosis vero non. Incipit autem fieri in fœtu adhuc in utero existente: Purgatur enim & floreſcit cerebrum, velut etiam aliæ partes prius quàm gignantur. In hac autem purgatione, si quidem probe ac moderate purgatum fuerit, & neque plus neque minus quàm oportet defluxerit, hic fœtus saniſsimum caput habebit. Si autem amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit, morbosum caput augeſcens fœtus habebit, & sonitu plenum, & neque Solem, neque frigus tolerabit. Si vero ab una aliqua parte colliquatio contigerit, aut ab oculo, aut ab ore, aut vena aliqua simul gracilus facta fuerit, ille sic afficitur qualiter sanè colliquatio contigerit. Si vero purgatio non contingat, sed in cerebro spiſsetur ac cogatur, sic necesse est fœtus pituitosos esse. Et quibuscunque quidem pueris existentibus erumpunt ulcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui saliuosi fiunt ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillime degunt: hic enim abit ac purgatur pituita, quam in utero purgari oportebat, & qui sic purgati fuerint, comitiali siue sacro morbo ferè non ppprehenduntur. Qui vero mundi sunt, & neque ulcus ullum, neque mucus, neque saliua ulla prodit, neque in uteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, ut ab hoc morbo corripiantur. Si porro ad cor progressum fecerit defluxus, palpitatio apprehendit & anhelationes, & pectora corrumpuntur, aliqui vero etiam incurui fiunt. Quum enim descenderit pituita frigida ad pulmonem aut ad cor, perfrigeratur sanguis. Venæ autem vi-

lenter perfrigerata, ad pulmonem & cor aßiliunt, & cor palpitat, vt præ hac neceßitate anhelationes incidant, & spiratio ceruice erecta. Non enim spiritum suscipere potest, donec id quod influxit, à sanguine fuerit superatum, & calefactum in venas fuerit diffusum. Deinde & palpitatio & anhelatio sedatur, sedatur autem prout copia eius fuerit. Si enim amplius influxerit, tardius: sin minus, citius. Et si quidem densiores ac crebriores fuerint defluxus, crebrius comitiali morbo corripitur, sin minus, rarius. Hæc itaque perpetitur homo, si ad pulmonem ac cor fluxus processerit. Si vero in ventrem, profluuia alui apprehendunt. Si vero ab his viis exclusus fuerit, & in venas quas dixi defluxum fecerit, mutus fit & suffocatur, & spuma ex ore effluit, & dentes constringuntur, & manus conuelluntur, & oculi distorquentur, & nihil sapiunt, aliquibus etiam stercus inferne secedit. Atque hæc fiunt aliquando in sinistra, aliquando in dextra, aliquando vtrinque. Quomodo vero singula hæc perpetiatur, ego narrabo. Mutus quidem est, quum pituita derepente in venas delapsa, aerem excluserit, & non admiserit, neque in cerebrum, neque in venas cauas, neque in ventriculos, sed occuparit respirationem. Quum enim accipit homo per os & nares spiritum, primum quidem ad cerebrum venit, deinde verò in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem, & pars ad venas. Ex his vero ad reliquas partes in venas dispergitur, & quantum quidem eius ad ventriculum venit, perfrigerat, & nihil aliud confert. Idem præstat & qui ad pulmonem venit. Qui vero ad venas peruenit aer, confert ad ventriculos ingressus & ad cerebrum.

Atque

Atque sic sapientiam & motum membris exhibet. Quare vbi fuerit exclusus à venis aer præ pituita, eumque non susceperint, mutum ac desipientem hominem reddunt. At vero manus impotentes fiunt ac conuelluntur, sanguine quiescente, & dum non diffunditur velut solebat. Oculi quoque distorquentur aere à venis excluso, & commouentur. Spuma vero ex ore prodit ex pulmone. Quum enim spiritus non ingrediatur in ipsum, spumescit & ebullit velut moriens: Stercus vero subit, dum violenter suffocatur. Suffocatur autem, hepate & ventre sursum ad septum transuersum irruentibus, & stomacho ventris concluso. Irruunt autem, quum tantum spiritus in os non ingreditur quantum solebat. Calcitrat autem pedibus, quum aer in membris conclusus fuerit, & foras penetrare non poterit præ pituita, verùm exiliens per sanguinem sursum ac deorsum, conuulsionem ac dolorem inducit, & propterea sanè calcitrat. Porro omnia hæc perpetitur, quum pituita frigida defluxerit in sanguinem calidum existentem. Perfrigerat enim & sistit sanguinem. Et si quidem fluxus multus fuerit ac crassus, statim occidit: (Dominatur enim sanguini per frigus, ipsumque congelat.) Si vero paucior fuerit, in præsens quidem dominatur, obturans respirationem: Deinde temporis progressu, quum dispersus fuerit per venas, & ammixtus sanguini, multo existenti ac calido, si sic superatus fuerit, venæ aerem suscipiunt, atque ita ægri resipiscunt. ALEX.

ALEX. in Galeni sententiam descendo, librum hunc Hippocrati immerito adscribi, cum illius ingenij acumen hîc non elucescat. I. C. Galenus tamen fatetur nonnisi à doctissimo

viro sententias illas esse dictatas. ALEX. Non dubito quin hæc à te subtiliori methodo explicentur. I.C. Epilepsia totius corporis distentio crebra est, seu conuulsio non perpetua, qua subitò homo concidit, sensuum omnium, atque mentis functionibus interceptis, vt nec audiat, nec videat, nec expeditus pręteritorum meminerit. concussione ex ore spumæ mouentur, & solutis musculis interdum vel vrina, vel stercus vel genitura pręter volontatem exit, & obscura vox eliditur. ALEX. Quænam est morbi huius causa? I.C. Humoris pituitosi, aut melãcholici ingens copia, quę repētè cerebri vētriculos, meatusq; inficiens, efficit vt ęger cohibito animali spiritu corruat. ALEX. Obturat ne penitus, & affatim spirituum ductus? I.C. Minimè, sed illius pituitosi humoris nonnihil etiam pręterfluit, quo cerebrum concussione adnititur quicquid noxium est excutere. ALEX. credis ne solam noxij humoris copiam infligere epilepsiam? I.C. minimè: nam & in sopore eius copia inest, attamen citra conuulsionem: præterea cum subito desinit epilepsia, ei quemadmodum & apoplexiæ, excusso in neruos humore, necessariò succederet paralysis: id verò nusquam obseruatum est. ALEX. Quænam igitur Apoplexiæ causa statuēda est? I.C. Duplex, prima est humoris viscosi redundantia, qua oppleto cerebro, oppressoque Diaphragmate, atque occlusis respirādi fistulis, æger obmutescit, nequit enim spiritus inoffensè commeare. Altera est venenata, & cerebri substantiæ

grauiter infenſa qualitas,quæ quoties exagitatur,ac in cerebrum prorepit,atque ea feriente, cerebro contrapugnante, quaſi colluctatione quadam fit epilepſia. ALEX. Huius fomes vbi deliteſcit?I.C. Modo in cerebro, modo in ore ventriculi,nonnunquam & in alijs diſtantioribus ſedibus,è quibus furtim per cæcos ductus in cerebrum ſerpit,& progreditur. ALEX. At cur horum ſymptomata efficiuntur ſæuiora, cum vel Luna impleri,uel incoari incipit?forſitan Lunæ dæmon Haſmoday hanc calamitatem clademque infert? I. C. humida corpora, ciboque & Cælo vtentes humido,huic malo ſunt magis opportuni; hinc videmus impuberes & mulieres potiſſimum infeſtari, quos derelinquere ſolet circa annũ quintum & vigeſimum,quia tunc augeſcit calor natiuus,qui ſiccius temperamentum inducit:quare non mirum (ô Alexander)ſi horum ſymptomata grauius inauleſcant, vbi Luna impletur, vel inchoatur,tunc enim humores maximè redundare conſtat.quapropter Dei filius & Deus ipſe,ne perfidi Hæbrei calumniari poſſent,Lazarum non verè mortuum fuiſſe, ſed Herculeo morbo correptum, illum quatriduanum in vitam poſtliminio reuocauit.ſiquidem expleto ſeptuaginta horarum curriculo, humores ſiſti contingit, quòd Luna eo temporis ſpatio vnum Zodiaci ſignũ peregerit,cuius vi humorũ decurſus in corporibus perficitur. AL. Nihil doctius excipi poteſt. Sed queſo nũc de Faſcinationbus pertractemus. I. C. Libentiſſimè.

DIALOG. LIX.

De Fascinationibus.

ALEX.

QVID ad Thessalas Magas oppugnandas nouiadinuenies? certum est eas fascinasse complures, & Beneuentanas Lamias idem præstare quotidianis constat experimentis. I. C. Non inficior, vt tibi morem geram. ALEX. Forsitan Magicis carminibus hæc efficiunt? IVL. CÆS. Minimè: iam tibi multoties dixi, verba non aliam habere virtutem quàm immutandi auditum. ALEX. Forsan Necromanticis caracteribus. IVL. CÆS. Risu sane dignum & omnibus cachinnis. Sunt caracteres in prædicamento quantitatis, quare nequeunt ex seipsis aliquid operari. ALEX. Quid verba audiam? cum facta videam. I.C. Experimenta illa non nego sed naturalibus causis adscribenda duco. ALEX. Sed quænam sunt causæ naturales? I. C. Audies. Arpiæ illæ pessimum spirant anhelitum. ALEX. Vnde id coniectas? I. C. Vetulæ vt plurimum sunt, quarum odor grauis, & paupercula & crudis, ijsque mendicatis, castaneis fabis ac lupinis stomachum placare coguntur,

ex ijs autem tetros effici ſpiritus materiæ qualitas præoſtendit. Præterea ex ſuperſtitione ieiunant, ieiunantium autem anhelitum ingratiſſimum eſſe & Philoſophus dixit, & vnuſquiſque quotidie in ſe experitur. Inſuper ſtrigæ illæ peſſimæ inuiſunt cimiteria & funera, defunctorumque corpora pertractant, ex quibus cum exhauriant putridum odorem, non mirum ſi conſimilem ipſæ ſpirent. Ad hæc, inhabitant in vallibus limoſas caſulas, & ſub nucum arboribus noctu immorantur, illarum autem vmbra cum ſit turbulentiſſima (vapores enim attrahi nequeunt à Sole ob frondes ſpiſſas,) eis obeſt, maxime in nocte ob circunſtantis aëris frigiditatem, & cerebri etiam; euocati enim ſunt tunc temporis ab anima ſpiritus ad cibi concoctionem, à cœna enim illæ eò confugiunt, vt & plurimum currentes & quaſi Libero patri Orgia celebrarent, debacchantes, qua de cauſa pori aperiuntur, in quibus facilè poſtea, cum ad Nucum vmbras perueniunt, tetri illi vapores penetrant, & putredinem in eis congenerant, hinc crebris obnoxiæ iacent ægrotationibus. Ruſtici verò in peccati pœnam id accidere putant, & ſi adulteros & homicidas conſpiciant robuſtos, atq; valentes. ALEX. Eſto. quid inde? I. C. Cum peſſimum ſpirent anhelitum, molliuſculos iuuenes tacite inficient, quare in puerulos maximè ſuam poteſtatem exercent, non ex dæmonum mandato, nullam enim in peccati expertes, quales ſunt pueri, iuriſdictionem obtinet, ſed

quia in illorum tenerrimam, ob copiam humidi, carnes fœtidi anhelitus vapores nullo negotio sese introducunt, atque ita infantulos lædunt: quemadmodum è contra bono anhelitu ægritudinem leuari sæpènumero accidit, vt aliorum exemplo Galenus, suo Democritus testatur. Hic enim panis recentis, & calidi, vel (vt alij volunt) mellis odore per tres dies superuixit. vt nihil dicam de Alexandri Macedonum Regis vestibus, quæ, vt Plutarc. in eius vita refert, eo erant odore non quidem ascititio aliquo externoque suffitu, sed genuino ac naturali caloris natiui effluuio perfusæ, vt proximè astantes mirum in modum recrearentur: Quare argumento ab oppositis desumpto, quod & pestilentiæ experimentum comprobat, inferre licebit, nostra corpora tetris odoribus conflictari, qui cum sint, vt probauimus, in Lamijs, non mirum si infantum pulmones vitient, ita vt sæpe ad extremam maciem deueniant. Alex. At quomodo segetes etiam fascinari poëtæ referunt? I. C. Illis quidem audendi quidlibet semper fuit data potestas. Sed fabellam hanc possumus aliquo rationis fulcimento munire. Nux myristica siue muscata, si à iuuene boni anhelitus gestetur, non solum viuidum odorem suum conseruat, sed etiam turgescit, magisque efficitur succulenta: Cum enim inter has illa sit præstantior quæ ponderosior est, succoque pingui madescit, atq; vel compressu vel aciculæ punctura oleaginem resudat non sine eximiâ odoris suauita-

te, has illi dotes viri calor conſeruat ac tuetur, & quod mirari ſubeat, illam magis ſpecioſam facit aſpectuque amabilem, ac ſucco oleoſo magis turgidam, præſertim ſi iuuenilis adultæque ætatis homines circumferant: Tam ſuauis enim gratuſque halitus emanat ex huiuſmodi corporibus, effluxus, ac euaporatio, ob caloris natiui temperiem, tam mitis ac blanda, vt nux illam alliciat, eaque imbuta vegetior fiat atque odoratior: Alitur ſiquidem afficiturque aereo vapore, auraque tepenti ac ſubcalida, quam iuuenile corpus expirat, vt re maximè ſibi familiari ac cognata. Si bono igitur iuuenis odore vegeti ſeruantur fructus, quid impedit quominus tetro aniculæ anhelitu, ſegetes aliquæ faſcinari & corrumpi queant? atque hæ faſcino corruptæ, contagioſa quadam communicatione ſibi proximas deinde inficiant, vt patet in piris, pomis, ceraſis putrefactis, quorum contactu confecti reliqui contabeſcunt: Quare inualeſcente putredine, mœſtæ ſegetes faſcini læſionem experiri ſe teſtantur. Sane mulier cum excrementis abundet, atque inſuaues triſteſque halitus ob menſtrui profluuij decurſum diffundat, omnia deteriora efficit, natiuaſque vires, atque inſitas myriſticæ nuci, quam geſtat, facultates depopulatur; Quo fit vt eadem nux exſucca illius contactu efficiatur, leuis, carioſa, coloreque ſquallido ac nigricante: qua vi etiam herbis pernitiem talem adfert, ſata ſtrangulat, & ſpeculi nitorem obfuſcat. ALEX. Scitiſſimè quidem. At Magi re-

periuntur iuuenes, nullis obnoxij languoribus, qui alios fascinare creduntur. I. C. *Il crederei cortesia.* vi dæmonum id effici nunquam dixerim, cum sola Religione mihi persuasum sit adesse dæmones: sed naturali potius facultati id ascribam. ALEX. Nunquam, vt arbitror, istud probare poteris. I. C. Tu met iudex esto. Imaginatiuæ facultati omnes inferiores nostras potentias ancillari, luculenta oratione supra probauimus. ALEX. Memini id quidem, nam multa exempla attulisti, vix edulium, aiebas, vehementer percupimus, & statim spiritus ad obediendum sese accingunt, quare saliuam reddunt exoptati esculenti saporem redolentem. Vix rei venereæ cogitatio nobis occurrit, & illico spiritus adstant omnes ad cogitationis manda exequenda: hinc genitales surrigunt partes, atque titillant: cum verò rei amatæ complexum & vnionem cum ea vehementer appetimus, ijdem ministri spiritus accurrunt, quare & languescimus; si timor nos occupat, subito ab imaginatione euocantur spiritus, atque partibus neglectis externis, ad cordis arcem tuendam collocantur, quapropter ob sanguinis absentiam, cutis impallescit. Cum irascimur, & vlcisci desideramus, præsto sunt omnes spiritus ad ferendas suppetias, vtque celeriùs inseruiant, in tres diuiduntur ordines, ad manus aliqui, quare ob illorum cum sanguine aduentum venæ tunc intumescunt: ad linguam alij, quare blasphemant irati, eorumque saliua pestilens est: alij ad oculos tanquam

ſagittæ in arcu ſeſe conſtituunt, quare rubent in ira oculi. I.C. Gaudeo profectò, mi Alexander, mea hæc effata memoriæ te demandaſſe, nec oblitus es (vt credo) imaginationem idem efficere, etiam in alieno ſubiecto, vbi eſt bene diſpoſitum, vt in muliere prægnante apparet, hæc enim fœtum inficit exoptatæ rei notis. AL. Memini quidem, ſed quid inde infers? I.C. Lamia cum in aliquem ira, odio, vel inuidia accenditur, triſti illa nocendi ſpecie quæ in illius imaginatiuâ reſidet, commouentur ſpiritus, imo & mœſtum induunt colorem, nam ſanguis fit liuidus. Cum igitur imaginatiua ſpiritibus imperat noxam alicui inferendam, confeſtim inquirunt, quicquid noxiæ materiæ in corpore eſt, eaque ſe tanquam inſigni lorica ad bellandum teguntur, cuius rei ſignum eſt quod dum iraſcimur, ſaliuam amaram in ore præſentimus: mox armati ſpiritus ab imaginatiua euocantur, & ad linguam: quare ob ſpirituum copiam aliquando in ira balbutimus, & ad oculos, qui eandē ob cauſam rubēt: ab oculis deinde tanquam ſagittæ ab arcu, ab imaginatiuæ facultatis manu iaculantur, & veluti baſiliſcus veneno repletus, quotieſcunque illud per aërem tranſmittit, hominem interimit, & qui peſte laborat, peſtem etiā per transpirationem ad alios vibrat: Ita laruæ tetros ſpiritus ſic ab imaginatione affectos eiaculantur, per oculos efficaciùs, tum quia phantaſiæ, quæ ſpiritibus indidit nocendi ſpecies, ſunt propinquiores, tum quia vim igneam quandam dif-

ego manifeste docebo. Cerebrum hominis duplex est, quemadmodum etiam alijs omnibus animalibus: Medium autem ipsius diuidit membrana tenuis. Quapropter non semper eandem capitis partem dolet, sed particulatim vtramuis, aliquando verò totum. Sed & venæ in ipsum tendunt ex vniuerso corpore multæ & tenues: duæ verò crassæ, altera ab hepate, altera de liene. Et quæ quidem ab hepate venit, hoc modo se habet. Altera quidem venæ pars deorsum tendit, per partes ad dextram, iuxta ipsum renem ac lumbum, ad internam femoris partem, & descendit in pedem, & vocatur vena caua. Altera verò sursum tendit per venas dextras ac pulmonem. Finditur autem & in cor, & in brachium dextrum. Reliquum verò sursum fertur per clauiculam in dextram ceruicis partem, ad ipsam cutem, vt conspicua fiat. Iuxta aurem verò occultatur, atque hic finditur. Et crassissima quidem ac maxima & cauissima ipsius pars, in cerebrum desinit: alia verò pars in aurem dextram, quæ sanè venula tenuis est: alia autem in oculum dextrum, alia in ipsum nasum. Atque sic quidem venæ ab hepate habent. Tendit autem & à liene vena in sinistra sursum ac deorsum, velut ab hepate, verum tenuior & imbecillior. Cæterùm in has venas etiam spiritus copiam inducimus. Hæ enim corporis nostri respirationes sunt, aërem in seipsas trahentes, & in reliquum corpus ac venulas deriuantes, refrigerantque ac rursus dimittunt. Non enim possibile est spiritum stare, sed procedit sursum ac deorsum. Si enim alicubi constiterit ac interceptus fuerit impotens redditur illa pars vbi constiterit. Cuius rei signum hoc est: Quum enim desidenti aut decumbenti

venulæ compressa fuerint, vt spiritus à vena non discurrat, statim torpor occupat. Et de venis quidem reliquis sic habet. At vero morbus ipse fit in pituitosis, in biliosis vero non. Incipit autem fieri in fœtu adhuc in vtero existente: Purgatur enim & florescit cerebrum, velut etiam aliæ partes prius quàm gignantur. In hac autem purgatione, si quidem probe ac moderate purgatum fuerit, & neque plus neque minus quàm oportet defluxerit, hic fœtus sanissimum caput habebit. Si autem amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit, morbosum caput augescens fœtus habebit, & sonitu plenum, & neque Solem, neque frigus tolerabit. Si vero ab vna aliqua parte colliquatio contigerit, aut ab oculo, aut ab ore, aut vena aliqua simul gracilis facta fuerit, ille sic afficitur qualiter sanè colliquatio contigerit. Si vero purgatio non contingat, sed in cerebro spissetur ac cogatur, sic necesse est fœtus pituitosos esse. Et quibuscunque quidem pueris existentibus erumpunt vlcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui salinosi fiunt ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillime degunt: hic enim abit ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat, & qui sic purgati fuerint, comitiali siue sacro morbo ferè non pprehenduntur. Qui vero mundi sunt, & neque vlcus vllum, neque mucus, neque salina vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, vt ab hoc morbo corripiantur. Si porro ad cor progressum fecerit defluxus, palpitatio apprehendit & anhelationes, & pectora corrumpuntur, aliqui vero etiam incurui fiunt. Quum enim descenderit pituita frigida ad pulmonem aut ad cor, perfrigeratur sanguis. Venæ autem vio-

lenter perfrigerata, ad pulmonem & cor aßiliunt, & cor palpitat, ut præ hac neceßitate anhelationes incidant, & spiratio ceruice erecta. Non enim spiritum suscipere potest, donec id quod influxit, à sanguine fuerit superatum, & calefactum in venas fuerit diffusum. Deinde & palpitatio & anhelatio sedatur, sedatur autem prout copia eius fuerit. Si enim amplius influxerit, tardius: sin minus, citius. Et si quidem densiores ac crebriores fuerint defluxus, crebrius comitiali morbo corripitur, sin minus, rarius. Hæc itaque perpetitur homo, si ad pulmonem ac cor fluxus processerit. Si vero in ventrem, profluuia alui apprehendunt. Si vero ab his viis exclusus fuerit, & in venas quas dixi defluxum fecerit, mutus fit & suffocatur, & spuma ex ore effluit, & dentes constringuntur, & manus conuelluntur, & oculi distorquentur, & nihil sapiunt, aliquibus etiam stercus inferne secedit. Atque hæc fiunt aliquando in sinistra, aliquando in dextra, aliquando vtrinque. Quomodo vero singula hæc perpetiatur, ego narrabo. Mutus quidem est, quum pituita derepente in venas delapsa, aerem excluserit, & non admiserit, neque in cerebrum, neque in venas cauas, neque in ventriculos, sed occuparit respirationem. Quum enim accipit homo per os & nares spiritum, primùm quidem ad cerebrum venit, deinde verò in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem, & pars ad venas. Ex his vero ad reliquas partes in venas dispergitur, & quantum quidem eius ad ventriculum venit, perfrigerat, & nihil aliud confert. Idem præstat & qui ad pulmonem venit. Qui vero ad venas peruenit aer, confert ad ventriculos ingressus & ad cerebrum.

Atque

Atque sic sapientiam & motum membris exhibet. Quare vbi fuerit exclusus à venis aer præ pituita, eumque non susceperint, mutum ac desipientem hominem reddunt. At vero manus impotentes fiunt ac conuelluntur, sanguine quiescente, & dum non diffunditur velut solebat. Oculi quoque distorquentur aere à venis excluso, & commouentur. Spuma vero ex ore prodit ex pulmone. Quum enim spiritus non ingrediatur in ipsum, spumescit & ebullit velut moriens: Stercus vero subit, dum violenter suffocatur. Suffocatur autem, hepate & ventre sursum ad septum transuersum irruentibus, & stomacho ventris concluso. Irruunt autem, quum tantum spiritus in os non ingreditur quantum solebat. Calcitrat autem pedibus, quum aer in membris conclusus fuerit, & foras penetrare non poterit præ pituita, verùm exiliens per sanguinem sursum ac deorsum, conuulsionem ac dolorem inducit, & propterea sanè calcitrat. Porro omnia hæc perpetitur, quum pituita frigida defluxerit in sanguinem calidum existentem. Perfrigerat enim & sistit sanguinem. Et si quidem fluxus multus fuerit ac crassus, statim occidit: (Dominatur enim sanguini per frigus, ipsumque congelat.) Si vero paucior fuerit, in præsens quidem dominatur, obturans respirationem: Deinde temporis progressu, quum dispersus fuerit per venas, & ammixtus sanguini, multo existenti ac calido, si sic superatus fuerit, venæ aerem suscipiunt, atque ita ægri resipiscunt. ALEX. ALEX. in Galeni sententiam descendo, librum hunc Hippocrati immerito adscribi, cum illius ingenij acumen hîc non elucescat. I. C. Galenus tamen fatetur nonnisi à doctissimo

viro ſententias illas eſſe dictatas. ALEX. Non dubito quin hæc à te ſubtiliori methodo explicentur. I.C. Epilepſia totius corporis diſtentio crebra eſt, ſeu conuulſio non perpetua, qua ſubitò homo concidit, ſenſuum omnium, atque mentis functionibus interceptis, vt nec audiat, nec videat, nec expeditus pręteritorum meminerit. concuſſione ex ore ſpumæ mouentur, & ſolutis muſculis interdum vel vrina, vel ſtercus vel genitura prę̨ter volontatem exit, & obſcura vox eliditur. ALEX. Quænam eſt morbi huius cauſa? I.C. Humoris pituitoſi, aut melãcholici ingens copia, quę repētè cerebri vētriculos, meatuſq; inficiens, efficit vt ęger cohibito animali ſpiritu corruat. ALEX. Obturat ne penitus, & affatim ſpirituum ductus? I.C. Minimè, ſed illius pituitoſi humoris nonnihil etiam pręterfluit, quo cerebrum concuſſione adnititur quicquid noxium eſt excutere. ALEX. credis ne ſolam noxij humoris copiam infligere epilepſiam? I.C. minimè: nam & in ſopore eius copia ineſt, attamen citra conuulſionem: præterea cum ſubito deſinit epilepſia, ei quemadmodum & apoplexiæ, excuſſo in neruos humore, neceſſariò ſuccederet paralyſis: id verò nuſquam obſeruatum eſt. ALEX. Quænam igitur Apoplexiæ cauſa ſtatuēda eſt? I.C. Duplex, prima eſt humoris viſcoſi redundantia, qua oppleto cerebro, oppreſſoque Diaphragmate, atque occluſis reſpirādi fiſtulis, æger obmuteſcit, nequit enim ſpiritus inoffensè commeare. Altera eſt venenata, & cerebri ſubſtantiæ

grauiter infensa qualitas, quæ quoties exagitatur, ac in cerebrum prorepit, atque ea feriente, cerebro contrapugnante, quasi colluctatione quadam fit epilepsia. ALEX. Huius fomes vbi delitescit? I. C. Modo in cerebro, modo in ore ventriculi, nonnunquam & in alijs distantioribus sedibus, è quibus furtim per cæcos ductus in cerebrum serpit, & progreditur. ALEX. At cur horum symptomata efficiuntur sæuiora, cum vel Luna impleri, uel incoari incipit? forsitan Lunæ dæmon Hasmoday hanc calamitatem clademque infert? I. C. humida corpora, ciboque & Cælo vtentes humido, huic malo sunt magis opportuni; hinc videmus impuberes & mulieres potissimum infestari, quos derelinquere solet circa annũ quintum & vigesimum, quia tunc augescit calor natiuus, qui siccius temperamentum inducit: quare non mirum (ô Alexander) si horum symptomata grauius inaulescant, vbi Luna impletur, vel inchoatur, tunc enim humores maximè redundare constat. quapropter Dei filius & Deus ipse, ne perfidi Hæbrei calumniari possent, Lazarum non verè mortuum fuisse, sed Herculeo morbo correptum, illum quatriduanum in vitam postliminio reuocauit. siquidem expleto septuaginta horarum curriculo, humores sisti contingit, quòd Luna eo temporis spatio vnum Zodiaci signũ peregerit, cuius vi humorũ decursus in corporibus perficitur. AL. Nihil doctius excipi potest. Sed queso nũc de Fascinationbus pertractemus. I. C. Libentissimè.

DIALOG. LIX.

De Fascinationibus.

ALEX.

QVID ad Thessalas Magas oppugnandas noui adinuenies? certum est eas fascinasse complures, & Beneuentanas Lamias idem præstare quotidianis constat experimentis. I. C. Non inficior, vt tibi morem geram. ALEX. Forsitan Magicis carminibus hæc efficiunt? IVL. CÆS. Minimè: iam tibi multoties dixi, verba non aliam habere virtutem quàm immutandi auditum. ALEX. Forsan Necromanticis caracteribus. IVL. CÆS. Risu sane dignum & omnibus cachinnis. Sunt caracteres in prædicamento quantitatis, quare nequeunt ex seipsis aliquid operari. ALEX. Quid verba audiam? cum facta videam. I.C. Experimenta illa non nego sed naturalibus causis adscribenda duco. ALEX. Sed quænam sunt causæ naturales? I. C. Audies. Arpiæ illæ pessimum spirant anhelitum. ALEX. Vnde id coniectas? I. C. Vetulæ vt plurimum sunt, quarum odor grauis, & pauperculæ & crudis, ijsque mendicatis, castaneis fabis ac lupinis stomachum placare coguntur,

ex ijs autem tetros effici ſpiritus materiæ qualitas præoſtendit. Præterea ex ſuperſtitione ieiunant, ieiunantium autem anhelitum ingratiſſimum eſſe & Philoſophus dixit, & vnuſquiſque quotidie in ſe experitur. Inſuper ſtrigæ illæ peſſimæ inuiſunt cimiteria & funera, defunctorumque corpora pertractant, ex quibus cum exhauriant putridum odorem, non mirum ſi conſimilem ipſæ ſpirent. Ad hæc, inhabitant in vallibus limoſas caſulas, & ſub nucum arboribus noctu immorantur, illarum autem vmbra cum ſit turbulentiſſima (vapores enim attrahi nequeunt à Sole ob frondes ſpiſſas,) eis obeſt, maxime in nocte ob circunſtantis aëris frigiditatem, & cerebri etiam; euocati enim ſunt tunc temporis ab anima ſpiritus ad cibi concoctionem, à cœna enim illæ eò confugiunt, vt & plurimum currentes & quaſi Libero patri Orgia celebrarent, debacchantes, qua de cauſa pori aperiuntur, in quibus facilè poſtea, cum ad Nucum vmbras perueniunt, tetri illi vapores penetrant, & putredinem in eis congenerant, hinc crebris obnoxiæ iacent ægrotationibus. Ruſtici verò in peccati pœnam id accidere putant, & ſi adulteros & homicidas conſpiciant robuſtos, atq; valentes. ALEX. Eſto. quid inde? I. C. Cum peſſimum ſpirent anhelitum, molliuſculos iuuenes tacite inficient, quare in puerulos maximè ſuam poteſtatem exercent, non ex dæmonum mandato, nullam enim in peccati expertes, quales ſunt pueri, iuriſdictionem obtinet, ſed

quia in illorum tenerrimam, ob copiam humidi, carnes fœtidi anhelitus vapores nullo negotio sese introducunt, atque ita infantulos lædunt: quemadmodum è contra bono anhelitu ægritudinem leuari sæpènumero accidit, vt aliorum exemplo Galenus, suo Democritus testatur. Hic enim panis recentis, & calidi, vel (vt alij volunt) mellis odore per tres dies superuixit. vt nihil dicam de Alexandri Macedonum Regis vestibus, quæ, vt Plutarc. in eius vita refert, eo erant odore non quidem ascititio aliquo externoque suffitu, sed genuino ac naturali caloris natiui effluuio perfusæ, vt proximè astantes mirum in modum recrearentur: Quare argumento ab oppositis desumpto, quod & pestilentiæ experimentum comprobat, inferre licebit, nostra corpora tetris odoribus conflictari, qui cum sint, vt probauimus, in Lamijs, non mirum si infantum pulmones vitient, ita vt sæpe ad extremam maciem deueniant. Alex. At quomodo segetes etiam fascinari poëtæ referunt? I. C. Illis quidem audendi quidlibet semper fuit data potestas. Sed fabellam hanc possumus aliquo rationis fulcimento munire. Nux myristica siue muscata, si à iuuene boni anhelitus gestetur, non solum viuidum odorem suum conseruat, sed etiam turgescit, magisque efficitur succulenta: Cum enim inter has illa sit præstantior quæ ponderosior est, succoque pingui madescit, atq; vel compressu vel aciculæ punctura oleaginem resudat non sine eximiâ odoris suauita-

te, has illi dotes viri calor conſeruat ac tuetur, & quod mirari ſubeat, illam magis ſpecioſam facit aſpectuque amabilem, ac ſucco oleoſo magis turgidam, præſertim ſi iuuenilis adultæque ætatis homines circumferant: Tam ſuauis enim gratuſque halitus emanat ex huiuſmodi corporibus, effluxus, ac euaporatio, ob caloris natiui temperiem, tam mitis ac blanda, vt nux illam alliciat, eaque imbuta vegetior fiat atque odoratior: Alitur ſiquidem afficiturque aereo vapore, auraque tepenti ac ſubcalida, quam iuuenile corpus expirat, vt re maximè ſibi familiari ac cognata. Si bono igitur iuuenis odore vegeti ſeruantur fructus, quid impedit quominus tetro aniculæ anhelitu, ſegetes aliquæ faſcinari & corrumpi queant? atque hæ faſcino corruptæ, contagioſa quadam communicatione ſibi proximas deinde inficiant, vt patet in piris, pomis, ceraſis putrefactis, quorum contactu confecti reliqui contabeſcunt: Quare ininualeſcente putredine, mœſtæ ſegetes faſcini læſionem experiri ſe teſtantur. Sane mulier cum excrementis abundet, atque inſuaues triſteſque halitus ob menſtrui profluuij decurſum diffundat, omnia deteriora efficit, natiuaſque vires, atque inſitas myriſticæ nuci, quam geſtat, facultates depopulatur; Quo fit vt eadem nux exſucca illius contactu efficiatur, leuis, carioſa, coloreque ſquallido ac nigricante: qua vi etiam herbis pernitiem talem adfert, ſata ſtrangulat, & ſpeculi nitorem obfuſcat. ALEX. Scitiſſimè quidem. At Magi re-

periuntur iuuenes, nullis obnoxij languoribus, qui alios fascinare creduntur. I. C. *Il crederei cortesia.* vi dæmonum id effici nunquam dixerim, cum sola Religione mihi persuasum sit adesse dæmones: sed naturali potius facultati id ascribam. ALEX. Nunquam, vt arbitror, istud probare poteris. I. C. Tu met iudex esto. Imaginatiuæ facultati omnes inferiores nostras potentias ancillari, luculenta oratione supra probauimus. ALEX. Memini id quidem, nam multa exempla attulisti, vix edulium, aiebas, vehementer percupimus, & statim spiritus ad obediendum sese accingunt, quare saliuam reddunt exoptati esculenti saporem redolentem. Vix rei venereæ cogitatio nobis occurrit, & illico spiritus adstant omnes ad cogitationis manda exequenda: hinc genitales surrigunt partes, atque titillant: cum verò rei amatæ complexum & vnionem cum ea vehementer appetimus, ijdem ministri spiritus accurrunt, quare & languescimus; si timor nos occupat, subito ab imaginatione euocantur spiritus, atque partibus neglectis externis, ad cordis arcem tuendam collocantur, quapropter ob sanguinis absentiam, cutis impallescit. Cum irascimur, & vlcisci desideramus, præsto sunt omnes spiritus ad ferendas suppetias, vtque celeriùs inseruiant, in tres diuiduntur ordines, ad manus aliqui, quare ob illorum cum sanguine aduentum venæ tunc intumescunt: ad linguam alij, quare blasphemant irati, eorumque saliua pestilens est: alij ad oculos tanquam

ſagittæ in arcu ſeſe conſtituunt, quare rubent in ira oculi. I.C. Gaudeo profectò, mi Alexander, mea hæc effata memoriæ te demandaſſe, nec oblitus es (vt credo) imaginationem idem efficere, etiam in alieno ſubiecto, vbi eſt bene diſpoſitum, vt in muliere prægnante apparet, hæc enim fœtum inficit exoptatæ rei notis. AL. Memini quidem, ſed quid inde infers? I.C. Lamia cum in aliquem ira, odio, vel inuidia accenditur, triſti illa nocendi ſpecie quæ in illius imaginatiuâ reſidet, commouentur ſpiritus, imo & mœſtum induunt colorem, nam ſanguis fit liuidus. Cum igitur imaginatiua ſpiritibus imperat noxam alicui inferendam, confeſtim inquirunt, quicquid noxiæ materiæ in corpore eſt, eaque ſe tanquam inſigni lorica ad bellandum teguntur, cuius rei ſignum eſt quod dum iraſcimur, ſaliuam amaram in ore præſentimus: mox armati ſpiritus ab imaginatiua euocantur, & ad linguam: quare ob ſpirituum copiam aliquando in ira balbutimus, & ad oculos, qui eandẽ ob cauſam rubẽt: ab oculis deinde tanquam ſagittæ ab arcu, ab imaginatiuæ facultatis manu iaculantur, & veluti baſiliſcus veneno repletus, quotieſcunque illud per aërem tranſmittit, hominem interimit, & qui peſte laborat, peſtem etiã per transpirationem ad alios vibrat: Ita laruæ tetros ſpiritus ſic ab imaginatione affectos eiaculantur, per oculos efficaciùs, tum quia phantaſiæ, quæ ſpiritibus indidit nocendi ſpecies, ſunt propinquiores, tum quia vim igneam quandam dif-

fundunt, vt in venustæ Amasiæ meæ oculis experiebar, nam amoris in me igniculos succendebat; Tum etiam quia nostro corpori dati cum sint à natura custodes, & ad illius tutelam fortiores esse debebant. mẽstruatæ mulieris oculi in speculum intuentes, illud squalore obnubilant, & conspurcant: tam perniciosam vim possidet oculus, vt vitij rudimentum in alterum vibret, sicut apparet in lippis ac rubentibus oculis, cum illorum radius vsque ad obuios spectantis oculos emissus, vaporem vnà secum corrupti sanguinis trahit, cuius contagione cogit intuentis oculos morbo simili laborare. Per oculos igitur tristes, noxiosque spiritus lamia eiaculans, ferit quem cupit, atque ita fascinat, puerulos maximè: Tum quia illorum caro tenella cum sit, fortioribus strigæ spiritibus resistere nequit, quare poëta cecinit,

Nescio quis Teneros oculus mihi fascinat agnos:

Tum quia à valida mente infantuli spiritus non reguntur aduersus fascinationem, Quam pertimentibus suasi aliquando, vt tunc, si faciem auertere verecũdentur, spiritus euocent ad oculos, & ad strigam dirigant. Sic enim lamiæ spiritus ab alterius spiritibus reiecti, in aëre conflictabuntur, & debiliores euadent, atque ad nocendum minus accommodati. Hinc bono omnium saltem plurimorum lucro, quorũdam circulatorum qui Necromantistæ appellantur, fraudes detegam. hoc illi tanquam maximum arcanum quibusdam incautis iuuenibus magno pretio vendunt, vt quibusdam verbis reci-

tatis, iillico mulierẽ ad amorem, quin etiam ad feminis effusionem inducãt, dũmodo proferant versiculũ, cum vtriusque amãtium oculi mutuo sese respiciunt: non quod vlla sit in illis barbaris vocibus virtus, sed si quid fit, ideo accidit, quia iuuenis cupidineis spiritibus repletus, ad oculos, qui sunt in amore duces, pertrahit, & ad amasiam transmittit, cuius animi organa alterare, & ad amãdum disponere potest, quemadmodũ & suauissimi ferculi odores ad esum nos inuitant. si Perdices (vt refert Plinius) superuolantium afflatu concipiunt, quanto magis amans lætos iuuenculæ afflabit amores? ALEX. Mira audio, sed dic sodes, quomodo Thessalicæ, ac Cretenses familiæ complures Laudando, fascinum inferebant. I. C. An horum hominum spiritus & humores adeo ab aliorum natura remoti erant, vt ipso penè veneno fuerint perniciosiores: Illi igitur concepto in aliquem odio, intentissimè intuentes, spiritus quosdam ex oculis totaque è facie vibrabant, qui ad alios delati tanquam venena sensim eos absumebant; Laudando autem maxime fascinabant, quia propria laus parit lætitiam, quæ vt bonum illud omnibus coporis partibus communicetur, & cordis & spirituũ & totius faciei, oculorum præcipue dilationem operatur, vnde veneno, quod à fascinante iaculatur, aditus aperitur: hinc illud fortasse habet exordiũ, vt cum aliquem laudare cupimus, bona prius omnia illi à Deo deprecemur, & qui laudantur faciem auertunt, non modo vt laudationem sibi molestam esse indicent, sed vt à fas-

cino caueant. ALEX. At cur in Apulia corallos puerulis apponunt, ne à Lamijs fascinentur? I. C. An remedium non est corallio aduersus fascinationem insitum, sed est fascinati pueri signum: Siquidem fascinatio infertur ex tetris fuliginosisque vaporibus, aut spiritibus à vetula ad puerũ eiaculatis, ijsdẽ igitur coralliũ, quẽ gestat puerulus, affici verisimile duxerim: Est enim frigidæ humentisque naturæ, quare à fuliginosis, densisque spiritibus elanguescit, & natiuo colore destituitur: eandem ob causam si febricitantibus alligatur corallius, impallescit: Cum igitur ad corallum tanquam ad Lydium lapidem fascinatio probetur, lamia cauet à fascinando puero corallum gestante, statim enim ex eius liuore fascinatio deprehenditur, & per consequens fascinans: possunt namque domestici aduertere quisnam ibi presens adfuerit, cum tam subita in tam breui temporis intercapedine facta sit immutatio. ALEX. At quomodo Eutelidas in ambitioso flumine se conspiciens, seipsum fascinauit? I. C. An quia suæ formæ amore captus, cum voti compotem fieri se desperaret, in ægritudinem lapsus est, atq; ita egri facti sunt spiritus, hi autem vibrati in imaginem quæ in aqua erat ad authorem vitæ reuertebantur. An quia, vt inquit Hipppocrates, corpora ad summum vigorem progressa, non persistunt, sed velut æquâ lance librata, in contrarium ruunt. Cum igitur corpus suum ad summum pulchritudinis apicẽ iam ascendisse miser ille conspexerit, mutationi locum dedit, & in deteriorem noxam grassante

habitu, seipsum fascinauit. Id quod fieri facillime potuit in flumine, in quo sui ipsius faciem videns, respirabat, nam reciproco eiaculatu noxij spiritus in authorem retorquebantur. An dicemus, omnes animi affectiones, si permanentes diutius hæserint, improbos habitus concreare, qui vbi naturę robur asciuerint, quauis occasione conciti, etiam in peculiares & assuetas affectiones, etiam inuitos pertrahūt: sic timidi, quæ sunt sibi salutaria reformidant: Iracundi etiam amicissimis sunt molesti, & sibimetipsis. Quare Eutelidas fortasse, pertinacem inuidentiæ notam, aut fascinatorium in se creauerat habitum: quare propria sibi obiecta specie, inuidia sane & fascinatione dignissima, à consueta affectione coactus est in pulcherrimam illam speciem truces figere oculos, & iacula inuidiæ ac fascinationis veneno delibuta vibrare, quæ ab aqua repercussa suum lædebant authorem. An & fortasse rectius assereremus, ineuitabilē noxam puerum illum contraxisse, quia pulchram speciem in aqua conspiciens, in eam, vt amantium mos est, iaculabatur spiritus, qui in amore feruntur extra, vt alibi diximus, quare & conflaccesere cœpit, & demū interire coactus est, ob spiritus vibrando deperditos, nec enim retorqueri integri poterant: aliqui namque in illa mora ab aëre ambiente dispergebantur. Al. At quomodo Necromantistæ fascinare seu ligare solent aliquem, ne cum vxore vel alia fæmina coeat, an Dæmonum opera? I. C. Minime, cum nullus ex eis sit qui credat esse Dæmones, vt Agrippa

Magorum Princeps in lib. de Vanitate ſcientiarum ingenuè fateri non erubeſcit. *Multi* (inquit Pomponatius) *habiti ſunt magi, & Necromãtici vt Petrus Aponenſis, Ciclus Eſculanus qui tamen nullum commercium habuerunt cum ſpiritibus immundis, imò fortaſſis cum Ariſtotele crediderunt non eſſe dæmones.* Ego quidem complures allocutus ſum in inferiori Germania vulgari cognomento Necromantiſtas, qui ingenuè confeſſi ſunt, ſe firme ſatis credere, meras fabulas eſſe opiniones quæ de dæmonibus vulgo circunferuntur, aliquid tamen ipſos operari, vel vi herbarũ commouendo phantaſiam, vel vi imaginationis & fidei vehementiſſimæ, quam ipſorum nugaciſſimis confictis excantationibus adhibent ignaræ Mulieres, quibus perſuadent, recitatis magna cum deuotione aliquibus preculis, ſtatim effici faſcinum, quare credulæ ex intimo cordis effundunt excantationes, atque ita non vi verborum, neque caracterum, vt ipſæ exiſtimant, ſed ſpiritibus faſcini inferendi percupidis exufflatis proximos effaſcinant. Hinc fit vt ipſi Necromantici in cauſa propria, vel aliena ſi ſoli ſint operarii, nihil vnquã mirabile præſtiterint, carent enim fide, quæ cuncta operatur. Quis ignorat Medeam & Circen Strigarum Principes nunquam ſuis magicis incantationibus potuiſſe apud ſe nec Iaſonem nec Vliſſem retinere? quare ſic eam illudit Ouidius Magiſter amorum

Quid tibi profuerint, Circe, Perſeides herbæ
Cum tibi Neritias abſtulit aura rates.
Omnia feciſti, ne Callidus hoſpes abiret.

Ille dedit certæ Lintea plena fugæ.
Omnia fecisti, ne te ferus vreret ignis.
Longus in inuito pectore sedit Amor.
Vertere quæ poteras homines in mille figuras,
Non poteras animi vertere iura tui.

Deinde concludit.

Ardet & assuetas Circe decurrit ad artes,
Nec tamen est illis attenuatus amor.
Ergo quisquis opem nostra tibi poscis ab arte,
Deme veneficijs carminibusque fidem.

Occalluerunt tamen hæ opiniones de ligandis atque soluendis amantibus, in hominum animis adeo tenaciter, vt etiam electi ad sapientiam spiritus in errorem, si fieri posset, collabi videantur. Nam & Diuus Aristoteles videtur his fabulis quodammodo adstipulari. in lib. de Natura animalium sic scribit. *Remoram errore nonnulli pedes habere prodiderunt, expes enim omnino est, sed quoniam habet pinnas pedibus similes hinc fit, vt pedibus instare videatur. Pisciculus quidem hic est saxis assuetus, nomen à remorandis nauibus adeptus, vtilis ad iudiciorum causas & amatoria veneficia*; vindicat tamen opinionem suam ab huiusmodi ineptijs, hac clausulâ, *vt aliqui volunt*: ex vulgi etiam sententiâ loquitur in sexto libro, cum Hippomenem à veneficis peti docet, nam in octauo libro cap. 24. videtur innuere huiusmodi excantationes esse muliercularum deliria atque figmenta. Albertus magnus huiusmodi insomnijs subscribere non est verecundatus. *Si virga*, inquit, *Lupi in alicuius viri vel mulieris nomine ligetur, non poteris coire do-*

Ar. l. 2. de nat. anim. c, 14.

Ar. l. de nat. anim. c. 22.

Albert. mag. *l. 22. de anim. c. de lupo.*

nec nodus ille solutus fuerit, ô absurdum absurdissimorum, Turcica sanè dementia dignissimum. quemadmodum & illud de candela funebri, quod à Cardano iactatur. ALEX. Vnum est quod obijciam, si dæmones nulli sunt, quomodo Magi Pharaonis tot admirabilia perfecerunt? I.C. Philosophi qui negant dæmones, sacras Hebræorum historias contemnunt. Cardanus dixit verisimile esse, vt illi impostores vehementissimè ranas appetentes consimilem saporem in saliua reddiderint, quę in terra proiecta produxerit ranunculas. Si enim aquæ guttam æstiuali tempore ranam gignere videmus, cur non & saliua ab animæ potentijs adiuta? Sed mittamus hæc, & imponatur quæso disputationi finis, nam & oculos meos præ somno caligare conspicis. ALEX. Non dimittam te, nisi prius de insomniis aliquid tuo dignum ingenio adducas.

DIALOGVS LX.

De Insomniis.

IVL. CÆS.

AD somnum me lassitudo inuitat. ALEX. Forsitan incænatus vis ire cubitum? I.C. Ita cuperem. ALEX. At dormire nequibis. I.C. Nego. sanè cerebrum longa exercitatione impotens, & incontinens sui factum est,

quare

quare eo primo agendi instrumento sopito, & & sensus etiam, qui tanquam satellites eius affectionibus accumbunt, consopiri necesse est, imò nec sensuum vires durare & sufficere operi possent, ideo vacationem ab opere feriarum vice expetunt: sensuum autem officinis defessis, necessario somnus obrepit. Sed quæ nam te mouet ratio, vt contrarium affirmes? ALEX. Quia vbi cibi nulli assumuntur, caput non occupatur exalatione, ab hac autem fit somnus. I.C. Quid si ioci ergo id negarem? multa exhalatio in ceruo, hic tamen parum obdormit. ALEX. Forsitan ob cerebri siccitatem. I.C. Siccissimum felibus cerebrum, inquit Scaliger, ijs diutius, aut frequentius pauca sopiuntur animalia. Quid siccius, inquit idem, lacertis, & serpentibus? ijs tamen vix satis sunt quaterni menses ad somnum. ALEX. An ceruus parcè somno vtitur præ meatuum angustia quæ multos vapores sursum rapi prohibet. I.C. At vnde conicis meatuum obsessa itinera & angustis effecta incommodiora? sanè si angusti ei essent meatus, careret cornibus, hæc enim à vaporibus fiunt. ALEX. A te igitur sic edoctus dicam, ceruum non multũ somni capere, quia vaporũm nubes in cerebro non residet, sed vlterior fit ad exeundum, vnde cornua conformentur, ita erit eius cerebrum quasi portorium quoddam, quò delatæ merces, per id aliò transferantur, non tanquam apotheca in qua reponi debeant. I.C. Acutè profectò, sed quid inde deducis? ALEX. Multa tibi insomniorum

occurſacula erunt: mihi vero apud nobiliſſimum, & ingenioſiſſimum iuuenem Ludouicum Brulardum opiparè cænaturo, nulla prorſus: oppleto namque vaporibus cerebro ſpiritus conquieſcunt. I. C. Quieſcere vnquam ſpiritus pernego. Non vitales profectò, ſaltem dum viuimus: non animales, nam vnde ſomnia? non naturales, quippe tunc nihilo ſecius alimur. Quis ignorat in ſomno ſanguinem gigni, & tranſmutari, ideoque vrſi, glires per ſomnum maxime pingueſcunt, qui apparatus, ac perfectiones abſque motu fieri nequeunt: non quieſcunt igitur dormientis ſpiritus, ſed ad concoctionis miniſterium intus euocātur ab anima: quâ de cauſa & caput tunc inclinatur, & palpebræ occluduntur, non enim ibi adſunt ſpiritus, qui labētia onera excipiant. Quare nulla cœnato homini fient inſomnia, maxime in initio: vt ſubticeam, craſſos & denſos vapores ad caput tunc aſcendere, qui ob ſui craſſitiem nec rerum ſimulacra menti obijcere, nec ibi reſidentia excitare valent. Alex. At illa rerum ſimulacra vbi reſidere exiſtimas? I. C. In ſenſu dixere àliqui: quod mihi non placet, ea namque aliquando ſomniamus, quæ nec audita nobis, nec viſa ſunt vnquam. In ſpiritibus dixit Galenus. Inſcitiſſimè tamen, quî enim fieri poſſet, vt qui noui quotidie ſpiritus in nobis generantur, & intereunt, viſas à longo tempore rerum imagines in ſomno repreſentent? At repreſentantur, non igitur in piritibus rerum ſimulachra immorantur. Aris

ſtoteles cenſuit illas rerum Ideas in anima conſeruari. AL. Si hoc verum eſſet, nulla nobis obliuio accideret, anima namque formarum conſeruatrix, nulli eſt corruptioni obnoxia, læſa tamen poſteriore cerebri parte, multarum rerum obliuiſcimur. I. C. Reſpondebit tibi Ariſtoteles, corporeis inſtrumentis egere animam ad ſuas operationes exercendas. Læſo igitur organo nequit formas repreſentare, hinc obliuio aduenit. ALEX. At cur ſæpenumero obliuiſcimur, nulla prius in cerebro læſione recepta, nec reminiſcimur niſi poſtquam poſteriorem cerebri partem ſcalpſerimus? I.C. Aliis fortaſſe functionibus demandati ſunt ab anima ſpiritus, illa tamen commotione excitantur, & quaſi tuba cientur ad imagines repreſentandas, in quarum permagno numero, aliqua ſimilis occurrit, qua duce ad quæſitæ rei memoriam peruenimus: hinc etiam fit, vt celeri nimis ſpirituum motu, rei imago pertranſeat, cum iam illam apprehendiſſe putabamus, quare frontem tunc manu conſtringimus, vt prætereuntem ideam quaſi detineamus. AL. Oblita igitur quomodo in memoriam reuocantur? I.C. Quando ſpiritus coram anima, in qua concepta eluceſcit imago, ſiſtit, eamque ad imaginationem defert, idcircò ob ſpirituum multitudinem & celeritatem ſæpenumero reminiſcimur ſimul & obliuiſcimur, quapropter in ſcholis receptum eſt, eos qui citò addiſcũt, celeriter obliuiſci, id quod pueris ob caloris & ſpirituum copiam accidit: Senes

vero obliuiosi sunt propter frigiditatem, quæ motus tarditatem spiritibus ingerit. quare tutiùs fortassis dixerim, animam esse formam suscipientem infinitas propemodum rerum ideas quæ ad actum non reducuntur nisi cum lux illius refulserit in spiritibus, qui celeres mihi cum sint, ad reminiscendum satis idoneos inuenio: tardiusculi Tarsio sunt, ideò ei est natura memoria tardior. TARS. Quia promissis aliquando stare recuso, obliuiosum me dicis. ALEX. Perdoctè, sed vnde tot variæ rerum formæ nobis dormientibus obuiæ fiunt? I. C. E ciborum varietate. ALEX. Quid ais? I. C. Audi. in anima seruantur rerum species: has leui motu comprehensas, ad imaginationem spiritus deferunt, vel ibi existentes excitant, atque obvoluunt. Varia igitur & imperfecta simulacra in somnis conspicimus, ob spirituum varietatem, atque celeritatem, at spiritus è cibis generantur, ergo è ciborũ varietate insomniorũ varietas accidit: quapropter fabas, phaseolos, lẽtes, pisas, ciceres, cepullas, allia comedenti complurimæ, ipsæque turbulentæ species apparent: Turbulentæ quidem, nam ista ciborum genera propter siccitatem atram bilem congenerant, ideò bustorum formidamina, sepultorum terriculamenta, dæmonũ spectra in somnis occursant: plurimæ vero, quia atra bilis flatus ciet, vt inquit Philosophus. Legumina flatu tument, & turgescunt: flatus autem cum animatur, in vitalem spiritum transformatur; hinc illa explodenda fabella est, quæ de

Beneuentanis Strigis Neapoli circumfertur, asportari videlicet eas à Dæmonibus sub celeberrimam Nucem arborem, vbi subito horrifico lapsu de montibus flammigeros dæmones horrifero stridore vociferantes adesse testantur: at in somnijs, & non aliter proculdubio hæc phantasmata conspiciunt. ALEX. Vnde id conijcis? IVL. CÆS. Sunt à naturâ melancholicæ, earumque Melancholiam fouet, & auget sordidissimi humoris cibus, quem è nucibus, & casteneis indies capiunt: confert etiam ad huiusmodi Laruarũ insomnia, vehementissima illarum imaginatio in quâ huiusmodi tetra simulacra firmiter impressa sunt & in nocte, à tetris vaporibns non solum ciborũ sed & ignis excitantur. ALEX. Quomodo ignis? I. C. In prima noctis vigila prope luculentum caminum nescio quo vnguine lemures illæ se illinunt, hinc niger vapor ab igne exhalans, illorum capita ferit, & species obturbat, igneaque representat spectacula & nuceas domus, nuceis enim lignis focum alunt. ALEX. At aliæ Lemures testantur Theatra, viridaria, formososque iuuenes intueri. I. C. Prouenit ex vnguento quo se prius totas oblinunt, *Constat enim vnguentum illud* (inquit Cardanus) *ex puerorũ pinguedine è sepulchris eruta, succis apij, aconiti penthaphili, siliginis, & vnguento quod populeon vocant, &c.* Receptum est autem apud naturæ consultos, apij succum imbibitum, & vnguentum populeon arterijs pedum, manuumque appositum, virides ac lætas

Card l. 18. de subt. c. de mirab. fol. 909.

idæas obdormientibus exhibere. Validissime autem id illis laruis contingere potest, nam propè focum se inungunt, quare membra incalescunt & calore aperiuntur, hinc vnguinis vires ad intimos recessus penetrant, atque ita magis afficiunt spiritus, qui sic affecti, cõsimiles in somnis efficiunt imagines, vel iam ab Empusarum imaginatione peractas excitabunt. A L. At referunt etiam illæ fatuæ dæmonum pedisseque, ibi se cõspicere pulchros iuuenes, ijsq; suauissimis amplexibus perfrui. I.C. Non miror: omnibus sanè per totum orbem diffusis mulieribus, ijsdemque honestissimis sæpenumero hoc offertur insomniũ. Quod cum mihi honestissima Galla matrona inficiaretur, ægri esse ipsam, quæ huiusmodi non pateretur insomnia, Aristotelis & Hyppocratis testimonio comprobaui. ALEX. Esto, nam & ægrotans ego nocturna venere in somnis eludor: At referũt opiparâ cœnâ à Dæmonibus excipi. I.C. Et hoc etiam insomnium est, quod illis paupercuWlis ieiunis euenire non mirabitur Hipp. qui sic scripsit, *si quis per somnum edere aut bibere consuetos cibos, ac potus videatur, inopiam alimenti significat, & animæ tristitiam.* ALEX. At quamobrem somniamus nos aliquando à Dæmone opprimi? I.C. An quia per somnum obstructis illis neruis, qui ad pectus eleuandum veniunt, & prohibitâ illius dilatatione, memoria subit eorum quæ illud dilatari impediunt, inter quæ occurrit pondus aliquod nos opprimens: hoc autem quum vti ignotum nobis offertur, con-

Hipp. l. de insomn. 1 & i

tremiſcimus, atque ita terrificam Ideam reme moramus: at quia in ſomno ea primo nobis occurrunt, quæ ingēti mole conſtant, ideo veteres ab Ephialte infeſtari ſomniabāt, quo nomine dictus eſt quidam ex Neptuni filius, qui quum ſingulis menſibus nouē digitos excreſceret, in tantam altitudinem euaſiſſe fertur, vt ſtatura ſua fretus, Superis bellū inferret: Nunc verò vbi in ſomnis veluti ingēti pondere nobis ſuperincumbente præmi videmur, Dæmonem, quem excelſiſſima gigantea ſtatura in templis depingunt, in memoriam redigimus. & ſomnos timor abrumpit. AL. At cur nobis ſomnianibus ab incubante mole premi, vox intercipitur? forſitan à muto dæmonio infeſtamur? I.C. Cauſa eſt craſſior pituita aut melancholia non in cerebro, ſed circum præcordia inhæreſcens, qua per crapulam, & cruditatem turgeſcente, diaphragma pulmoneſque premuntur, craſſo autem vapore illinc in fauces, & cerebrum expirato, vox ſupprimitur. ALEX. Mira tibi narrabo, nudius-tertius coniugem meam prope me obdormientem magno in ſomnijs labore affici aduertere mihi libuit, lāpadis beneficio, quæ more noſtro lepidiſſimo accenſa erat. Cumque hoc viderem attonitus, venerandum Ieſus nomen alta voce inuocaui, & illa expergiſcitur, aſſeruitque ſe ab incubo Spiritu tunc fuiſſe oppreſſam, qui audito Ieſus nomine ilico aufugit. I.C. Non miror, nam in nomine Ieſu omne genu flectitur etiam inferorum, ſed nullum Eccleſiæ Romanæ decretum

vetat hoc asserere, si diabolum vel quancumque aliam vocem edidisses, illam labore exempta fuisset. Eius cordi & cerebro fulginosi, densique spiritus incumbebant, quare & in prima noctis Vigilia id proculdubio accidisse suspicor. ALEX. Ita est, sed perge. I. C. Ea de causa non vi nominis (& si illud omnia possit cum vult) sed vocis strepitu ad se restituta est, dicussis fumis à verberato per vocem aere, quare in aliud latus statim decubuit? ALEX. Ita fecit. Sed an ipsemet Dæmon tibi hoc retulit? I. C. Si pro dæmone sapientem (hoc enim dæmonis vox significat) intelligis, non inficior. Hippocrates enim sapientum dux me docuit, huiusmodi morbo corripi eos, qui assiduè ventriculi cruditate laborant, quique frequentius in dorsum, ac supini decumbunt, proprij namque corporis ingruente mole, eam percipiunt angustiam, vt suppressa voce suspiria gemitusque edant, cum autem aliquis eis in aurem alta voce proclamat, in latus se deuoluunt, illasque striges ac lemures quibus se opprimi imaginãtur, excutiunt. ALEX. Sed cur in somnis tot chimerica, & falsa rerum simulachra nobis occurunt? I. C. Sic respondet Hippocrates. *Opinor autem inter omnia quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre quam sanguinem. Hic ergo cum in constanti habitu persistit, consistit & prudentia, sanguine vero permutato concidit simul & prudentia, quod autem hæc ita se habeant, multa sunt testimonia, ac primum quidem, qui omnibus animantibus communis est hæc cõfirmat somnus, quum enim corpus inuaserit somnus, sanguis frigescit, à natura nã-*

que somnus vim habet frigefaciendi, infrigidato autem sanguine, languidiores fiunt eius meatus, id quod hinc palam fit, quod corpora aggrauata reclinantur (omnia enim grauia naturâ ad fundum deferuntur) & oculi ardent, & prudentia permutatur, opinionesque peregrinæ mentem occupant, & exercent quæ sanè insomnia appellantur. AL. Diuinissimè. I.C. Esto. nam & nobilissimo Domino meo Nicolao Brulardo opinio hæc arrridet. Ego vero prudentiam in sanguine non constituerem cũ sanguineos homines nullos viderim sapientes, nec somno frigefieri sanguinem dicerem, generatio autem & transmutatio à calore fit apud philosophum, nec somno vis data est à natura frigefaciendi omnia, sed externa tantum, interna vero calefacit, spiritus namque intus ab anima congregati sunt, nec ardere oculos dicere audeo, aqueum enim ipsorum subiectum est. Imò in somno oculorum palpebræ inclinantur, atque impallescunt, ob spiritum qui eas sustinent & colorãt, absentiam. At ego sic dicerem. variarum & à veritate alienarum rerum ideæ in somnis nobis offeruntur, nam quæ simulacrorum vestigia per vigilias sensibus opere vario detentis, & mente viuis cogitationibus obruta, supprimuntur, in somno, quo tempore sensus functionum suarum vacationem habent, à vaporibus commouentur, & circumaduolant modò tardiusculè, modo celerrimè pro exhalationis crassitie, vel tenuitate, & impossibilia in somno fingimus, nam sensuum officinis defessis, & cerebrum primum sentiendi instrumentum

ex lassitudine consopitur, ideo nequit imagines illas ad rectam rationis, veritatisque normam dirigere. ALEX. At cur aliqui in somnis futuros euentus præuident, egomet aliquando vidi certè: certè inquam. I.C. Auerroes censuit effici hæc insomnia ab intelligentiis. ALEX. Auerrois sententia mihi non arridet, nulla namque ratione mihi persuadetur adesse intelligentias. Præterea negat Auer. intelligentias singularia intelligere, non igitur singulares euentus in somnis nobis ostendent quos ipsæmet ignorant. Insuper, nostra causa intelligentia id faceret, vt prouidere futura possemus, quotus igitur est quisque qui somnis pareat? qui intelligat? qui meminerit? quàm multi verò qui contemnant, eamque superstitionem imbecillis animi, atque anilis putent? quid est igitur, cur his hominibus consulens intelligentia, somnis moneat eos, qui illa non modo cura, sed ne memoria quidem digna ducant? si hoc ignorat intelligentia, ignorabit etiam futuros euentus, nulla igitur visa somniorum ab illa proficiscuntur. si non ignorat, qua mente quisq; sit, nec frustra aliquid intelligētia agit, quomodo immittit somnia nobis, quos præuidet nulla insomnijs fidem adhibituros: si intelligentia insomnia nobis prouidendi causa dat, cur non vigilantibus potius, quàm dormientibus? certiora dicimus quæ vigilātes videmus quàm quæ somniantes. Addam. intelligentia clarè, & directo nobis consuleret. hoc facito, hoc nefeceris; at insomnia obscurissimis circuitionibus, & ambagibus futura pro-

nuntiant, vt ſit vtẽdum interpretibus ſomniorum, qui ſoluta mercede nobis dicant, viſam montis imaginem ſignificare difficultates, & obices: flumen oſtẽdere iudicium, boues, &c. Rectius fortaſſe ego dicerem: quemadmodum mens noſtra in vigilia ex coniecturis futura prænuntiat, ita & in ſomnis, & longe faciliùs, nam ex Ariſtotele anima quieſcendo fit prudens, ſoluta illa quidem non à corpore, ſed à corporis penſo, promouet ſe ad effigiem finis ſui, qui cognitio rerum eſt. IVL. CÆS. Animam quieſcere nunquam ab operatione, iam ſupra probauimus: imo & in ſomnis maxime corpus enutrit atque reficit. profecto ſi diuina mens noſtra eſt, & in nocte ſui domina, diuina ſemper, vel humana ſaltem vera cogitaret, cum tamen non niſi fœdiſſimos amplexus, mendacia, deliria, nugas, impoſſibiles denique Chimericas fabellas in ſomnis confingat & contempletur. ALEX. Negare non potes, veram aliquando de futuris euentibus ratiocinationem in ſomnis à nobis inſtitui. I. C. Quid inter mendaciorum centies centena millia vnica perpuſilla veritatis imago, compluribus adhuc falſitatis nebulis obumbrata. Ego, cui ſomnia ex Aſtronomorũ regulis veriora accidere deberent, Luna enim, quæ nocti præeſt, diuinationiſque parens credita eſt à Ptolemæo, mei ortus apheta eſt, vix quinquies tamen futurum euentum in ſomnis præuidiſſe memini, qui deinde vix è ſemiſſe verus contigit; inſomnium quoque præceſſerant nonnullæ diurnæ cogitationes

fere consimiles. idcircò ex præcognitione saltem imperfecta ac trãspositione & visarum rerum intermistione tanquam è materiali caussa,& ex vario,pro ciborum & affectuum ratione , spirituum motu , tanquam ab efficienti, constare omnia insomnia arbitror. Quapropter si infantes primis ab ortu diebus somniare Cardano probasset aliquis , animæ nostræ è beatis sedibus descensum se non negaturum pollicetur; *Est enim* (inquit ille) *omne insomnium recordatio, infantulis autem recens natis nulla rerum potest esse memoria, hæc enim cognitionem supponit, quâ cum illi careant , vel nulla habebunt insomnia; vel si habere quis asserat , quod vix tamen probabit, cœlitus ei advenire cognitionem fatebimur.* Non hæc assero ;vt animi nostri interitum comprobem , sed vt patefaciam ab eo vindicari non posse ob rationem ab insomnijs deductam. Nec mihi refragaturos puto nostrates Theologos,qui sacrosancta insomnia, quæ sanctissimis hebræorum vatibus accidisse sacra pagina commemorat, altioribus cœlestibusque principiis adscribentes , nobis interdicunt , ne fidem præstemus in somnijs,nequaquam hoc facturi , si ex insomnijs petito argumento animæ immortalitatem comprobare posse confiderent. Alex. Quæso, mi Iuli, tuam mihi de Animæ immortalitate sententiam explices. Ivl. Cæs. Excusatum me habeas rogo: Alex. Cur ita? I. C. Voui Deo meo quæstionem hanc me non pertractaturum, antequam senex , diues , & Germanus euasero? Al. Dij tibi Næstoreos pro literariæ Reipu-

blicæ emolumento dies impertiant: Vix trigeſimum nunc attigis annum, & tot præclara eruditionis monumenta admirabili cum laude edidiſti. I.C. Quid hæc mihi proſunt? Al. Celebrem tibi famam compararunt. I.C. Omnes famæ rumuſculos cum uno Amaſiæ baſiolo cõmutandos plerique Philoſophi ſuadent. Al. At alter ea perfrui poteſt. I.C. Quid inde adimit? Alex. Sapientum iudicia de tua eruditione tuas duntaxat titillant aures. I. C. Imò & Romæ adeſt Theologus, cui meum eſt nomẽ, prænomen, & cognomen, itaque laus non magis ad me tot ſtudiorum laboribus defeſſum, quàm ad illum otioſum pertinet. Alex. Illuſtriſſimam matris tuæ familiam *Lopez de Noguera* tuorum librorum inſcriptioni iuxta hiſpanicũ ritũ addere debueras. I.C. Quid nomina curo Alex. *Melius eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.* I.C. Quomodo id ſit intelligendum, mercatores interroga. interim, quæ Torquatus Taſſus ſui ſeculi Phœnix cecinit, reminiſcere. Alex. Sic ille.

Nome, e ſenza ſogetto Idoli ſono
Ciò che preggio, e valore il mondo appella,
La fama, ch' inuaghiſce à vn duolce ſuono
Voi ſuperbi mortali, e par ſi bella
E' vn eccho, vn ſogno, anzi del ſogno vn' ombra,
Ch' ad ogni vento ſi dilegua, e ſgombra.

I.C. Ipſiſſima veritas Al. At Tullianam obiectionem proponam. ſi nominis gloriam contemnis, cur in libris iam editis tuum nomen inſcripſiſti? I.C. Vt ſacroſancti Tridentini Con-

cilij decretis obtemperarem. ALEX. Vberrimos voluptatis fructus percepisti in Naturæ Arcanis inuestigandis. I. C. Corpus mihi est studijs exhaustum & eneruatum: neque in hac humana caligine perfectam rerum cognitionem assequi possumus. cum ipsummet Aristotelē Philosophorum Deum infinitis propemodum in locis hallucinatum fuisse aduerto, cumque medicam facultatem præ reliquis certissimam, adhuc incertam & fallacem experior, subscribere cuperem Agrippe libello quem de scientiarum Vanitate conscripsit. ALEX. Laborum tuorum præmium iam consecutus es; æternitati nomen iam consecrasti. Quid iucundius in extremo tuæ ætatis curriculo accipere potes, quàm hoc canticum *& superest sine te nomen in orbe tuum*. I. C. Si animus meus vna cum corpore, vt Athei fingunt, euanescit, quas ille ex fama post obitum delitias nancisci poterit? forsitan gloriolæ voculis, & fidiculis ad cadaueris domicilium pertrahetur? si animus, vt credimus libenter & speramus, interitui non est obnoxius, & ad superos euolabit, tot ibi perfruetur cupedijs, & voluptatibus, vt illustres, ac splendidas mundi pompas, & laudationes nec pili faciat. Si ad purgatorias flammas descendet, gratior ei erit illius orationis, *Dies iræ, dies illa*, mulierculis gratissimæ, recitatio, quàm omnes Tulliani flosculi, dicendique lepores, quàm subtilissimæ & penè diuinæ Aristotelis ratiocinationes. si Tartareo (quod Deus auertat) perpetuo carceri emancipatur,

nullum ibì ſolatium, nullam redemptionem inueniet. Alex. ô vtinam in Adoleſcentiæ limine has rationes excepiſſem. I. C. Præterita mala ne cogites, futura ne cures, præſentia fugias. Al. Ah. I. C. Liberaliter ſuſpiras Alex. Illius verſiculi recordor.

Perduto è tutto il tempo
Che in amar non ſi ſpende.

I.C. Eia quoniam inclinato iam die ad veſperum perducta eſt diſputatio (cuius ſingula verba diuino Romanæ Eccleſiæ oraculo, infallibilis cuius interpres à Spiritu Sancto modo conſtitutus eſt Paulus V. Sereniſſimæ Burgheſiæ familiæ ſoboles, ſubiecta eſſe volumus, ita vt pro non dictis habeantur, ſi quæ forſitan ſunt, quod vix crediderim quæ illius placitis adamuſſim non cõſentiant) laxemus pauliſper animos, & à ſeueritate ad hilaritatem, riſumque traducamus. Heus pueri, luſorias tabellas huc afferte, ſed quid lætus obmurmuras? Tars. Ouidij verſus canebam. *Ouid. Eleg. 1. 2. Triſt.*

Parua ſedit ternis inſtructa tabella lapillis,
Jn qua viciſſe eſt continuaſſe ſuos.

Alex. ô Fauſtum, & Felicem hunc diem.
Tars. Plaudamus igitur. Alex. Plaudite.

FINIS.

ERRATA.

PAg.17.vocubus leg. vocibus.p 19.accidens l. per accidens.32.afirma l. affirmat p. 39. lucidu.l. lucidum deberet. l. deberet.p. 43 ignicecit. l. ignescit. petræ l. petræum. petræ. l. petræus. p. 50. firmantur l. formantur p. 53. in victum l. inuictum pag. 56 scilicetl. scilicet p 63. ratioci: atio l. ratiocinatio.p. 89. lin. 9. internam. l externam.p.98.suculis l.suculis. p. 101. lin. antep. infinem dele. p.105 velant l. versant. p.108 faxis l. saxis, arenam l. arenarum. p. 109. obiectio l obiectio. p. 112 arbitrantd l.arbitrantur p. 128.culmam l cumam.p. 138. mollitiem l. mollitie. p 139. asseuerebat l.asseuerabat.p. 142 sufficiatur l. suppeditatur.p.150. alia l. aliæ. p.153. eries.l.serit.p 159.folij .l.folis.p.160.opinione l.opinioni.p.165. nequeat.l.nequeat.p. 169.dulcorasset.l.edulcasset.p.177.intinctum fieri l,intingendum.p 182 minuatur.l. minuantur p.187. maris generationem l. generationem p.188.cauis.l.canis.differt non l.non differt.p.198.erytinis l. echinis.p.204.infin.ac l. an.p.205. imperatori.l.imperati.p.218.aqueis l. aquis p.219, datur l. adest p.221 insinuatur.p.222.Recte.l. ALEX Recte.p.225. tormâ.l. formâ p.226 in initio vt insecta l.vt de Perdicibus testatur Plin.l.x.c.33. & insecta p. 232 erichrimis l. erinaceis.p.236.conceptus est l conceptus tempore.p.237.fit l. fit p.241.vbi l.vbi in p.249. redundaedit.l redundantis.p.267 Nouembri l. Nouembris p. 271. quert.l. queat.p.272 in aere l. in aure.p.281.subssendi l. subrendi.p.169 dari l. esse. p. 311. scabendi l. scabritiei.p.330.latero l latere p.333. silitatio. l. dilatatio. p.339.l.corpus.p.343.vies.l.vires.349.qua l. quas.p.351.motu.l. potu p.356 versicolora l. versicoloria.p.357.antechristus l.antichristus.p. 365.eum l.cum p.366.subtilissime.l.2.Deus.l.Deos p.367. armata.l. sedarmata repondendi. l. respondendi. p.370 non instruit l. nos instruit.p 379.edebentur l.edebantur.p. 391. circunctinnibus l.circuitionibus.p.391 philosophi.l. philosophi.p 392. facultate l.facultatem.p 395.editum l. edit p. 409 demores.l. demon es.pag. 412. futulibus l futilibus.p.413 autem.l et am.p.416.mox l. deinde p.418. ad est l.adest.p.419.dari l.adesse.p.420.aliquos:infestabar.d:p.422. pontifex.l. pontifex.p.423.ignicuis l.ignicli.p.454. Deiotars vt l. vt Deiotaro discedebamus.p.426. in somnijs l.in somnijs p.427.dari.l adesse dari l adesse. appellat:christianos,dele:p.429.decinam.l. decimam.p 431. sunt ne.l. sunt ne.p.432.dari l.adesse p 434. attoit.l.attollit. in qui l.Qui p.435. emota l. remota. p.451.exitat l exscitat.p.457.aaliuius l.alicuius.p.458.nante l. namque